Donum vitae, quam Deus Creator et Pater homini commisit, postulat ut is inaestimabilis eius pretii conscius fiat et officia ei adnexa suscipiat : in hoc primario principio oportet cardo vertatur totius expositionis, ut moralia problemata clariore in luce ponantur ac solvantur, quae gignuntur ex artificiosis interventibus in vita nascenti et in procreationis processibus.

Ob scientiarum biologicam m et medicae artis progressus, homo medendi rationibus magis magisque efficacibus uti quidem potest, sed potest etiam novas sibi comparare potestates, quarum consectaria praevideri nequeunt, quod attinet ad humanam vitam in eius initio et in primis eius temporibus. Diversi procedendi modi hodie sinunt interventus, qui non solum auxiliari, sed etiam dominari possunt procreationis processibus. Huiusmodi technicae rationes possunt homini facultatem tribuere « sortem suam in manibus habendi ». Sed illum etiam obnoxium efficiunt « sollicitationi praetergradiendi fines dominatus rationi consentanei in naturam ».[1] Eaedem, quamquam conferunt ad hominis progressum, nihilominus gravia etiam pericula coniuncta habent. Hinc est, cur multi instanter flagitent ut in interventionibus quae procreationem attingunt, bona et iura personae humanae sarta tecta serventur. Quae quidem clarioris luminis et directoriarum normarum postulationes proveniunt non solum a christifidelibus, sed ab

* Voces « zygotum », « prae-embryon », «embryon», «fetus» iuxta usum in disciplina biologica receptum, indicare possunt succedentia tempora in viventis humani processu ad suam maturitatem assequendam. Haec Instructio libere his vocibus utitur, eis tribuens eandem ethicam aestimationem ad significandum fructum, vitae autonomae capacem vel non, generationis humanae, a primo eius vitae momento usque ad nativitatem. Ratio huius ex ipso textu patebit (cf. I. 1).

[1] Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes LXXXI Conventus Societatis Italicae de Medicina Interna et LXXXII Conventus Societatis Italicae de Chirurgia Generali,* die 27 Octobris 1980: *AAS* 72 (1980), p. 1126.

iis etiam qui Ecclesiae, utpote « rerum humanarum expertae »,[2] quoquo modo munus agnoscunt deserviendi « civili amoris cultui »[3] ac vitae.

Ecclesia Magisterii sui auctoritatem non interponit vi peculiaris competentiae in regione scientiarum quae in experimentis nituntur; sed postquam comperta habet elementa, quae investigationibus scientificis et re technica suppeditantur, ipsa, vi muneris evangelici officiique apostolici, moralem intendit doctrinam proponere, quae personae dignitati eiusque integrae vocationi congruat, criteria iudicii moralis exponendo circa investigationum scientificarum et rei technicae applicationes, peculiarique modo circa ea omnia quae ad humanam vitam eiusque exordia attineant. Quae quidem criteria sunt: observantia, defensio et promotio hominis, eius « primarium et fundamentale » ius ad vitam,[4] eius dignitas personae quae animo spirituali ac morali responsabilitate ditatur[5] et ad beatificam cum Deo communionem vocatur.

Ecclesia, cum se interponit etiam in hoc campo, amore ducitur, quo hominem prosequi debet, eum adiuvando ad iura officiaque sua cognoscenda atque observanda. Talis amor ad fontes caritatis Christi alitur: contemplans Verbi Incarnati mysterium, Ecclesia percipit etiam « hominis mysterium »;[6] Evangelium salutis annuntians, homini patefacit dignitatem ipsius eumque ad plenam sui veritatem detegendam invitat. Ecclesia hoc modo divinam legem rursus proclamat, ut veritatis et liberationis opus perficiat.

Ac revera ex bonitate Deus — ut rectam vitae semitam ostendat — hominibus mandata sua tradit gratiamque ad ea observanda concedit; pariter ex caritate — ut eos adiuvet ad perseverandum in hac via — Deus semper offert unicuique veniam suam. Christus infirmitatum nostrarum miseretur: Ipse noster Creator ac Redemptor noster est. Utinam eius Spiritus animos aperiat ad donum pacis quae a Deo manat, et ad eius praecepta intelligenda.

[2] Paulus VI, *Sermo ad Sessionem Generalem Nationum Unitarum,* die 4 Octobris 1965: *AAS* 57 (1965), p. 878; Litt. Encycl. *Populorum Progressio,* 13: *AAS* 59 (1967), p. 263.

[3] Paulus VI, *Homilia infra Missam occasione Anni Sancti conclusi,* die 25 Decembris 1975: *AAS* 68 (1976), p. 145; Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Dives in misericordia,* 30: *AAS* 72 (1980), p. 1224.

[4] Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes XXXV Sessionis Generalis Consociationis Medicae ex universo orbe,* die 29 octobris 1983: *AAS* 76 (1984), p. 390.

[5] Cf. Declar. *Dignitatis humanae,* 2.

[6] Const. past. *Gaudium et spes,* 22; Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Redemptor Hominis,* 8: *AAS* 71 (1979), pp. 270-272.

2. **DISCIPLINAE NATURALES ET RES TECHNICA IN PERSONAE HUMANAE SERVITIUM ADHIBENDAE.**

Deus ad imaginem et similitudinem suam hominem creavit : « masculum et feminam creavit eos» *(Gen* 1, 27), eis munus committens terram subiciendi (cfr. *Gen* 1, 28). Scientifica rerum naturae fundamentalis investigatio eiusque applicatio hunc hominis dominatum in res creatas significanter manifestant. Disciplinae naturales et res technica, quae sunt pretiosa hominis adiumenta, si quidem ad eius servitium adhibeantur eiusque integram progressionem promoveant in commune bonum omnium, ex se ipsae non valent ad humanae vitae humanique progressus sensum indicandum. Cum illae ordinentur ad hominem, a quo originem et incrementum suscipiunt, sequitur ut intra humanae personae eiusque moralium bonorum ambitum inveniatur descriptio finium, ad quos ipsae tendunt, et cognitio limitum, quibus continentur.

Perperam igitur neutrali tas legis moralis vindicatur, cum agitur de investigationibus scientificis earumque applicationibus; ceterum, agendi normae nequaquam sumi possunt e sola rei technicae efficientia, vel ex utilitate quae aliquibus obveniat cum detrimento aliorum, vel, quod peius est, ex ideologiis quae praevalent. Quare disciplinae naturales et res technica ex sua ipsarum intima significatione postulant absolutam criteriorum moralium fundamentalium observantiam ; scilicet deservire debent personae humanae, eius iuribus inalienabilibus eiusque vero atque integro bono, secundum Dei consilium ac voluntatem.[7]

Rei technicae velox progressus atque inventa instantius urgent praedictorum criteriorum observantiam : scientia a conscientia officii seiuncta nonnisi ad hominis perniciem conducere potest. « Aetas autem nostra magis quam saecula anteacta, tali sapientia indiget ut humaniora fiant quaecumque nova ab homine deteguntur. Periclitatur enim sors futura mundi nisi sapientiores suscitentur homines ».[8]

[7] Cf. Const. past. *Gaudium et spes,* 35.

[8] Const. past. *Gaudium et spes,* 15. Cf. etiam Paulus VI, Litt. Encycl. *Populorum progressio,* 20: *AAS* 59 (1967), p. 267; Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Redemptor hominis,* 15: *AAS* 71 (1979), pp. 286-289; Adhort. Apost. *Familiaris consortio,* 8: *AAS* 74 (1982), p. 89.

3. **ANTHROPOLOGIA ET INTERVENTUS IN REI BIOMEDICAE CAMPO.**

Quaenam moralia criteria adhibenda sunt ad problemata in clariore luce ponenda, quae hodie in campo rei biomedicae gignuntur? Ut huic quaestioni respondeatur, oportet praevia habeatur recta notio naturae personae humanae quoad ius corpoream rationem.

Revera persona humana, nonnisi operando secundum veram suam naturam, sese tamquam « unam sui summam » perficere potest ;[9] quae quidem natura simul est corporea ac spiritualis. Vi substantialis suae unionis cum anima spirituali, corpus humanum considerari nequit dumtaxat tamquam summa textuum, membrorum atque functionum ; neque fas est sicut animalium corpus illud aestimare, sed habendum est pars constitutiva personae, quae per illud manifestatur atque exprimitur.

Lex moralis naturalis exprimit atque praescribit fines, iura atque officia, quae in corporali ac spirituali personae humanae natura innituntur. Ea lex igitur haberi nequit tamquam norma unice biologica, sed definiri debet tamquam ordo rationis, iuxta quem homo a Creatore vocatur ad vitam suam suasque actiones moderandas atque ordinandas, peculiarique modo ad utendum et fruendum corpore suo.[10]

Ex his principiis hoc primum consectarium deduci potest : interventus in corpore humano non attingit dumtaxat textus, membra eorumque functiones, sed, licet gradibus diversis, ipsam quoque personam afficit ; ac propterea significationem atque officia secumfert quae ad moralem ordinem spectant, modo fortasse non aperto, sed vero. Haec Ioannes Paulus II fortiter asseruit in allocutione habita ad Consociationem Medicorum ex universo orbe : « Quaelibet persona humana, in sua indole singulari absolute unica, constat non tantum spiritu sed etiam corpore, ideoque in corpore et per corpus persona attingitur in sua concreta realitate. Quapropter observantia dignitatis hominis secumfert observantiam huius identitatis hominis, qui *corpore et anima unus* est, ut Concilium Vaticanum II affirmavit (Const. *Gaudium et spes,* 14, 1). Ex hac anthropologica consideratione erui debent fundamentalia operandi criteria, si agitur de interventibus non omnino therapeuticis, cuius generis sunt interventus spectantes condicionem biologicam humanam in melius mutandam ».[11]

[9] Ioannes Paulus II, Adhort. Apost. *Familiaris consortio,* 11: *AAS* 74 (1982), p. 92.

[10] Cf. Paulus VI, Litt. Encycl. *Humanae vitae,* 10: *AAS* 60 (1968), pp. 487-488.

[11] Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes XXXV Sessionis Generalis Consociationis Medicae ex universo orbe,* die 29 Octobris 1983: *AAS* 76 (1984), p. 393.

Biologia atque ars medica, suarum applicationem ope, ad integrum vitae humanae bonum tunc conferunt cum personae morbo atque infirmitate affectae auxilium praebent, observando dignitatem ei debitam, quatenus est creatura Dei. Nemo biologus vel medicus, vi scientiae ac peritiae suae, rationabiliter arrogare sibi potest facultatem de origine ac sorte hominis deliberandi. Huiusmodi norma peculiari modo servanda est in sexualitatis ac procreationis provincia, in qua vir ac mulier primaria bona amoris ac vitae in actum traducunt.

Deus, qui amor et vita est, viro ac mulieri vocationem indidit ad participandum speciali modo suum mysterium personalis communionis suumque opus Creatoris et Patris.[12] Hinc est cur matrimonio insint bona propria unionis atque procreationis, quae tanta pollet dignitate, ut nullo modo comparari possint cum iis quae apud cetera inferioris gradus viventia inveniuntur. Haec bona atque hae significationes, quae ad ordinem personalem pertinent, definiunt, respectu habito ad legem moralem, etiam significationem ac limites artificiosorum interventuum in procreatone et in ortu vitae humanae. Qui interventus, quatenus artificiosi, respuendi non sunt. Qua tales testantur quid valeat ars medica ; at eorum moralis aestimatio referatur oportet ad dignitatem humanae personae, cuius est perficere divinam sibi inditam vocationem ad donum- amoris atque ad donum vitae.

4. **CRITERIA FUNDAMENTALIA AD MORALE IUDICIUM FERENDUM.**

Bona fundamentalia quae cum methodis procreationis artificialis humanae conectuntur, duo numerantur : vita creaturae humanae ad exsistendum vocatae, et singularis indoles transmissionis huius vitae in matrimonio. Horum igitur bonorum congrua ratio habeatur necesse est, cum morale iudicium est ferendum de huiusmodi methodis procreationis humanae artificialis.

Vita phisica, unde in mundo humanarum vicissitudinum cursus incipit, nullo modo totam explet personae praestantiam, neque habenda est pro supremo bono hominis qui ad vitam sempiternam vocatur. Ipsa tamen ad hominis structuram pertinet quodammodo tamquam bonum ((fundamentale », propterea quod in ipsa vita phisica cetera omnia personae bona nituntur atque explicantur.[13] Indoles inviolabilia iuris

[12] **Cf. Ioannes Paulus II, Adhort. Apost. *Familiaris consortio,* 11: *AAS* 74 (1982), pp. 91-92; cf. etiam Const. past. *Gaudium et spes,* 50.**

[13] **Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei, *Declaratio de abortu procurato,* 9: *AAS* 66 (1974), pp. 736-737.**

ad vitam, quo creatura humana innocens gaudet « a conceptus momento usque ad mortem »,[14] signum atque postulatum est ipsius inviolabilis indolis personae, cui Creator vitae donum largitus est.

Respectu habito ad vitae transmissionem qualis apud cetera animan tia in mundo universo animadvertitur, transmissio vitae humanae singularem indolem prae se fert, quae ab ipsa singulari personae humanae indole promanat. « Quoniamque hominis vita aliis hominibus consulto et cogitate traditur, sequitur idcirco, ut hoc agatur ad Dei praescriptiones firmissimas, sanctissimas, inviolatas; quas scilicet nemo non agnoscere, non servare debet. Quocirca hac in re nemini omnium licet iis uti viis rationibusque, quibus vel arborum vel animantium vitam prorogare licet ».[15]

Hodierni rei technicae progressus effecerunt ut procreatio haberi possit absque sexuali coniunctione, per concursum in tubulo vitreo seu *in vitro,* uti aiunt, cellularum germinalium, quae a viro et muliere antea sumptae sunt. At, quod arte technica fieri potest, non eo ipso lex moralis admittit. Rationis ope perpendere fundamentalia bona vitae et procreationis humanae est necessaria condicio, ut morale iudicium ferri possit de huiusmodi rei technicae interventibus in humano vivente inde a primis gradibus eius vitae processus.

5. NONNULLA ECCLESIAE MAGISTERII DOCTRINAE CAPITA.

Pro parte sua Ecclesiae Magisterium etiam in hoc campo lumen Revelationis humanae rationi subministrat: doctrina quae de homine a Magisterio traditur, multa complectitur elementa, quae lucem afferunt quaestionibus hic ad solvendum propositis.

Inde a conceptionis momento, vita cuiusvis humanae creaturae omnino est observanda, cum in terris homo sola creatura sit, quam Deus « propter seipsam voluerit »[16] et anima spiritualis uniuscuiusque hominis « immediate creata » a Deo sit;[17] homo in se totus Creatoris refert imaginem. Humana vita pro re sacra habenda est, quippe quae inde a suo exordio « Creatoris actionem postulet »[18] ac semper pecu-

[14] Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes XXXV Sessionis Generalis Consociationis Medicae ex universo orbe,* die 29 Octobris 1983: *AAS* 76 (1984), p. 390.

[15] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et magistra,* III: *AAS* 53 (1961), p. 447.

[16] Const. past. *Gaudium et spes,* 24.

[17] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis: AAS* 42 (1950), p. 575; Paulus VI, *Professio fidei: AAS* 60 (1968), p. 436.

[18] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et magistra,* III: *AAS* 53 (1961), p. 447;

liari necessitudine cum Creatore, unico fine suo, perstet conexa.[19] Solus Deus vitae Dominus est ab exordio usque ad exitum : nemo, in nullis rerum adiunctis, sibi vindicare potest ius mortem humanae creaturae innocenti directe afferendi.[20]

Procreatio humana consciam coniugum cooperationem postulat cum fecundo amore Dei ;[21] donum vitae humanae fieri debet in matrimonio per actus proprios atque exclusivos coniugum, iuxta normas in eorum personis in eorumque coniugali vinculo inscriptas.[22]

I
OBSERVANTIA ERGA EMBRYONES HUMANOS

Iis attente perpensis, quae hac Magisterii Doctrina traduntur et quae per rationem cognita supra commemorata sunt, copia datur respondendi multiplicibus moralibus quaestionibus, quas in medio ponunt technici interventus in humano vivente, qui peraguntur in eius vitae primordiis atque in eius conceptionis processibus.

1. QUAENAM OBSERVANTIA HUMANO EMBRYONI DEBETUR, RATIONE HABITA EIUS NATURAE EIUSQUE IDENTITATIS?

Viventi humano, uti personae, observantia debetur inde a primo eius vitae momento.

Methodi artificialis fecundationis, quae inductae sunt, effecerunt ut varii interventus haberi possint in embryonibus et fetibus humanis. Diversas ob causas id fieri contingit : ob morborum diagnosim et curationem, ob scientiae investigationem, ob commercium. Ex his omnibus

cf. Ioannes Paulus II, *Sermo ad sacerdotes participes seminarii studiorum «De procreatane responsabili »,* die 17 Septembris 1983: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* VI, 2 (1983), p. 562: «In cuiusvis humanae personae ortu est actus creativus Dei: nullus homo in hunc mundum venit fortuito; ipse semper est terminus amoris creativi Dei ».

[19] Cf. Const. past. *Gaudium et spes,* 24.

[20] Cf. Pius XII, *Sermo ad Consociationem Medicam-Biologicam « S. Luca »,* die 12 Novembris 1944: *Discorsi e Radiomessaggi,* VI (1944-1945), pp. 191-192.

[21] Cf. Const. past. *Gaudium et spes,* 50.

[22] Const. past. *Gaudium et spes,* 51: « Moralis igitur indoles rationis agendi, ubi de componendo amore coniugali cum responsabili vitae transmissione agitur, non a sola sincera intentione et aestimatione motivorum pendet, sed obiectivis criteriis, ex personae eiusdemque actuum natura desumptis, determinari debet, quae integrum sensum mutuae donationis ac humanae procreationis in contextu veri amoris observant ».

gravia gignuntur problemata. Licetne admittere ius experimenta in fetibus humanis peragendi, quae scientiae investigationibus deserviant? Quae normae sequendae et quae leges ferendae sunt hac in rerum provincia? Ut huiusmodi quaestionibus responsio detur, praevia diligens investigatio instituenda est de natura deque identitate propria — sermo fit de « Statu » — embryonis humani.

Pro parte sua Ecclesia in Concilio Vaticano II rursus nostrae aetatis hominibus constantem certamque doctrinam suam proposuit, vi cuius vita « inde a conceptione, maxima cura tuenda est ; abortus necnon infanticidium nefanda sunt crimina)).[23] Recentiore tempore *Charta iurium familiae,* a Sancta Sede edita, id ipsum confirmavit : « Vita humana prorsus observanda ac tuenda est inde a conceptione ».[24]

Haec Congregatio probe compertas habet hodiernas disputationes de vitae humanae initio, de individua viventis humanis indole, deque personae humanae identitate. Ipse commemorat doctrinam, quae in *Declaratione de abortu procurato* continetur : « Semel atque ovum fecundatum est, iam inchoata est vita, quae neque patris neque matris est, verum novi viventis humani, qui propter seipsum crescit. Is numquam humanus fiet, nisi iam tunc talis fuit. Scientia genetica recentioris temporis praeclare confirmat has res, quae manifesto semper patuerunt ... Ipsa videlicet demonstravit iam a primo momento adesse fixam structuram seu programma geneticum huius viventis : hominem nempe, omnibus suis notis propriis praefinitisque iam ornatum. Ab ipsa fecundatione iniit mirificus cursus cuiusdam vitae humanae, cuius singulae potentes facultates tempus poscunt, ut recte ordinentur atque ad agendum praeparentur ».[25] Quae doctrina perstat valida, eademque, si opus sit, confirmatur recentioribus progressibus humanae biologiae, quae in zygoto * a fecundatione orto agnoscit iam novi individui humani constitutam esse biologicam identitatem.

Fatendum quidem est nullum indicium ex experimentis deductum per se satis esse ad animam spiritualem demonstrandam; conclusiones tamen, ad quas pervenerunt scientificae investigationes de humano embryone, pretiosa suppeditant elementa, ex quibus rationis ope di-

[23] Const. past. *Gaudium et spes,* 51.

[24] Sancta Sedes, *Carta dei diritti della famiglia,* art. 4: *L'Osservatore Romano,* die 25 Novembris 1983.

[25] Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei, *Declaratio de abortu procurato,* 12-13: *AAS* 66 (1974), p. 738.

* Zygotum est cellula orta a fusione duorum gametum.

gnosci potest personam iam adesse praesentem inde ab hac prima vitae humanae significatione : cur igitur vivens creatura humana non esset etiam persona humana? Magisterium Ecclesiae expresse auctoritatem suam non interposuit circa hanc affirmationem, quae proprie ad philosophiam pertinet, at constanter moralem reprobationem confirmat cuiusvis abortus procurati. Quae doctrina neque mutata est neque mutari potest.[26]

Quare fructus generationis humanae, inde a primo temporis momento quo exsistere incipit, hoc est a momento quo formatio zygoti inchoatur, absolutam illam exigit observantiam, quae ex lege morali homini debetur quoad totam suam rationem corporalem atque spiritualem. Creatura humana ut persona observanda atque tractanda est inde ab eius conceptione, ac propterea inde ab illo temporis momento ipsi agnoscenda sunt iura personae, quorum primum recensetur ius inviolabile ad vitam, quo unusquisque creatura humana innocens gaudet.

Doctrinae capita modo exposita criterium praebent fundamentale ad varia solvenda problemata, quae e progressu disciplinarum biomedicarum gignuntur in hoc campo : quoniam scilicet embryon ut persona tractandus est, inde sequitur ut ei debeatur etiam suae integritatis defensio, idemque curandus ac sanandus sit sicut quilibet homo, quantum fieri potest, in ambitu medicae assistentiae.

2. ESTNE MORALITER LICITA DIAGNOSIS PRAENATALIS?

Si diagnosis praenatalis tuetur vitam et integritatem embryonis et fetus humani atque spectat ad singulum embryonem servandum et curandum, responsio est affirmativa.

Diagnosis praenatalis, enim, notas facere potest condiciones embryonis aut fetus, cum adhuc in sinu matris gestatur ; permittit vel sinit ut nonnulli interventus therapeutici, ope artis medicae vel chirurgicae, maturius atque efficacius praevideantur.

Huiusmodi diagnosis licita est, si methodis adhibitae, de consensu parentum qui rite certiores facti sint, vitam et integritatem embryonis ac matris tueantur, vitando ne hi in pericula haud proportionata committantur.[27] Ea tamen graviter legi morali adversatur, si, prout erit

[26] Cf. Paulus VI, *Sermo ad participes XXIII Conventus Nationalis Iurisperitorum Catholicorum Italicorum,* die 9 Decembris 1972: *AAS* 64 (1972), p. 777.

[27] Obligatio vitandi pericula haud proportionata secumfert veram observantiam

eius exitus, admittat abortum fieri posse : diagnosis, qua corporis deformatio vel morbus hereditarius deteguntur, aequiparanda non est damnationi ad mortem. Quare mulier quae diagnosim exquirit eo proposito, ut abortum procuret, si eius exitus confirmet corporis adesse deformitatem vel anomaliam, actionem committit graviter illicitam. Pariter coniux vel familiares vel quilibet alius dicendi sunt agere contra legem moralem, si mulieri praegnanti diagnosim suadeant vel imponant eodem ducti proposito, ut scilicet, si casus ferat, ad abortum procurandum procedatur. Item culpam illicitae cooperationis in se recipit etiam vir peritus, qui in diagnosi peragenda et in exitu communicando, consulto conferat ad nexum statuendum vel fovendum inter diagnosim praenatalem et abortum.

Denique damnanda sunt tamquam violatio iuris ad vitam, quo nasciturus gaudet, et tamquam praevaricatio iurium et officiorum, quae ad parentes prae ceteris pertinent, illae directoriae normae vel programmata suscepta a civilibus auctoritatibus et a scientificis consociationibus, qui quoquo modo faveant conexioni inter diagnosim praenatalem et abortum, immo etiam impellant mulieres praegnantes ad se subiciendas diagnosi praenatali iam praestitutae, ut fetus de medio tollantur, qui corporis deformationibus vel morbis hereditariis sint affecti.

3. LICETNB THERAPEUTICI INTERVENTUS IN HUMANO EMBRYONE?

Sicut quilibet artis medicae interventus in aegrotis, ita *interventus in humano embryone liciti habendi sunt hac condicione, ut embryones vitam integritatemque observent, ne secumferant pericula haud proportionata sed spectent ad morbi curationem, ad salutis statum in*

erga creaturas humanas et rectitudinem propositorum therapeuticorum. Hinc medicus « in primis diligenter aestimare debebit damna forte consecutura, quae necessarius usus certae methodi investigationis afferre poterit creaturae conceptae, itemque vitabit rationes peragendi diagnosim, de quarum honesto fine et fundamentali innocuitate haud satis constat. Quodsi, ut saepe accidit in humanis optationibus, nonnihil periculi subeundum erit, medico curae erit verificare, an id compensetur vera urgenti necessitate diagnosis et magni momenti effectibus qui obtineri poterunt his rationibus in bonum ipsius creaturae conceptae» (Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes Conventus «.Motus pro vita»,* die 3 Decembris 1982: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* V 3 [1982] 1512). Haec explicatio circa « periculum haud proportionatum » prae oculis habenda erit etiam in subsequentibus locis huius Instructionis, quotiescumque huiusmodi dictio usurpabitur.

melius mutandum et ad ipsius singularis fetus superstitem vitam in tuto ponendam.

Quaecumque est medita therapia adhibita, ope artis chirurgicae vel alius generis curationis, semper requiritur liber et conscius parentum consensus, iuxta normas deontologicas erga pueros servandas. Huius moralis principii applicatio prudentes ac peculiares cautiones praecipere potest, cum de embryonum vita ac de fetibus agatur. Huiusmodi interventum liceitas et criteria dilucide exposita sunt a Ioanne Paulo II : ((Interventus prorsus therapeuticus intendens diversorum morborum curationem, cuiusmodi sunt morbi ex chromosomatum defectu, re lumine principiorum perpensa, optabilis sane est, dummodo coniunctum propositum habeat reapse consulendi prosperiori personae valetudini, nec damnum eius integritati afferatur aut vitae condiciones deteriores fiant. Huiusmodi interventus cum tradita morali christianorum doctrina plane cohaeret ».[28]

4. QUOMODO AD NORMAM LEGIS MORALIS AESTIMANDA SUNT INVESTIGATIONES ATQUE EXPERIMENTA * IN EMBRYONIBUS ET IN FETIBUS HUMANIS?

Medica investigatio abstinere debet ab interventibus in embryonibus viventibus, nisi certitudine morali constet nullum damnum neque vitae neque integritati nascituri ac matris inde oriturum, itemque cautum esse, ut parentes liberum et conscium assensum praestiterint interventui in embryone. Hinc sequitur quamlibet investigationem, etsi ad solam embryonis inspectionem factam, illicitam evadere, quotiescumque, ob methodos adhibitas vel ob effectus inductos, per eam integritas physica aut embryonis vita in discrimen adducitur.

Ad experimenta autem quod attinet, praeter generalem distinctio-

[28] Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes XXXV Sessionis Generalis Consociationis Medicae ex universo orbe,* die 29 Octobris 1983: *AAS* 76 (1984), p. 392.

* Quoniam voces « investigatio » et « experimentum » saepe usurpantur significatione aequali et ambigua, necessarium videtur explicare quaenam significatio tribuenda sit hisce vocibus in hos documento.

1) Voce *investigationis* intelligitur quivis procedendi modus inductivus-deductivus eo spectans, ut promoveatur observatio systematica alicuius facti in campo humano, vel ut verificetur hypothesis orta ex praecedentibus observationibus.

2) Voce *experimenti* intellegitur quaevis investigatio, in qua creatura humana (in variis temporibus eius exsistentiae: embryon, fetus, puer vel adultus) est id per quod vel super quo dignosci intenditur effectus, adhuc ignotus, vel nondum bene cognitus, alicuius procedendi modi (e. gr. pharmacologici, theratogeni, chirurgici, etc.).

nem inter experimenta non directe therapeutica et ea quae directe ad curationem viventis in quo experimentum peragitur spectat, hac in re rursus distinguendum est inter experimenta in embryonibus adhuc viventibus et experimenta in embryonibus mortuis peracta. *Si embryones vivunt, vitae autonomae capaces vel non, illa observantia eis adhibenda est, quae humanis personis debetur; experimenta non directe therapeutica in embryonibus illicita sunt.*[29]

Nullus finis, quamvis per se nobilis, cuius generis sunt emolumenta quae obventura praevidentur scientiae, ceteris hominibus vel societati, comprobare ullo modo potest experimenta in embryonibus vel fetibus humanis vivis, vitae humanae autonomae capacibus vel non, intra vel extra matris sinum degentibus. Conscius consensus, qui communiter requiritur ad experimenta clinica in adultis facienda, praestari non potest a parentibus, cum in eorum potestate non sint neque integritas phisica neque vita nascituri. Ceterum, experimenta in embryonibus vel fetibus semper secumferunt periculum, immo plerumque praevisionem certam damni contra eorum phisicam integritatem, ac vel etiam mortis.

Embryonem humanum vel f e tum adhibere tamquam rem vel instrumentum experimentorum, delictum est contra eorum dignitatem propriam viventium humanorum, quibus eadem observantia debetur, quae puero iam nato et cuilibet humanae personae est adhibenda. In *Charta iurium familiae,* a Sancta Sede edita, haec habentur : « Observantia erga viventis humani dignitatem prohibet quamlibet artificiosam tractationem experimenti causa factam et quemlibet abusum embryonis humani ».[30] Usus viventes embryones humanos servandi, *in vivo* vel *in vitro,* uti aiunt, experimenti vel commercii causa, prorsus contrarius est humanae dignitati.

Quod autem attinet ad experimenta manifesto therapeutica, quae scilicet peraguntur in bonum ipsius embryonis tamquam extrema ratio ad eius vitam servandam, nec alia suppetunt valida remedia, hoc in

[29] Cf. Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes Conventus Pontificiae Academiae Scientiarum,* die 23 Octobris 1982: *AAS* 75 (1983), p. 37: «Modo quam maxime aperto atque expresso ego reprobo artificiosas tractationes embryonis humani experimenti causa peractas, quia creatura humana, a momento conceptionis usque ad mortem, nullam ob causam abusui obnoxia fieri potest ».

[30] Sancta Sedes, *Carta dei diritti della famiglia,* art. 4 b: *L'Osservatore Romano,* die 25 Novembris 1983.

casu licitus esse potest usus pharmacorum vel methodorum, quorum efficacia hucusque nondum omnino confirmata est.[31]

Ad embryonum vel fetuum cadavera, voluntarie abortiva vel non, eadem spectat observantia, quae ceterorum mortuorum hominum exuviis adhibetur. Speciatim non licet haec cadavera mutilationibus aut autopsiae subicere, nisi certo constet de morte ac nisi praevius habeatur parentum aut matris consensus. Praeterea, semper salva legis moralis praescriptio esse debet, quae excludit quamlibet cum abortu volontario societatem et scandali periculum. Etiam cum agitur de fetibus mortuis, valent ea quae de adultorum cadaveribus praescribuntur, ac propterea quaevis commercii forma illicita est et prohiberi debet.

5. **QUAENAM ESSE DEBET AESTIMATIO MORALIS DE USU EMBRYONUM QUI, INVESTIGATIONIS CAUSA, HABENTUR OPE FECUNDATIONIS IN VITRO?**

Embryones humani in vitro producti habendi sunt creaturae humanae et iuris capaces : eorum dignitas eorumque ius ad vitam observanda sunt inde a primo eorum vitae momento. *Morum igitur honestati contrarium est embryones humanos gignere ad abutendum, scilicet ut efficiantur « materia biologica », quae praesto sit ad usum.*

Modus, quo communiter fecundatio in vitro obtinetur, non sinit ut omnes embryones in corpus mulieris transferantur; eorum nonnulli interficiuntur. Quare Ecclesia, sicut abortum procuratum damnat, ita etiam prohibet, ne vita harum humanarum creaturarum attentetur. *Conscientiae officium postulat, ut palam denuntietur peculiaris gravitas voluntariae interfectionis embryonum humanorum, qui in vitro obtenti sunt ad solum investigationis finem, ope sive fecundationis artificialis, sive ((fiœionis gemellaris », quam vocant.* Hac agendi ratione investigator se in locum Dei substituit atque, licet inconscius, se efficit dominum aliorum sortis, quippe qui arbitratu suo decernat quis vivat et quis morte afficiatur, idemque creaturas humanas interficiat, quae defensione carent.

[31] Cf. Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes Conventus «.Motus pro vita-»,* die 3 Decembris 1982: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* V 3 (1982), p. 1511: «Prorsus reicienda est quaevis experimentorum forma super fetu, qua damnum eius integritati afferatur aut eius condiciones in deterius redigantur, nisi agatur de conatu qui sit veluti extrema ratio eum a morte eripiendi ». Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei, *Declaratio de euthanasia,* 4: *AAS* 72 (1980), p. 550: «Si alia remedia non suppetunt, licet, ex consensu aegroti, media adhibere, quae novissima medicae artis inventa protulerunt, etiamsi haud satis adhuc experimentis probata sint nec aliquo periculo careant ».

Methodi investigationes vel experimenta peragendi, quae damna afferant vel gravia et haud proportionata pericula embryonibus *in vitro* productis imponant, ob easdem rationes illicitae habendae sunt. Cuilibet humanae creaturae propter se ipsam observantia debetur, neque haec tractanda atque aestimanda est solum sicut instrumentum in aliorum adhibendum. *Moralibus igitur normis contradicitur, si data opera embryones humani in vitro producti morti exponuntur.* Eo quod *in vitro* producti sunt, hi embryones, qui in matris corpus non translati « supranumerarii » vocantur, sorti absurdae obnoxii permanent, quippe quibus securae viae non pateant ad superstitem vitam, quas ingredi liceat.

6. QUOMODO IUDICANDAE SUNT CETERAE FORMAE ARTIFICIOSAE TRACTATIONIS EMBRYONUM, QUAE CONECTUNTUR CUM ((TECHNICIS RATIONIBUS HUMANAE PROCREATIONIS))?

Rationes technicae fecundationis *in vitro* aditum patefacere possunt ad alias formas artificiosae tractationis biologicae vel geneticae embryonum humanorum, cuiusmodi sunt. conatus vel proposita fecundationis inter hominum et animalium gamètes, et gestationis embryonum humanorum in uteris animalium; coniecturae vel consilia artificiales úteros fabricandi ad embryones excipiendos. *Huiusmodi procedendi rationes repugnant creaturae humanae dignitati quae ad embryonem spectat, simulque ius laedunt uniuscuiusque personae ut concipiatur et nascatur in matrimonio et ex matrimonio.*[32] *Conatus quoque vel coniecturae eo spectantes ut creatura humana gignatur absque ulla colligatione cum sexualitate per « fixionem gemellarem », donationem, parthenogenesim, uti aiunt, habenda sunt pro re morum honestati contraria, quippe quae cum dignitate sive procreationis humanae sive coniugalis coniunctionis nullo modo cohaereant.*

Ipsa *embryonum congelatio,* etsi peragatur ad embryones in vita conservandos — quod « crioconservationem » vocant — *observantiam violat viventibus humanis debitam,* cum eorum phisicam integritatem in gravia mortis vel damni pericula adducat, eos privet saltem ad tem-

[32] Nemo vindicare potest, antequam exsistat, ius subiectivum ad exsistentiam inchoandam; nihilominus, legitimum est affirmare ius pueri ad originem habendam plene humanam per conceptionem convenientem indoli personali creaturae humanae. Vita est donum tali dandum ratione, quae addeceat sive eum qui vitam accipit, sive illos qui eandem transmittunt. Haec explicatio prae oculis habeatur etiam quod attinet ad artificialem procreationem humanam, de qua subinde agendum erit.

pus materna receptione ac gestatione, eosdemque constituat talibus in adiunctis, ut inde via pateat ad novas violationes novasque artificiosas tractationes.

Nonnulli conatus interveniendi in patrimonio cromosomico vel genetico non sunt therapeutici, sed spectant ad viventes humanos gignendos, selectos secundum sexum vel alias proprietates iam antea praestitutas. Huiusmodi artificiosae tractationes adversantur personali humanae creaturae dignitati eiusque integritati atque identitati. Eaedem igitur nullo modo comprobari possunt ob commoda, quae in societatis humanae bonum forte inde obvenire posse praevideantur.[33] Quaelibet humana persona per se ipsam observanda est : in hoc dignitas et ius consistunt uniuscuiusque creaturae humanae inde ab ipsius initio.

II
INTERVENTUS IN HUMANA PROCREATIONE

« Procreationis artificialis » seu ((fecundationis artificialis » nomine hic intelleguntur variae technicae rationes eo spectantes, ut humanus conceptus habeatur modo diverso a sexuali coniunctione maris et feminae. Instructio agit de fecundatione ovuli in tubulo vitreo (dicunt « fecundationem *in vitro* »), ac de satione seminis arte quaesita, per depositionem spermatis, antea collecti, in viis mulieris genitalibus.

Ut autem de talibus technicis artibus iudicari possit secundum legem moralem, oportet sane prius considerentur sive adiuncta sive consectaria ex iis manentia, ratione habita observantiae erga humanum embryonem adhibendae. Usus enim invalescens fecundationis in vitro effecit ut innumerae habitae sint fecundationes et destructiones embryonum humanorum. Hodie quoque haec fecundatio communiter postulat, ut in muliere « hyperovulatio » excitetur: quaedam ovula secernuntur, fecundantur et aluntur in vitro per aliquot dies. Fieri autem solet, ut non omnes embryones collocentur in viis mulieris genitalibus; quare nonnulli embryonum illorum, quos « supranumerarios » appellant, aut destruuntur aut congelantur. Ex embryonibus autem in suo loco collocatis, aliqui variis de causis pereunt sive eugeneticis, sive oeconomicis, sive psychologicis. Talis voluntaria creaturarum humanarum clades, aut etiam illarum ad diversa usus, cum detrimento earum inte-

[33] **Cf. Ioannes Paulus II,** ***Sermo ad participes XXXV Sessionis Generalis Consociationis Medicae ex universo orbe,*** **die 29 Octobris 1983:** ***AAS*** **76 (1984), p. 391.**

gritatis ac vitae, abhorret omnino a doctrina quae memorata iam est, cum de procurato abortu est pertractatum.

Nexus qui inter fecundationem *in vitro* et voluntariam peremptionem humanorum embryonum intercedit, nimio plus usu venit. Id est significationis plenum : hisce enim artibus, quamquam contraria appetuntur, mors et vita tandem in hominis voluntatem rediguntur, qui hoc modo se vitae necisque auctorem constituit, idque alieno iussu. Haec dynamica conexio violentiae ac dominii fortasse nec ab iis quidem percipitur, qui hisce artibus uti volentes, eisdem revera deserviunt. Quare tum facta supra memorata, tum illorum coniunctio, humanitatis expers, plane considerentur oportet, ut morale iudicium fiat de methodo FIVET (hoc est de fecundatione ovuli in vitro et de embryonis translatione) : nam mentis habitus proclivis ad abortum, qui tandem ad haec conduxit, inducit etiam, velimus nolimus, ad dominium hominis in vita ac morte proximorum, ex quo nasci potest « eugenismus » ad extremam formam adductus.

Huiusmodi tamen abusus non sane nos eximunt, ne in ulteriore methodorum procreationis artificialis consideratione immoremur ut sunt in se, praetermissa videlicet nunc, quantum fieri potest, destructione embryonum qui *in vitro* producti sunt.

In hac igitur Instructione priores in medium venient quaestiones fecundationis artificialis heterologae (II, 1-3)* ; illae, deinde, quae cum fecundatione artificiali homologa conectuntur (II, 4-6)**.

* Instructio per verba *fecundatio* seu *procreatio artificialis heterologa* varias rationes intellegit quibus ope technicae artis humanus conceptus obtinetur adhibitis gametibus qui, saltem ex una parte, proveniunt a donatore diverso a coniugibus, qui matrimonio copulantur. Eae artes, seu technicae rationes, binae esse possunt:

a) *FIVET heterologa:* ars technica in qua conceptus humanus expetitur per concursum gametum in vitro qui, saltem ex una parte, e donatore proveniant, qui non sit e numero coniugum, qui matrimonio iunguntur.

b) Seminatio artificialis heterologa : ars technica eo spectans, ut conceptus humanus obtineatur per depositionem virilis seminis, nempe antea collecti, in viis mulieris genitalibus, e donatore qui non sit maritus.

** Nomine *fecundationis* seu *procreationis artificialis homologae* Instructio technicam artem intellegit, cuius ope humanus conceptus expetitur adhibitis gametibus duorum coniugum matrimonium iunctorum. Fecundatio artificialis homologa duobus modis obtineri potest:

a) *FIVET homologa:* ars technica qua conceptus humanus quaeritur per concursum in vitro gametum qui pertinent ad ipsos coniuges matrimonio iunctos.

b) *Seminatio artificialis homologa:* ars technica eo respiciens, ut humanus conceptus habeatur deponendo in viis genitalibus coniugatae mulieris semen mariti, antea collectum.

Antequam autem morale iudicium feratur de utraque quaestione, principia ac bona ordinis moralis exponuntur, e quibus dependet moralis aestimatio uniuscuiusque harum procedendi rationum.

A.
FECUNDATIO ARTIFICIALIS HETEROLOGA

1. CUR HUMANA PROCREATIO IN MATRIMONIO FIERI DEBEAT?

Quaevis humana creatura est semper tamquam Dei donum ac benedictio accipienda. Attamen, si ad moralia principia spectetur, dicendum est procreationem vere consciam erga nasciturum e solo matrimonio oriri posse.

Humana enim procreatio notis omnino propriis ab aliis distinguitur ob personalem dignitatem sive parentum sive filiorum : nam novae personae procreatio, in qua vir mulierque suam cum potentia Creatoris operam sociant, oportet sit simul fructus atque signum mutuae coniugum donationis, simul amoris atque fidelitatis eorum.[34] *Coniugum autem fidelitas, in unitate matrimonii, secumfert mutuam observantiam erga ius utriuslibet, ad hoc ut alter pater aut mater fiat solummodo per alterum.*

Filius ius habet ut concipiatur, alvo contineatur, nascatur, educetur in matrimonio : is solummodo ad suos parentes referendo, certa atque publica ratione identitatem suam cognoscere potest, atque suam hominis formationem ad maturitatem perducere.

Parentes autem reperient in filio confirmationem atque complementum mutuae suae ipsorum donationis : est enim ille spirans amoris illorum imago, signum perpetuum coniugalis coniunctionis, summa seu synthesis vivens atque indissolubilis paternitatis ac maternitatis illorum.[35]

Vi autem socialis vocationis personae eiusque socialium officiorum, bonum filiorum ac parentum sane confert ad bonum civilis societatis, cuius vitae prosperitas et aequilibritas id poscunt, ut filii enascantur in gremio familiae, et haec in matrimonio stabili innitatur.

Traditio Ecclesiae atque consideratio anthropologica solummodo in matrimonio in eiusque indissolubili vinculo agnoscunt dignam sedem vere consciae procreationis.

[34] Cf. Const. past. *Gaudium et spes,* 50.

[35] Cf. Ioannes Paulus II, Adhort. Apost. *Familiaris consortio,* 14: *AAS* 74 (1982), p. 96.

2. **FECUNDATIO ARTIFICIALIS HETEROLOGA CONGRUITNE CUM DIGNITATE CONIUGUM CUMQUE MATRIMONII VERITATE?**

In methodo FIVET et in seminatione artificiali heterologa humanus conceptus fit per concursum gametum, qui saltem ex una parte e donante proveniant qui sit diversus a coniugibus. *At fecundatio artificialis heterologa tum unitati matrimonii, tum coniugum dignitati, tum vocationi parentum propriae aperte contradicit, itemque iuri filii ad quem spectat ut et concipiatur et enascatur in matrimonio et per matrimonium.*[36]

Reverentia erga matrimonii unitatem et fidem coniugalem id poscit, ut filius in matrimonio concipiatur. Vinculum, quod inter coniuges intercedit, ius exclusivum dat illis obiectivum atque inalienabile, ut uterque fiat pater et mater nonnisi per alterum.[37] Usus gametum extraneae personae, ut ovulum aut sperma comparentur, iam foedus frangit coniugum mutuum, graviterque violat praecipuam matrimonii dotem, quae in unitate consistit.

Fecundatio artificialis heterologa filii iura laedit : privat, enim illum naturali illa necessitudine, quae inter filium et parentes intercedit, atque officere potest illius personae maturationi. Ad hoc, talis procreatio communem offendit coniugum vocationem, utpote qui ad paternitatem atque maternitatem vocentur; ipsam fecunditatem unitate et integritate re vera destituit ; divortium inducit ac prodit inter cognationem ex generatione, cognationem ex praegnatione, et munus edu-

[36] Cf. Pius XII, *Sermo ad participes IV Conventus Internationalis Medicorum Catholicorum,* die 30 Septembris 1949: *AAS* 41 (1949), p. 559. Iuxta Creatoris consilium, « relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » *(Gen* 2, 24). Unitas matrimonii, colligata cum ordine creationis, est veritas pervia naturali rationi. Traditio et Ecclesiae Magisterium saepenumero ad librum *Genesis* provocant, sive directe sive adhibitis locis N. T. qui ad illum referuntur : *Mt* 19, 4-6; *Me* 10, 5-8; *Eph* 5, 31. Cf. Athenagoras, *Legatio pro christianis,* 33: *PG* 6, 965-967; S. Ioannes Chysostomus, *In Matthaeum Homiliae,* LXII, 19, 1: *PG* 58, 597; S. Leo Magnus, *Ep. ad Rusticum,* 4: *PL* 54, 1204; Innocentius III, *Epist. Gaudemus in Domino: Ds* 778; *Concil. Lugdunense* II, IV Sess.: *DS* 860; *Concil. Tridentinum,* XXIV Sess: *DS* 1798, 1802; Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae: AAS* 12 (1879-80), pp. 388-391; Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii: AAS* 22 (1930), pp. 546-547; Concilium Vaticanum II, Const. past. *Gaudium et spes,* 48; Ioannes Paulus II, Adhort. Apost. *Familiaris consortio,* 19: *AAS* 74 (1982), pp. 101-102; *C.I.C.,* Can. 1056.

[37] Cf. Pius XII, *Sermo ad participes IV Conventus Internationalis Medicorum Catholicorum,* die 29 Septembris 1949: *AAS* 41 (1949), p. 560; *Sermo ad Mulieres Ostetrices Unionis Catholicae Italicae in Conventu adunatae,* die 29 Octobris 1951: *AAS* 43 (1951), p. 850; *C.I.C,* Can. 1134.

candi. Ceterum, necessitudinum corruptio quae intercedunt inter personas familiae, in civilem etiam societatem redundat : quidquid enim unitatem stabilitatemque familiae corrumpit, id est etiam origo dissensionum, perturbationum atque iniustitiarum in tota sociali compagine.

Haec omnia sane inducunt, ut nonnisi severum iudicium morale de fecunditate artificiali heterologa detur. Quare est moraliter illicita fecundatio mulieris spermate facta viri donantis, qui sit diversus a coniuge; item et fecundatio quae fiat per maritale sperma cum ovulo non propriae mulieris. Praeterea nullimode probari potest fecundatio mulieris non coniugatae, sive nubilis est sive vidua, e quovis donatore.

Nimirum filii habendi desiderium et amor coniugum volentium perpetuae sterilitati obviam ire, cui alio modo mederi non possunt, consideratione sane digna sunt ; sed bona in se voluntas non profecto efficere potest, ut fecundatio artificialis heterologa iudicari possit conveniens qualitatibus matrimonii propriis atque inalienabilibus, pariterque observans iurium filiorum atque coniugum.

3. MATERNITAS ((SUBSTITUTIVA)) * ESTNE MORALITER LICITA?

Nullatenus; et id quidem iisdem de causis, quibus est fecundatio artificialis heterologa reicienda: opponitur enim tum unitati matrimonii, tum etiam dignitati procreationis personae humanae.

A maternitate substitutiva enim abest verum fundamentum, in quo innitantur obligationes propriae tum amoris materni, tum coniugalis fidelitatis, tum consciae maternitatis. Laedit praeterea talis maternitas filii dignitatem, cui ius est ut concipiatur, feratur in sinu, edatur, a parentibusque educetur ; eadem divisionem quoque gignit, nimirum cum detrimento familiarum, elementorum physicorum, psychicorum atque moralium, e quibus familiae ipsae coalescunt.

* Coniunctis verbis *mater substitutiva* Instructio intendit:

a) mulierem, embryonem gestantem, qui arte in eius sinu collocatus est, quique proinde, spectatis geneticae legibus, ei extraneus est, cum obtentus fuerit per concursum gametum donatorum extraneorum, et ea quidem lege, ut puer qui nascetur ei tradatur qui talem pregnationem commiserit vel pacto mandaverit.

b) mulierem, embryonem gestantem, cuius procreationi ipsa proprio contulit ovulo, et quidem per seminationem spermatis viri fecundato, qui est alius a marito, ea item lege, ut puer, cum natus fuerit, ei tradatur qui pregnationem commiserit vel pacto mandaverit.

B.
FECUNDATIO ARTIFICIALIS HOMOLOGA

Reprobata fecundatione artificiali heterologa, iam quaeritur quo modo, iuxta leges morales, iudicari debeant artes et viae fecundationis artificialis homologae, id est methodus FIVET atque seminatio artificialis inter coniuges. Quam ad rem oportet sane ut, prooemii ritu, quaestio enucleetur, quae ad ipsa principia pertinet.

4. QUI NEXUS INTERCEDERE DEBEAT, AD MORUM LEGES, INTER PROCREATIONEM ET ACTUM CONIUGUM PROPRIUM?

a) Doctrina Ecclesiae de matrimonio deque humana procreatione docet esse nexum indissolubilem « a Deo statutum, quem homini sua sponte infrangere non licet, inter significationem unitatis et significationem procreationis, quae ambae in actu coniugali insunt. Etenim propter intimam suam rationem, coniugii actus, dum maritum et uxorem artissimo sociat vinculo, eos idoneos etiam facit ad novam vitam gignendam, secundum leges in ipsa viri et mulieris natura inscriptas ».[38] Ex quo principio, in ipsa matrimonii natura innixo atque in intima conexione bonorum eius, bene cognita consectaria enascuntur, quae paternitatem consciamque maternitatem respiciunt. « Quodsi utraque eiusmodi essentialis ratio, unitatis videlicet et procreationis, servatur, usus matrimonii sensum mutui verique amoris suumque ordinem ad celsissimum paternitatis munus omnino retinet, ad quod homo vocatur ».[39]

Eadem doctrina quae vincula intercedere ostendit inter significationes actus coniugalis et bona matrimonii propria, quaestionem moralem illustrat de fecundatione artificiali homologa : siquidem <(nunquam fas est hos diversos aspectus ita separare, ut consulto excludantur vel intentio procreandi vel coniugum coitus tt.[40]

Methodi contra conceptionem ex industria impendiunt, ne actus coniugalis pateat ad procreationem, atque idcirco efficiunt ut voluntarie fines matrimonii dissocientur. Fecundatio vero artificialis homologa, procreationem persequens quae non ex actu proprio unionis

[38] Paulus VI, Litt. Encycl. *Humanae vitae,* 12: *AAS* 60 (1968), pp. 488-489.

[39] Loco mem. *ibid.* 489.

[40] Pius XII, *Sermo ad participes II Conventus ex universo orbe de fecunditate et sterilitate humana, Neapoli celebrati,* die 19 Maii 1956: *AAS* 48 (1956), p. 470.

coniugalis consequitur, obiective separationem analogam operatur inter bona atque significationes matrimonii.

Quare, *ea fecundatio licite appetitur, quae manat ex actu coniugali qui natura sua aptus sit « ad prolis generationem, ad quem natura sua ordinatur matrimonium, et quo coniuges fiunt una caro ».*[41] *Eadem vero procreatio tunc debita sua perfectione destituitur sub aspectu morali, cum animo non intenditur ut fructus coniugalis actus seu illius gestus qui est proprius unionis coniugum.* —

b) Morale autem momentum interioris vinculi intercedentis inter matrimonii bona et sensus actus coniugalis, innititur in unitate hominis, qui corpore et anima spirituali coalescit.[42] Coniuges mutuum personalem amorem ostendunt <(lingua corporis propria », quae clare simul secumfert significationem « sponsalem », uti dicunt.[43] Coniugalis actus, quo coniuges mutuo donum sui manifestant, exprimit simul in se viam patere ad donum vitae communicandum : est actus indivisibiliter corporalis ac spiritualis. In corpore atque per corpus coniuges matrimonium exercent, ac possunt pater materque fieri. Ut autem lingua corporum eorumque naturalis significationum ubertas serventur, oportet coniunctio coniugalis ita fiat, ut pateat ad procreationem, et procreatio personae humanae sit fructus pariter ac terminus coniugalis amoris. Itaque origo creaturae humanae proficiscitur e tali procreatone « quae nectitur cum unione non modo biologica, sed etiam spirituali parentum, matrimonio vinculo iugatorum ».[44] Fecundatio quae extra corpus coniugum obtineatur, ob id ipsum tum significationibus tum valoribus caret, quae corporum lingua atque coniunctione personarum humanarum exprimuntur.

c) Praeterea solummodo observantia erga vinculum quod inter significationes actus coniugalis intercedit, et observantia erga viventis humani unitatem id efficiunt, ut procreatio habeatur, quae congruat cum humanae personae dignitate. In sua origine, quae unica est atque iterari nequit, filius, quoad dignitatem personae, oportet honoretur et agnoscatur aequalis iis, qui ei vitam largiuntur. Persona humana exci-

[41] *C.I.C.,* Can. 1061. Iuxta huius canonis tenorem, actus coniugalis ille est per quem matrimonium consummatur, si illum coniuges « inter se humano modo posuerunt ».

[42] Cf. Const, past. *Gaudium et spes,* 14

[43] Cf. Ioannes Paulus II, in Audientia Generali habita die 16 Ianuarii 1980: *Insegnamenti di Giovanni Paulo II,* III 1 (1980), pp. 148-152.

[44] Ioannes Paulus II, *Sermo ad participes XXXV Sessionis Generalis Consociationis Medicae ex universo orbe,* die 29 Octobris 1983: *AAS* 76 (1984), p. 393.

pienda est per gestum unionis et amoris suorum parentum ; ac proinde filii generatio oportet sit mutuae donationis fructus,[45] quae comitatur actum coniugalem, in quo quidem coniuges non tamquam domini, sed servorum instar operi Amoris Creatoris sociantur.[46]

Origo humanae personae est reapse donationis effectus ; conceptusque filius oportet sit fructus amoris suorum parentum. Nequit autem is aut appeti aut concipi tamquam medicarum et biologicarum artium effectus ; hoc enim idem esset ac hominem reddere quiddam obnoxium scientiae technologicae. At nemo potest pueri ortum obnoxium facere condicionibus efficacitatis technicae, quae ad normas inspectionis ac dominii mensuratur.

Morale igitur momentum nexus intercedentis inter significationes actus coniugalis et bona matrimonii, itemque unitas humanae creaturae atque dignitas eius originis, id poscunt ut humanae personae procreatio habeatur veluti fructus actus coniugalis, qui est nota propria mutui coniugum amoris. Vinculum ergo procreationem cum actu coniugali copulans, est sane res magni momenti in campo tum anthropologico tum etiam morali ; idque causa est, cur Ecclesiae Magisterium erga fecundationem artificialem homologam ita se habeat.

5. FECUNDATIO HOMOLOGA IN VITRO ESTNE MORALITER LICITA?

Responsio huic interrogationi stricte conectitur cum principiis modo expositis. Non sane neglegi possunt legitima sterilium coniugum desideria; eorum nonnullis methodus FIVET homologa videtur unica ratio obtinendae prolis tantopere desideratae. Iam quaeritur utrum in his condicionibus iam tota coniugalis vita in se considerata non satis sit ad tuendam illam dignitatem, quae procreationem humanam addeceat. Agnoscitur methodum FIVET certe supplere non posse actuum coniugalium absentiam,[47] nec praeferri posse actibus matrimonii propriis, ob pericula quibus proles fit obvia, et ob incommoda quae hisce procedendi viis ac rationibus inhaerent. At, cum nulla prorsus alia suppetant remedia sterilitatis, quae angoris causa est,

[45] Cf. Const. past. *Gaudium et spes,* 51.

[46] Cf. Const. past. *Gaudium et spes,* 50.

[47] Cf. Pius XII, *Sermo ad participes IV Conventus Internationalis Medicorum Catholicorum,* die 29 Septembris 1949: *AAS* 41 (1949), p. 560: «Falsum est id putare, quod scilicet copia data adhibendi hoc medium (fecundationem artificialem) validum reddere possit matrimonium inter eos, qui illud contrahendi non sunt capaces propter impedimentum impotentiae ».

quaeritur utrum hisce in adiunctis fecundatio homologa *iri vitro* considerari possit auxilium, si non therapia, vi cuius possit admitti eius moralis liceitas.

Desiderium prolis, vel saltem animus dispositus ad vitam communicandam, necessario requiritur ut, secundum legem moralem, conscia humana procreatio haberi queat. At bona huiusmodi voluntas satis non est, ut exinde concludatur licitam esse inter coniuges fecundationem in vitro. Procedendi modus in methodo FIVET adhibitus prout est in se aestimari oportet, atque ultimum de eius liceitate iudicium erui non potest neque a tota coniugali vita, cui hic processus inseritur, neque ab actibus coniugalibus antea positis vel postea ponendis.[48]

Iam supra dictum est methodum FIVET, uti peragitur in communibus rerum adiunctis, secumferre creaturarum humanarum interfectionem, quod quidem doctrinae iam memoratae de abortus illiceitate adversatur.[49] Attamen, etiamsi omnes adhibeantur cautiones ad embryonum humanorum mortem vitandam, methodus FIVET homologa separationem inducit gestuum qui spectant ad humanam actus coniugalis fecundationem. Natura igitur propria methodi FIVET homologae consideranda erit etiam seorsum ab eius nexu cum abortu procurato.

Methodus FIVET homologa ad actum deducitur extra coniugum corpus, opera aliorum, a quorum scientia atque technica arte prosper exitus interventus dependet; eadem vitam identitatemque embryonum humanorum in potestatem redegit medicorum atque biologorum, sicque rei technicae dominatum quemdam in personae humanae originem et sortem instaurat. Huiusmodi dominatus suapte natura contradicit dignitati et aequalitati, quae parentibus et filiis communes esse debent.

Conceptio in vitro est effectus actionis technicae, per quem evenit fecundatio ; ea autem *neque re vera obtinetur, neque consulto appetitur tamquam manifestatio ac fructus actus qui est proprius coniunctionis coniugalis. In methodo FIVET homologa, igitur, etsi consideretur in contextu actuum coniugalium qui reapse exsistunt, nihilominus generatio personae humanae obiective destituitur perfectione sibi propria, qua scilicet illa est terminus et fructus actus coniugalis,* per quem coniuges fieri possunt « Dei cooperatores tradendo vitae donum novo alicui homini ».[50]

[48] Similis quaestio pertractata est a Paulo VI, Litt. Encycl. *Humanae vitae* 14: *AAS* 60 (1968), pp. 490-491.

[49] Cf. *supra* I, p. 1 seq.

[50] Ioannes Paulus II, Adhort. Apost. *Familiaris consortio,* 14: *AAS* 74 (1982), p. 96.

Ex hisce rationibus intellegitur, cur Ecclesia doceat actum coniugalis amoris habendum esse unicum locum dignum procreationis humanae. Iisdem de causis, « casus simplex », quem vocant, scilicet ille procedendi modus methodi FIVET homologae, in quo prorsus desunt tum praxis abortiva embryones destruendi tum masturbatio, permanet ratio technica moraliter illicita, quippe quae procreationem humanam privet perfectione, quae est ipsi propria atque congenita.

Fatendum sane est in methodum FIVET homologam non cadere omnia admissa contra morum honestatem, quae deprehenduntur in procreatone extra matrimonium effecta; familia enim et matrimonium pergunt esse ambitus, in quo filiorum nativitas et educatio continentur. Attamen, iuxta traditam doctrinam de matrimonii bonis et de personae humanae dignitate, *morale Ecclesiae iudicium perstat contrarium fecundatio ni homologae in vitro; haec est intrinsecus illicita, ac dignitati procreationis et coniunctionis coniugalis tunc etiam repugnat, cum nihil omittitur ut embryonis mors praecaveatur.*

Etsi nullo modo probari possit agendi ratio, qua conceptio humana obtinetur per methodum FIVET, nihilominus puer in lucem editus excipi debet tamquam vivens Bonitatis divinae donum, et cum amore est educandus.

6. **QUOMODO SECUNDUM LEGEM MORALEM AESTIMANDA EST SEMINATIO ARTIFICIALIS HOMOLOGA?**

Seminatio artificialis homologa intra ambitum matrimonii admitti nequit, excepto casu in quo apparatus technicus non sit substitutivus actus coniugalis, sed se praebeat ut adiumentum ad naturalem eius finem facilius assequendum.

Ad rem quod attinet, *Magisterii doctrina iam explicata est* : [51] haec autem non solum peculiares exprimit temporis condiciones, sed innititur tum in ipsa Ecclesiae doctrina circa nexum inter unionem coniugalem et procreationem humanam, tum etiam in consideratione indolis per-

[51] Cf. *Responsio S. Officii,* die 17 Martii 1897: *DS* 3323; Pius XII, *Sermo ad participes IV Conventus Internationalis Medicorum Catholicorum,* die 29 Septembris 1949: *AAS* 41 (1949), p. 560; *Sermo ad participes Conventus Unionis Catholicae Italicae Obstetricium,* die 29 Octobris 1951: *AAS* 43 (1951), 850; *Sermo ad participes II Conventus ex universo orbe de fertilitate et sterilitate humana, Neapoli celebrati,* die 19 Maii 1956: *AAS* 48 (1956), pp. 471-473; *Sermo ad participes VII Conventus Internationalis indicti a Consociatione Internationali de Haematologia,* die 12 Septembris 1958: *AAS* 50 (1958!, p. 733; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et magistra,* III: *AAS* 53 (1961), p. 477.

sonalis, quae ad actum coniugalem et ad procreationem humanam pertinet. ((Actus coniugalis, quoad suam naturalem structuram, est actio personalis, itemque simultanea atque immediata coniugum cooperatio, quae quidem, ob ipsam agentium naturam et propriam actus indolem, illam exprimit mutuam donationem, qua, iuxta Sacram Scripturam, efficitur unio "in carne una" ».[52] Conscientia moralis, igitur, « non necessario damnat usum quorumdam mediorum artificialium eo unice spectantium, ut actus naturalis facilius perficiatur, utque idem actus rite expletus finem suum consequi possit ».[53] Quare, si medium technicum faciliorem reddit actum coniugalem aut eum adiuvat ad fines suos naturales assequendos, licite adhiberi potest. Si, ex contrario, est substitutivum actus coniugalis, lege morali prohibetur.

Seminatio artificialis, substitutiva actus coniugalis, vetita est, quippe quae separationem voluntarie inducat inter binas coniugalis actus significationes. Masturbatio, (pia sperma procurari solet, aliud signum est huiusmodi separationis ; hic gestus, etiamsi ad procreationem obtinendam ponatur, semper tamen perstat sua significatione unitiva destitutus: «In eo namque deest relatio sexualis, quae ordine morali postulatur, quae nempe ad effectum deducit integrum sensum mutuae donationis ac humanae procreationis in contextu veri amoris ».[54]

7. QUODNAM CRITERIUM MORALE ADHIBENDUM EST CIRCA MEDICI INTERVENTUM IN HUMANA 1'ROCREATIONE?

Actus a medico positus aestimandis est non tantum quoad solam eius rationem technicam, sed etiam ac praesertim quoad eius finem, qui respicere debet bonum personarum earumque corporis et animi sanitatem. Criteria autem moralia, quibus medici interventus dirigantur oportet in procreatone, desumuntur a personarum humanarum dignitate, ab earum sexualitate et ab earundem ortu.

Ars medica, cui propositum sit integro personae humanae bono

[52] Pius XII, *Sermo ad participes Conventus Unionis Catholicae Italicae Obstetricium,* die 29 Octobris 1951: *AAS* 43 (1951), p. 850.

[53] Pius XII, *Sermo ad participes IV Conventus Internationalis Medicorum Catholicorum,* die 29 Septembris 1949: *AAS* 41 (1949), p. 560.

[54] Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei, *Declaratio de quibusdam quaestionibus ethicae servatis,* 9: *AAS* 68 (1976), p. 86, ubi citatur Const. past. *Gaudium et spes,* 51; Cf. *Decretum S. Officii,* die 2 Augusti 1929: *AAS* 21 (1929), p. 490; Pius XII, *Sermo ad participes XXVI Conventus indicti a Consociatione Italica de Urologia,* die 8 Octobris 1953: *AAS* 45 (1953), p. 678.

deservire, bona proprie humana sexualitatis tueri debet.[55] *Medicus munere fungitur deserviendi bono personarum et humanae procreationi; quoad haec, ille nec disponendi nec decernendi potestatem habet.* Medicus interventus tunc personarum dignitatem tuetur, cum actum coniugalem adiuvare studet, sive ut facilius expleatur, sive ut idem, iam rite expletus, finem suum assequi possit.[56]

Ex contrario, quandoque fit ut medicus interventus, artis technicae ope, substitutivus sit actus coniugalis ad procreationem obtinendam, quae propterea neque effectus est neque fructus eiusdem actus : quo in casu, actus medicus non videtur deservire, sicut oportet, coniugali iunctioni, sed procreandi munus sibi arrogat, sicque dignitati atque inalienabilibus iuribus coniugum ac nascituri contradicit.

Humanior artis medicae ratio, quae ab omnibus hodie instanter expostulatur, exigit ut in tuto ponatur integra personae humanae dignitas, praesertim in eo actu in eoque temporis momento, quo coniuges novae personae vitam transmittunt. Consentaneum igitur est, hac data occasione, instantem etiam adhortationem medicis rerumque naturae investigatoribus catholicis admoveri ut exemplo suo praeclarum exhibeant testimonium observantiae, quae embryoni humano et procreationis dignitati debetur. Peculiari modo apud catholica valetudinaria ac nosocomia, medicorum coetus ceterique omnes qui infirmorum curae sunt addicti, invitantur ut cum honore suscepta moralia officia persolvant, quibus ipsi saepe etiam vi statutorum instituti obstringuntur. Valetudinariorum denique nosocomiorumque catholicorum moderatores, qui saepe ad religiosas familias pertinent, sedulam adhibeant curam, ut obtemperatio moralibus normis, quae per hanc Instructionem impertitae sunt, in tuto ponantur ac promoveantur.

8. DOLOR EX CONIUGALI STERILITATE.

Coniuges, qui procreare prolem non valent, vel timent ne liberos gignant impeditus, dolore anguntur, qui ab omnibus intellegi et adaequate perpendi debet.

Congruum naturae est coniuges filium desiderare : id manifestat vocationem ad paternitatem et ad maternitatem insitam amori coniugali. Hoc autem desiderium vehementius etiam fieri potest, si coniuges

[55] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* III: *AAS* 53 (1961), p. 447.

[56] Cf. Pius XII, *Sermo ad participes IV Conventus Internationalis Medicorum Catholicorum,* die 29 Septembris 1949: *AAS* 41 (1949), p. 560.

sterilitate laborant, quae insanabilis apparet. Matrimonium tamen minime coniugibus ius confert ad filium habendum, sed ius dat dumtaxat ad actus naturales ponendos, qui per se ad procreationem ordinantur.[57]

Verum ac proprium ius ad filium, ipsius filii dignitati atque naturae adversatur. Filius nullo modo aliquid est quod debetur, neque considerari potest ut obiectum proprietatis; ipse potius est donum, et quidem « praestantissimum »[58] *et maxime gratuitum matrimonii, idemque vivens est testimonium mutuae donationis eius parentum. Qua de causa, filius — ut supra memoratum est — ius habet ad exsistendum tamquam fructus proveniens ex actu coniugalis amoris proprio suorum parentum, idemque ius habet ad observantiam sibi tamquam personae tribuendam inde a momento conceptionis.*

Nihilominus sterilitas, quaecumque est eius causa ac prognosis, casus acerbus profecto est. Christiana communitas vocatur ad illuminandum tolerabilemque reddendum dolorem eorum, quibus datum non est legitimum maternitatis ac paternitatis desiderium explere. Coniuges autem, qui in his dolendis rerum adiunctis versantur, vicissim vocantur ad cernendam in iisdem adiunctis occasionem sibi oblatam sese peculiari modo iungendi cruci Domini, quae spiritualis fecunditatis fons est. Iisdem praeterea obliviscendum non est « etiam cum procreatio evenire non possit, non eam ob causam sua praestantia destitui vitam coniugalem. Corporis enim sterilitas occasio coniugibus esse potest aliorum magni momenti ministeriorum personae humanae praestandorum, cuius generis sunt adoptio variaeque rationes educandi operum, auxilia aliis familiis vel infantibus pauperibus impeditisve praestanda ».[59]

Plures scientiae investigatores studia sua conferunt ad sterilitatem debellandam. Eorum nonnulli, plana salva dignitate procreationis humanae, tales exitus consecuti sunt, qui anteactis temporibus nullo modo attingi posse videbantur. Scientiarum periti, igitur, adhortandi sunt ad suas investigationes prosequendas, ducti proposito sterilitatis causas praeveniendi vel iisdem remedia comparandi, ita quidem, ut coniuges steriles ad procreandum habiles fiant, sua ipsorum ac nascituri personali dignitate servata.

[57] Cf. Pius XII, *Sermo ad participes II Conventus ex universo orbe de fertilitate et sterilitate humana, Neapoli celebrati,* die 19 Maii 1956: *AAS* 48 (1956), pp. 471-473.

[58] Const. past. *Gaudium et spes,* 50.

[59] Ioannes Paulus II, Adhort. Apost. *Familiaris consortio,* 14: *AAS* 74 (1982), p. 97.

III
DE RE MORALI AC CIVILI LEGE

BONA ATQUE OBLIGATIONES MORALIA LEGE CIVILI OBSERVANDA AC SANCIENDA IN HAC MATERIA

Ius inviolabile ad vitam uniuscuiusque hominis innocentis atque iura familiae institutique matrimonialis, bona moralia fundamentalia censenda sunt, quippe quae condicionem naturalem et integram vocationem personae humanae respiciant; suntque simul elementa quae pertinent ad ipsam civilis societatis structuram atque ordinationem.

Hac de causa, nova quae progrediens res technica portendit fieri posse in campo scientiae biomedicae, requirunt ut ii, penes quos sunt civilia munera et potestas leges ferendi, auctoritatem suam interponant, quia harum technicarum rationum usus, vigilantiae non obnoxius, perducere poterit ad consectaria, quae praevideri nequeunt, et detrimentum afferre civili societati. Appellatio ad uniuscuiusque conscientiam et ad normas sibi voluntarie impositas, a scientiae investigatoribus satis non sunt ad personalia iura et reipublicae ordinem tuenda. Si legislator, in quem onus communis boni recidit, invigilare omittat, ipse expoliari possit suis praerogativis ab investigatoribus arrogantibus sibi munus gubernandi homines, nomine novorum inventorum biologicorum et <(prospérions vitae condicionum », quae praesumuntur ex illis manare. Ita « eugenismus » et iniusta inter creaturas humanas discrimina rata haberi possint ; id vim gravemque iniuriam inferat aequalitati, dignitati et primariis iuribus personae humanae.

Publicae auctoritatis interventus obtemperare debet principiis rationis, quibus necessitudines reguntur inter civilem legem et legem moralem. Civilis legis munus est in tuto ponere commune hominum bonum per agnitionem et defensionem iurium fundamentalium, atque pacis et publicae morum honestatis promotionem.[60] In nullo vitae spatio lex civilis se substituere potest in locum conscientiae, nec normas edere, quae ipsius competentiam excedant ; interdum, ad civitatis ordinem servandum, ea tolerare cogitur quae prohibere non valet sine gravioris mali periculo. Attamen inalienabilia personae iura agnosci atque observari debent a civili societate et a publicis auctoritatibus. Quae iura

[60] Cf. Declar. *Dignitatis humanae,* 7.

neque a singulis hominibus pendent, neque a parentibus, ac ne sunt quidem concessio a societate et a Civitate facta : verum ea pertinent ad humanam naturam, atque personae inhaerent vi creatricis actionis, a qua persona ipsa originem duxit.

Inter haec fundamentalia iura, ad rem quod attinet, recolere oportet : *a)* ius ad vitam et ad corporis integritatem, quo unaquaeque creatura humana gaudet a conceptionis momento usque ad mortem ; *b)* iura familiae et matrimonii quatenus sunt instituta atque, intra hunc ambitum, ius filii ut concipiatur, in lucem edatur et educetur a parentibus suis. Circa singula haec duo argumenta necesse est quaedam fusius explicare.

In variis Nationibus nonnullae leges latae sunt, quibus rata habetur directa occisio innocentium : cum lex civilis cuidam hominum coetui praesidium aufert, quod lex praebere debet, eo ipso tunc respublica negat omnium civium aequalitatem coram lege. Cum respublica vim suam non adhibet ad iura uniuscuiusque civis tuenda, maxime debiliorum, tunc labefiunt ipsa ipsa fundamenta Civitatis legitime constitutae. Inde sequitur, ut auctoritas publica probare nequeat creaturas humanas ad exsistendum vocari iis viis ac rationibus, quae ad gravissima pericula supra exposita eas adducant. Quodsi lex civilis et publicae auctoritates forte approbent technicas rationes artificiose vitam communicandi et experimenta eis conexa, hinc profecto fiat, ut latius iter illud patefiat, quod calamitose apertum est per abortus ratihabitionem.

Ex observantia atque tutela quae nascituro debentur, inde a conceptionis momento, consequitur ut lex congruas poenas praevideat contra quamlibet deliberatam violationem iurium ipsius. Lex tolerare non poterit — immo expresse vetare debebit — creaturas humanas, licet in statu embryonis viventes, tamquam res tractari experimentis obnoxias, mutilari vel destrui, praetextu allato eas superfluas esse aut ineptas ad maturitatem rite assequendam.

Auctoritatis publicae munus est instituto familiari, in quo societas nititur, tutelam iuridicam praebere, ad quam ius habet. Cum auctoritas publica ministrare debeat personis, eo ipso etiam familiae ministrare tenetur.

Lex civilis sponsionem facere non poterit de methodis artificiosae procreationis, quibus in commodum aliorum (qui sunt medici, biologi, rei oeconomicae vel Civitatis moderatores) id subtrahitur, quod est

ius inhaerens mutuae inter coniuges relationi; itemque ratum habere non poterit gametum donum inter eos qui non sint legitimo matrimonio iuncti.

Praeterea leges, utpote quod spectent ad domestici convictus tutelam, vetare debebunt mensas embryonum, seminationem post mortem, « maternitatem substitutivam ».

Inter propria publicae auctoritatis officia,- hoc etiam recensendum est, quod ipsa ita operari debet, ut lex civilis conformetur normis fundamentalibus legis moralis in iis quae attinent ad iura hominis, humanae vitae et instituti familiaris. Viri publicae rei addicti oportebit dent operam ut, populi opinionem permovendo, de his rebus summi momenti quam latissimus societatis consensus obtineatur, idemque solidetur, ubi debilitari aut deficere videatur.

In multis regionibus ratihabitio abortus ac tolerantia iuridica erga virorum ac mulierum paria quae matrimonio iuncta non sunt, difficiliorem efficiunt iurium fundamentalium observantiam, quae in hac Instructione affirmata sunt. In votis est, ut Nationes onus in se ipsas ne recipiant graviores reddendi has iniustas rerum condiciones, sociali bono perniciosas. Ex contrario, optandum est ut Nationes ac Civitates consciae fiant, quantopere methodi artificiosae procreationis vim habeant, quod attinet ad culturam, ad cogitandi modos et ad rem politicam; simulque eaedem sapientiam et animum invenire queant, quibus opus est ad leges ferendas, quae iustitiae magis congruant vitamque humanam ac familiare institutum efficacius observent.

Leges civiles plurium Nationum hodie, secundum multorum opinionem, certis rei technicae methodis approbationem concedunt, quae non debetur ; eaedem ineptas se praebent ad tuendam eam morum honestatem, quae respondet naturalibus postulatis personae humanae ac « legibus non scriptis », quae a Creatore in corde hominis inditae sunt. Omnes bonae voluntatis homines operam praestare debent, peculiari modo in suae quisque professionis sede et in suorum civilium iurium exercitio, ut civiles leges moraliter improbandae reformentur, et illiciti technicarum artium usus emendetur. Praeterea, contra huiusmodi leges proponenda atque agnoscenda est « obiectio conscientiae », quam vocant. Acrius etiam a multis, praesertim a scientiarum biomedicarum peritis, persentiri coepta est instantia moralis conscientiae quae poscit, ut per « resistentiam passivam », uti dicunt, obsistatur iuridicae approbationi earum technicarum rationum, quae hominis vitae ac dignitati adversantur.

CONCLUSIO

Diffusio technicarum artium spectantes interventus in humanae procreationis processibus gravissima gignit moralia problemata, quod attinet ad observantiam creaturae humanae debitam inde ab eius conceptione, atque ad dignitatem personae, eius sexualitatis vitaeque transmissionis.

Hoc documento Congregatio pro Doctrina Fidei intendit concreditum sibi persolvere munus tutandi ac promovendi Ecclesiae doctrinam in re tam gravis momenti ; novam igitur adhortationem, sollicitudinis plenam, ad eos omnes dirigit qui, pro sua quisque parte atque officio, efficacem operam praestare possunt ut in familia atque in societate debita tribuatur observantia vitae atque amori : ad eos scilicet, quibus munus incumbit conscientias et publicam opinionem formandi ; ad eos qui scientiam excolunt et medicinam exercent ; ad iuris peritos, et ad rei politicae addictos. Quibus omnibus ipsa exoptat, ut intellegant nullo modo componi posse agnitionem dignitatis personae humanae cum vitae et amoris contemptu, atque fidem in Deum vivum cum arroganti proposito de ortu ac sorte creaturae humanae ad arbitrium decernendi.

Peculiari modo Congregatio pro Doctrina Fidei cum fiducia invitat atque instimulat theologos, ac nominatim moralis doctrinae cultores, ut quae de hac re a Magisterio Ecclesiae docentur, altius ea investigent ac magis magisque captui christifidelium accommodent, sub lumine sane doctrinae anthropologiae in re sexuali et matrimoniali, ac necessaria inter varias disciplinas relatione servata. Poterunt ita melius percipi huius doctrinae argumenta ac robur : Ecclesia Dei, cum defendit hominem contra suae ipsius potestatis abusum, simul eum commonefacit, quae sint verae suae nobilitatis rationes ; tantum hoc modo futurae hominum communitati facultas praebetur vivendi et amandi in iis dignitatis ac libertatis condicionibus, quae a veritatis obsequio proficiscuntur. Definitae igitur agendi rationes, quae per hanc Instructionem impertiuntur, minime intendunt investigationum nisus cohibere, sed potius renovatum earum studium excitare, necessaria erga Ecclesiae doctrinam fidelitate servata.

Sub lumine veritatis de humanae vitae dono principiorumque moralium inde fluentium, unusquisque invitatur ut, pro officiorum suorum parte, instar boni Samaritani se gerat, atque vel minimum filiorum hominum tamquam suum proximum agnoscat (cf. *Lc* 10, 29-37). Novo

ac peculiari modo hic resonat Christi sententia : <(Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» *(Mt* 25, 40).

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascripto Praefecto post Conventum huius Congregationis concessa, ratam habuit praesentem Instructionem eamque edi iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die 22 Februarii anno 1987, in festo Cathedrae S. Petri Apostoli.

IOSEPHUS Card. **RATZINGER,** *Praefectus*

L. © S.

© Albertus Bovone, Archiep, tit. Caesarien. in Numidia, *Secretarius*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 17 Decembris 1987. — Coadiutorem Ecclesiae praelatitiae Isabellapolitanae R. D. Romulum de la Cruz, Vicarium generalem archidioecesis Cotabatensis.

die 19 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Lemellefensi R. D. Manuelem Pelino Domingues, theologiae professorem in seminariis dioecesium Conimbricensis et Portugallensis.

— Cathedrali Ecclesiae Vladislaviensi Exc.mum P. D. Henricum Muszyiiski, hactenus Episcopum titularem Villaregensem.

die 28 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Stagnensi, R. P. Curtis Guillory, Sodalem Societatis Verbi Divini, Moderatorem domus vulgo Augustine Tolton House of Studies archidioecesis Novae Aureliae, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Iosephi Antonii Fiorenza, Episcopi Galvestoniensis-Houstoniensis.

die k Ianuarii 1988. — Archiepiscopali Ecclesiae Spoletanae-Nursinae Exc. P. D. Antonium Ambrosanio, hactenus Episcopum titularem Mustitanum atque Auxiliarem pro archidioecesi Neapolitana.

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

ALEXANDRIAE AEGYPTI

DECRETUM

quo Vicariatus Apostolici Alexandrinus, Heliopolitanus et Portusaidensis in unum rediguntur.

Cum olim tres Vicariatus Apostolici pro fidelibus latinis in Aegypto commorantibus, Alexandrinus, videlicet, et Heliopolitanus et Portusaidensis, bene floruerint, nuper vero, plerisque fidelium ad avitas vel alias regiones migrantibus, non parum imminuti sint, referente in Audientia diei 30 Novembris hoc anno Mariano feliciter vertente infrascripto Cardinali huius Congregationis Praefecto concessa, Summus Pontifex Ioannes Paulus II benigne indulsit, ut tres praefati Apostolici Vicariatus in unum Vicariatum Apostolicum, Alexandrinum nempe, redigerentur, retento tamen nomine ceterorum Vicariatuum. Idem Summus Pontifex hoc Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, fieri atque edi iussit. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, die 30 Novembris anno 1987.

D. **SIMON** Card. **LOURDUSAMY,** *Praefectus*

L. © S.

© Miroslaus S. Marusyn, Archiep. tit. Cadoënus, *a Secretis*

In Congr. pro Ecclesiis Orient, tab., n. 161/80.

CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS

EPISTULAE

I

Ad supremos moderatores Institutorum religiosorum et societatum vitae apostolicae.

Criteria de notitiis ad statum et vitam institutorum religiosorum et societatum vitae apostolicae spectantibus, quae cum Sede Apostolica, quibusdam temporis intervallis, communicanda sunt.

Sede Apostolica de condicione institutorum religiosorum et societatum vitae apostolicae atque de eorum prospera promotione spirituali et apostolica magnopere sollicita est, quorum varias rerum vicissitudines vero animi affectu prosequitur. Quo autem aptius et efficacius curam officii sui pastoralis erga omnes sodales intendere possit, atque institutorum communio cum ipsa Apostolica Sede foveatur, ad mentem can. 592 § 1 valde interest ut de eorum condicione et vita pro temporum rerumque adiunctis opportune edoceatur. Qua ratione prosperos et adversos institutorum eventus in Domino participare (cf. *Rom* 12, 15) exoptat, et pro casus diversitate, prout fieri contingat, aptis remediis suum pastorale auxilium eis praebere intendit.

Quem in finem Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus quaedam criteria de notitiis a supremis moderatoribus institutorum cum Sede Apostolica communicandis hic proponere existimat.

1. Relatio, quam supremus moderator huic Congregationi exhibere debet, eadem esse poterit quam capitulo generali proposuit, sed brevi et constricta forma redactam. Quod si capitulum generale iuxta praxim communem institutorum non celebratur, relatio ex tenore infra adumbrato, exacto quoque sexennio, exhibenda est.

Moderatores supremi institutorum religiosorum et societatum vitae apostolicae invitantur, ut relationem primum factam proximo capitulo generali ordinario instituti celebrato mittant.

2. Relatio autem, de qua agitur, notitias quae sequuntur saltem continere debet :

a) referatur rationarium (v. statistica) breve et constrictum sodalium, domorum et partium immediatarum, quae institutum constituunt ;

b) quomodo in genere constitutiones a sodalibus recipiantur et perpendantur; quomodo auctoritas instituti a sodalibus aestimetur; quae coniunctio et usus inter superiores et sodales vigeant;

c) de actione pastorali ad vocationes promovendas et de futuro incremento instituti ; de initio et progressu institutionis cum quadam annotatione de primariis criteriis et de elementis institutionis;

d) quomodo vita fraterna in communitate observetur ;

e) de communione cum Sede Apostolica, cum dioecesanis Episcopis (praesertim quod attinet ad exercitium apostolatus et ad liturgiam), cum Unionibus Superiorum Generalium, cum Conferentiis nationalibus Superiorum Maiorum; insuper significetur quomodo superiores varii gradus participes fuerint adunationum et laborum Unionum et Conferentiarum ;

f) de navitate instituti in iis quae ad actionem pastoralem et alia apostolatus opera pertinent iuxta proprium instituti charisma ;

g) de condicione oeconomica instituti ; annotetur, modo generali, quibus difficultatibus hac in re prematur ;

h) de urgentioribus difficultatibus, quibus peculiari studio subveniendum est : praesertim de iis quae spectant ad vitam et apostolatum instituti, atque ad ea quae respiciunt separationem sodalium ab instituto (cf. can. 704) ;

i) de aliis rebus et rationibus, si casus ferat, quae clariore modo veram condicionem instituti exhibeant, ad dialogum quoque fructuosum cum hoc Dicasterio promovendum.

Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, dum has notitias exspectat ut, ex quibusdam intervallis, cum ea communicentur, omnibus instituti religiosi, societatibus vitae apostolicae atque eorum singulis sodalibus prospera cuncta a Domino, omnium bonorum munificentissimo largitore, ex corde apprecatur.

Datum Romae, die 2 Ianuarii Anno Mariali, 1988.

HIERONYMUS M. Card. **HAMER**, O. **P.**, *Praefectus*

L. © S.

✠ Vincentius Fagiolo, Archiep. em. Theatin-Vasten., *Secretarius*

In Congr. pro Religiosis et Inst. Saec. tab., n. SpR 640/85.

II

Ad supremos moderatores Institutorum saecularium.

Criteria de notitiis ad statum et vitam institutorum saecularium spectantibus, quae cum Sede Apostolica quibusdam temporis intervallis communicanda sunt.

Sedes Apostolica de condicione institutorum vitae saecularis consecratae atque de eorum prospera promotione spirituali et apostolica magnopere sollicita est, quorum varias rerum vicissitudines vero animi affectu prosequitur. Valde enim interest, ut institutorum communio, ad mentem can. 592 § 1, cum Sede Apostolica foveatur, et ideo ipsa de eorum condicione et vita opportune edoceatur. Qua ratione, prosperos et adversos eventus in Domino participare (cfr. *Rom* 12, 15), et pro casus diversitate eis suum pastorale auxilium praebere poterit.

Quem in finem Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus quaedam criteria de notitiis a supremis moderatoribus institutorum saecularium cum Sede Apostolica communicandis hic proponere existimat.

1. Relatio, quam supremus moderator huic Congregationi exhibere debet, eadem esse poterit quam capitula (v. Assemblea) generali proposuit, sed brevi et constricta forma redactam. Acta eiusdem capituli addi poterunt. Moderatores supremi invitantur, ut relationem primum factam proximo capitulo generali ordinario celebrato mittant.

2. Relatio autem notitias quae sequuntur saltem continere debebit :

a) referatur rationarium (v. statistica), breve et constrictum;

b) de activitate ad vocationes promovendas et de futuro Instituti incremento ;

c) de activitate apostolica sodalium;

de initio et de progressu institutionis;

de communione fraterna et spiritus unitate, necnon de mutuis inter moderatores et sodales relationibus ;

d) de sensu ecclesiali in relationibus cum Sede Apostolica et dioecesanis Episcopis ; de consortio Conferentiae nationalis vel mundi ;

e) de navitate instituti in iis quae ad actionem apostolicam, socialem et assistentialem pertinent, si qua tale institutum eam promoveat ;

f) de condicione oeconomica instituti, modo generali ; annotetur quibus difficultatibus hac in re prematur;

g) de urgentioribus difficultatibus, si casus ferat, quae vitam apostolatumque instituti respiciunt;

h) de aliis rebus et rationibus quae clariore modo veram condicionem instituti exhibeant.

Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, dum has notitias expectat ut cum ea communicentur, omnibus institutis saecularibus eorumque singulis sodalibus pacem et charitatem cum fide a Deo Patre et a Domino nostro Iesu Cristo (cfr. *Ef* 6, 23) adprecatur.

Datum Romae, die 2 Ianuarii Anno Mariali 1988.

HIERONYMUS M. Card. **H AMER, O.** P., *Praefectus*

L. & S.

ffi Vincentius Fagiolo, Archiep. em. Theatin-Vasten., *Secretarius*

In Congr. pro Religiosis et Inst. Saec. tab., n. PO 359.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

GUAYAQUILEN.

Canonizationis Servae Dei Narcissae a Iesu Martillo Moran, virginis (1832-1869).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in caso et ad effectum de quo agitur.

Postridie sollemnem primae sanctae Aequatorianae, Mariae Annae a Iesu de Paredes et Flores (fl645) canonizationem, Summus Pontifex Pius XII dixit : « Ab hac Sancta discant omnes christianae virtutis

vim immensam, talem sane quae animum maiore vigore maturet, quam Quitensis sol uberes terrae Aequatorianae fructus maturat. Discat mundus animi vigores, qui in deprecatione et continentia abditi latent. Discant homines omnis aetatis, voluptati obsequentes, animarum metam confecto itinere contingi, abscondito profecto, in quo amor quaerit dolorem, ut studium superet terrestrium bonorum. Discat puella levis huius temporis quae in ipso eius circulo possunt animam amore Domini incedere. Et quotquot hodie plena in luce ex pietate vivunt erga Iesu Cor Sacratissimum, exempla admirentur huius victimae innocentis, quae iam initio decimi septimi saeculi caput pietatis suae fecerat expiationem » *(Discorsi e radiomessaggi di Sua Santità Pio XII,* Tip. Pol. Vaticana 1955, p. 148).

Haec verba, Aequatorianis peregrinatoribus dicta, qui Romam convenerant, iam saeculo superiore fideliter et fortiter ad effectum adduxerat humilis eiusdem illius populi filia, seu Narcissa a Iesu Martillo Moran, quae amore Domini flagrans ab infantia, arduum confecit iter perfectionis christianae, summa cum cura imitans mira Sanctae Mariae Annae a Iesu exempla ; hocque ita perfecte fecit, ut ultimus eius confessarius et magister spiritus, sacerdos Emmanuel Iacobus Medina, scripserit : Mariae Annae satis est legere vitam, ut Narcissae cognoscantur virtutes.

Orta est Serva Dei in parvo vico *Nobol* patrio sermone vocato, intra fines dioecesis Guayaquilensis, exeunte anno 1832 aut ineunte anno 1833, a Petro Martillo et Iosepha Moran, piis et honestis agricolis, qui ad pietatem et ad amorem Dei eam educaverunt. Ob suam indolis amabilitatem, bonitatem et oboedientiam est a matre vehementer dilecta; cum crevit, deprecatione, castigationibus voluntariis et solitudine est maxmè allecta.

Parentibus orbata, adulescentula Guayaquilium se contulit, ut victum quaereret. Tamquam sarcinatrix operam dedit in domo honoratae cuisdam dominae, sed, quo melius se religionibus traderet in meditatione et humilitate, etiam confessarii consilium scuta, sedem saepe mutavit, donec in paupere cenáculo superiore domicilium constituit, ubi labori, precationi, ieiunio et paenitentiae se dedidit. Praedictus sacerdos Medina affirmat : ((Omnes eius confessarii testificantur eius voluntarias castigationes fuisse severas, cilicia semper ferre, cotidie flagellis se caedere usque ad sanguinem ; octo horas cotidiano in deprecationem incumbere. Constanter in corpore suo Domini portare crucifixionem et acerbos, quos patiebatur, dolores. Singulis noctibus

quattuor horas precari, spinis caput penetralibus coronatam, cruci suspensam, nonnullis constratae clavis. Humi dormire super acumina chalubeiia, quae ad hoc habebat parata. Curantes miratos esse quo modo tam pauco sibo vivere potuisset ». Victima fieri voluit, ut Cor Iesu consolaretur et hominum, praesertim eiusdem suae nationis, peccata lueret.

Aliquandiu habitavit cum Beata Mercede a Iesu Molina (f1883) ; anno circiter 1865 ad urbem Concham comitata est confessarium, phthisi graviter laborantem, ut ei assiderei eumque curaret. Hoc mortuo, ad breve tempus Guayaquilium revertit, sed, volens P. Petri Guam moderatione spiritali uti, Limam ivit habitatum (anno 1868). Ibi hospitio excepta est in Monasterio Patrocinii, quod Communitas Tertiariarum Dominicanarum habitabat. Quamvis simplex hospes esset, regulam tamen monasterii fideliter servabat et vitam communem participabat. Ab iis quae avocant abducta et libera omni quo poterat ardore diu noctuque in deprecatione et in contemplatione aeternarum veritatum se mersit potuitque omne genus castigationi se addicere. Una cum Tertiariis se flagellis verberabat, tanta quidem vi, ut locum suum sanguine macularet : coronam spineam in capite ferebat, quam pileolo opportune occulebat : miserrimo vescebatur cibo et pauperem induebat vestem. In cella pro Ecclesia laborabat et pauperibus, quorum semper peculiarem egerat curam; libenter et diligenter Tertiariis aegrotis assidebat.

Nisus exprimendi in se Christi cruci affixi imaginem cum constanti gaudio et animi atque gestuum laetitia erat coniunctus, sicut clare vultus eius significabat continenter quietus et serenus. Omnibus evidens erat cor eius vere in pace esse, utpote omnino voluntati Dei obsequens et fidei fortis et vivae atque ardentissimae caritatis plenum. Sui neglegens, mundi inania omneque terrestre bonum et commodum aversa, spem suam in solo Domino collocaverat, et nihil aliud exoptabat, quam ei gloriam dare et sine intermissione in spiritali cum eo coniunctione progredi. Quam ob rem precabatur et patiebatur, contemplabatur et expiabat; cotidie Missae intererat et Sanctam Communionem accipiebat; fervida pietate Eucharistiam et Sacrum Cor Iesu colebat. Quo melius Dilecto suo similis fieret multa nuncupaverat vota, ex quibus vota virginitatis perpetuae, paupertatis et oboedientiae, inque his usque ad mortem mansit. Filiae etiam religionem servabat erga Virginem Mariam, quam maxime pia Rosarii recitatione honoravit. Ut ad suam adipiscendam sanctificationem iustam sequeretur viam, submisse con-

siliis stabat prudentium sacerdotum, quibus moderationem concrederat animae suae.

Dominus, erga humiles et mundos corde liberalior, largitus est ei gratias et dona extraordinaria, fecitque ut ea diem mortis suae ante tempus cognosceret. Die, quo mortua est, vesperi, in cellam secedens ut quiesceret, omnbius Tertiariis valedixit, se esse longum iter facturam dicens. Omnes putaverunt eam haec per lusum et iocum dixisse : sed totam noctem eius cella est magno splendore diffusa et grato afflata odore, qui in locum permanavit. Monasterii Antistita, porta cellae aperta, ubi Serva Dei quiescebat, non solum fulgorem vidit, sed animaddvertit ibi odorem vehementiorem esse et Narcissam mortuam. Dies erat 8 mensis Decembris, anno 1869.

Eius corpus inexplicabiliter incorrumptum mansit et flexibile ; vultus personae sanae colorem ducebat. Iis ipsis diebus nonnulli aegri salutem recuperarunt Serva Dei intercedente. Haec statim auctoritatem et populum commoverunt contuleruntque multum ad augendam et vulgandam famam sanctitatis, quam viva sibi comparaverat. Frequens populus ad exsequias convenit, et inde sermo factus est de Causa canonizationis ineunda. Haec autem ob extrarias rationes tardavit, donec annis 1961-1962 instructus est Processus Ordinarius Informativus apud Curiam Guayaquiliensem. Acta sunt rite missa ad Sacram id temporis Rituum Congregationem, quae anno 1966 Sectioni Historicae eiusdem Dicasterii Positionem commisit apparandam. Necessariis tabularii inquisitionibus expletis et Positione super Causae Introductione praeparata, cum exitu reapse felici Congressus Consultorum Historicorum die 8 mensis Maii anno 1974 est actus. Deinde edita sunt Decreta super Introductione Causae (die 27 mensis Septembris, anno 1975) et super non cultu (die 24 mensis Septembris, anno 1976).

Servae Dei virtutes inspectae sunt a Consultoribus Theologis, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, in duobus Congressibus Peculiaribus, qui acti sunt die 24 mensis Iulii anno 1984 et die 20 mensis Decembris eodem anno.

Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 16 Iunii a. 1987, Ponente Causae Em.mo Card. Aloisio Ciappi, agnoverunt Servam Dei Narcissam a Iesu Martillo Morân heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua vota

Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus Praefecto Congregationis atque Causae Ponente, meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Peter sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, Servae Dei Narcissae a Iesu Martillo Moran, virginis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 23 mensis Octobris, A. D. 1987.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

8 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

MELITEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Ignatii Falzon, clerici saecularis (1813-1865).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Credo enim Deo, quia sic erit quomodo dictum est mihi » *(Act* 27, 25). Haec Sanctus Paulus locutus est, verbo Domini fisus, ducentis septuaginta sex personis, quae cum eo erant in navi, cum iam haec quattuordecim dies Maris Mediterranei ferocia perdita esset omnisque salutis spes deposita.

Sanctus Paulus omnia credebat, quae ei dixerat Dominus : se coram Caesare appariturum ; nullum eorum qui secum erant, esse periturum ;

oportere vero navim naufragio interire in insula (cfr. *Act* 27, 24 et 26). Insula Melita appellabatur (cfr. *Act* 28, 1).

Apostolus autem nesciebat divinam Providentiam statuisse navim frangi, ut ipse in insula Melita tres menses maneret sicque eam Domino baptizaret, verbo locupletarci et Domini sacramentis roboraret, faciens eam oculum nationum ad Dominum a se conversarum.

Parva in medio Mari Mediterraneo insula, cuius filii in historiae decursu eminuerunt animo pugnandi pro fide, amore disseminandi fidem in regiones in quas immigrabant, cura dandi Ecclesiae, pro portione, maximum missionariorum numerum. Haec est terra, in qua natus est Ignatius Falzon, primus Melitensis qui, ut videtur, altarium gloriam consequatur; dignus Apostoli Maris Mediterranei filius.

Historia vitae Ignatii Falzon ipsis verbis colligitur, quibus sanctus Paulus est usus, antequam providum naufragium faceret in insula Melita : « Credo enim Deo, quia sic erit, quomodo dictum est mihi ».

Ignatius enim Falzon, natus cum Angli in insulam Melitensem venerunt, pro civili religiosaque educatione factus est optimus civis et sanctus ecclesiasticus. Tempora, quibus vixit, etsi luctuosissima, magni erant momenti : Ecclesia namque amare lacrinrabat ob effusionem hostilitatis contra clerum et productam Pastoris sui custodiam. Europa cruentis proeliis redundabat; insuper cholerae morbi et pestis calamitatibus est affecta. Tempora erant, quae Actionem Catholicam inierunt et pietatem erga Virginem Immaculatam aluerunt.

Ignatius Falzon ortum duxit Valettae, in urbe principe Melitae, calendis Iulis anno 1813, ex causidico Doctore Iosepho Francisco Falzon et Maria Teresia, iudicis Calcedonii Debono filia. Postridie est baptizatus in ecclesia paroeciali Sanctae Mariae Portus Salvi et Sancti Dominici, nominibus tutorum a peste : Rocho, Angelo, Sebastiano et insuper Ignatio nomine Fontis, Vincentio et Rosario.

Honestae familiae erat. Pater eius particeps erat Commissionis componendo novo Codici Civili, et postea nominatus est Suae Maiestatis Britannicae iudex. Trium eius fratrum, omnium in lege doctorum renuntiatorum, facti sunt sacerdotes : dominus Calcedonius, qui post fuit custos thesauri Ecclesiae Cathedralis, Rector Ecclesiae Studiorum Universitatis (a Iesu) et Missionarius Apostolicus; et dominus Franciscus, Cubicularius Suae Sanctitatis, sedi confessionali addictus.

A puero Ignatius peculiarem ostendebat pietatem erga SS. Eucharistiam et Sanctam Virginem. Est sacro Chrismate confirmatus die 3 mensis Augusti anno 1822 et quindecim annos natus (die 21 mensis

Decembris anno 1828) vestem induit clericalem primamque accepit tonsuram. Post tres annos (die 21 mensis Augusti anno 1831) Ordines Minores ostiariatum et lectoratum suscepit et deinde (die 18 mensis Decembris anno 1831) ceteros Ordines Minores, exorcistatum et acolythatum. Viginti annorum (die 7 mensis Septembris anno 1833), doctoris in iure canonico et in iure civili dignitatem apud Athenaeum Melitense est consecutus.

Interim linguae Britannicae studuit; quod rarum erat iis temporibus, sed maximi ponderis ut commercia et aditus haberetur cum Anglis, qui Melitam veniebant bellum Chersonese praeparatur!. Milites et nautae externi erant plus 20.000 et gentis insulae decem centesimae.

Numquam professionem causidici exercuit ; et quanquam quattuor Ordinibus Minoribus ornatus erat et doctor renuntiatus in iure canonico, se non dignum sentiebat, qui ordinationem sacerdotalem acciperet. In deprecationem incubuit et in catechismi institutionem.

Religiosissima erat erga Eucharistiam. Adoratio et meditatio eius spiritale alimentum fuerunt. Sancte admirabatur eos omnes fideles qui, ut ipse, frequentabant ecclesiam paroecialem Sancti Pauli naufragi. Insuper pietate peculiari Sanctissimam Virginem colebat, recitando totum sanctum Rosarium cotidie, necnon et eius sponsum Sanctum Ioseph.

La respuesta del Concilio —esto es, todas sus enseñanzas sobre los laicos y su apostolado— se debe entender naturalmente, en continuidad homogénea con las enseñanzas del Evangelio, de los Hechos y de las Cartas de los Apóstoles. Simultáneamente, la respuesta conciliar tiene muy en cuenta la rica y múltiple realidad de la Iglesia en el mundo contemporáneo, de la Iglesia que vive en todos los continentes, en medio de muchos pueblos, lenguas y culturas, permaneciendo al mismo tiempo ((in statu missionis », en estado de misión. Donde quiera que se encuentre, la Iglesia es siempre « misionera » en sentido amplio, y esto determina la dinámica particular de la vocación y del apostolado de los laicos.

6. En efecto, el Concilio Vaticano II afirma que todos los cristianos participan de la única misión de la Iglesia : « la Iglesia ha nacido con el fin de que, por la propagación del Reino de Cristo en toda la tierra, para gloria de Dios Padre, haga a todos los hombres partícipes de la redención salvadora, y por medio de ellos se ordene realmente todo el mundo hacia Cristo. Toda la actividad del Cuerpo Místico ordenada a este fin se llama apostolado, que la Iglesia ejercita mediante todos sus miembros, naturalmente de modos diversos ; la vocación cristiana es, por su mismo naturaleza, vocación al apostolado ».[15]

El Concilio señala también el modo específico que tienen los fieles laicos de ejercer su apostolado : « El carácter secular es propio y peculiar de los laicos (...). A los laicos corresponde, por su propria vocación, tratar de obtener el reino de Dios gestionando los asuntos temporales y ordenándolos según Dios ».[16] No hay, por tanto, actividad humana temporal que sea ajena a esa tarea evangelizadora. Así lo afirmó mi venerado predecesor el Papa Pablo VI, en su Exhortación Apostólica *Evangelii nuntiandi* : « El camino proprio de su actividad evangelizadora es el mundo vasto y complejo de la política, de la vida social, de la economía, y también de la cultura, de las ciencias, de las artes, de la vida internacional, de los medios de comunicación social,

[15] *Apostolicam actuositatem,* 2.

[16] *Lumen gentium,* 33.

así como otras realidades abiertas a la evangelización, como el amor, la familia, la educación de los niños y jóvenes, el trabajo profesional, el sufrimiento ...)).[17]

Esto no quiere decir, sin embargo, que la transformación del mundo esté confiada o pertenezca exclusivamente a los laicos, quedando para los clérigos, los religiosos y religiosas la edificación interna de la Iglesia. Todo el Cuerpo Místico es definido por el Concilio como « Sacramento universal de salvación » ; por consiguiente, toda la Iglesia tiene la misión de salvar y transformar el mundo en Cristo, por la fuerza del Evangelio. Pero cada uno llevando a cabo la función propia a la que ha sido llamado por Dios : « Como lo proprio del estado laical es vivir en medio del mundo y de los negocios temporales, Dios llama a los seglares a que, con el fervor del espirito cristiano, ejerzan su apostolado en el mundo a manera de fermento)).[18]

A ese mundo habéis de llevar, queridos laicos, hombres y mujeres, la presencia salvifica de Cristo, el enviado del Padre. En él habéis de ser testigos de la resurrección y de la vida del Señor Jesús, y signos del Dios verdadero.[19] Habéis de ser « heraldos y apóstoles »[20] del Evangelio para el mundo de hoy. No tengáis miedo. El Señor ha querido que vuestra vida se despliegue en medio de las realidades temporales, para que renovéis —con la libertad de los hijos de Dios— esa sociedad de la que formáis parte.

Como Pastor de la Iglesia universal, hoy, en esta ciudad de Rosario, quiero pediros a todos vosotros, los laicos cristianos argentinos, que asumáis decididamente vuestro apostolado específico e irremplazable : en vuestra vida profesional, familiar y social, en las parroquias, a través de vuestras asociaciones, en particular en la Acción Católica.

A ello os invitan además, de manera apremiante, las necesidades de los tiempos recios que vivimos y os impulsa la acción fecunda e incesante del Espíritu Santo. En efecto, tenéis ante vosotros evidentes muestras de difusión del secularismo que pretende invadirlo todo ; a la vez, estáis percibiendo con señales muy claras la creciente hambre de Dios, que siente en sus entrañas el hombre moderno, sobre todo la generación más joven. Desafortunadamente nos siguen azotando los vientos de la violencia, del terrorismo, de la guerra ; pero, gracias a Dios se va refor-

[17] N. 70.

[18] *Apostolicam actuositatem,* 2.

[19] Cf. *Lumen gentium,* 38.

[20] Cf. *1 Tim 2,* 7.

zando más y más el ansia universal de paz, como lo ha demostrado el encuentro de oración en Asís, hace pocos meses. En medio de esas realidades contrastantes, yo os pido con amor y confianza que sigáis siendo fieles a vuestra misión de apóstoles y testigos, partícipes en la única misión evangelizadora de la Iglesia.

7. Entre los cometidos propios del apostolado de los seglares, quiero ahora subrayar algunos que, en general, resultan más apremiantes en la sociedad argentina del presente.

Pienso, en primer lugar, en la necesidad de que los cónyuges cristianos vivan plenamente su matrimonio como una participación de la unión fecunda e indisoluble entre Cristo y la Iglesia; sintiéndose responsables de la educación íntegra, ante todo religiosa y moral, de sus hijos, para que ellos sepan discernir rectamente todo lo noble y bueno que hay en la creación, máxime dentro de sí mismos, distinguiéndolo del consumismo hedonista y del materialismo ateo.

Veo también el reto que para el laico cristiano supone el campo de la justicia y de las instituciones ordenadas al bien común. Es en éste donde con frecuencia se toman las decisiones más delicadas, aquellas que afectan a los problemas de la vida, de la sociedad, de la economía ; y, por tanto, de la dignidad y de los derechos del hombre y de la convivencia pacífica en la sociedad. Guiados por las enseñanzas luminosas de la Iglesia, y sin necesidad de seguir una fórmula política unívoca, habéis de esforzaros denodadamente en buscar una solución digna y justa a las diversas situaciones que se plantean en la vida civil de vuestra Nación.

Pienso, finalmente, en el campo de la educación y de la cultura. El laico católico, dedicándose seriamente a su tarea de intelectual, de científico, de educador, ha de promover y difundir con todas sus fuerzas una cultura de la verdad y del bien, que pueda contribuir a una colaboración fecunda entre la ciencia y la fe.

8. ((¡ Vosotros sois la sal de la tierra !
¡ Vosotros sois la luz del mundo ! ».

Estas palabras de Cristo quieren señalar con trazos bien precisos la impronta más adecuada de la vocación cristiana en toda época, y dan bien a entender que ningún cristiano puede eximirse de la responsabilidad evangelizadora, y que cada uno ha de ser consciente del compromiso personal con Cristo contraído en el Bautismo.

Queridos hermanos y hermanas : para no perder el « sabor » de la

sal salvifica, tenéis que estar profundamente impregnados de la verdad del Evangelio de Cristo y reforzados interiormente con la potencia de su gracia.

La sal, a la que se refiere la metáfora evangélica, sirve también para preservar de la corrupción los alimentos. De esta manera, vosotros, laicos cristianos, os libraréis de la descomposición corruptora de los influjos mundanos, contrarios al Evangelio y a la vida en Cristo; de lo que descompone las energías salvíficas de una vida cristiana plenamente asumida. No podéis « haceros semejantes a este mundo » bajo el influjo del secularismo, esto es, de un modo de vida en el que se deja de lado la ordenación del mundo a Dios. Eso no significa odiar o despreciar el mundo, sino al contrario, amar verdaderamente a este mundo, al hombre, a todos los hombres. ¡ El amor se demuestra en el hecho de difundir el verdadero bien, con el fin de transformar el mundo según el espíritu salvifico del Evangelio y preparar su plena realización en el Reino futuro !

No sois llamados para vivir en la segregación, en el aislamiento. Sois padres y madres de familia, trabajadores, intelectuales, profesionales o estudiantes como todos. La llamada de Dios no mira al apartamiento, sino a que seáis luz y sal allí mismo donde os encontráis. Cristo quiere que seáis « luz del mundo » ; y, por tanto, estáis colocados como « una ciudad situada en la cima de una montaña », ya que « no se enciende una lámpara para esconderla, sino que se la pone en el candelero para que ilumine ... ».[21]

Vuestra tarea es la « renovación de la realidad humana » —renovación múltiple y variada— en el espíritu del Evangelio y en la perspectiva del Reino de Dios, procurando también que todas las realidades de la tierra se configuren de acuerdo con el valor propio, que Dios les ha dado.[22] Es éste el amplio horizonte al que debe llegar toda la obra de la redención de Cristo ;[23] y vosotros, los laicos, os insertáis operativamente en ella ofreciendo a Dios vuestro trabajo diario.[24]

Para iluminar a todos los hombres, habéis de ser testigos de la Verdad y para ello adquirir una honda formación religiosa, que os lleve a conocer cada vez mejor la doctrina de Cristo transmitida por la Iglesia.

[21] *Mt* 5, 14-15.
[22] Cf. *Apostolicam actuositatem*, 7.
[23] Cf. *Ibid.*, 5.
[24] Cf. *Gaudium et spes*, 67.

Tened siempre presente que vuestro testimonio sería ineficaz —la sal perdería su sabor— si los demas no vieran en vosotros las obras propias de un cristiano. Porque es sobre todo vuestra conducta diaria la que debe iluminar a los damas. Os lo dice Cristo mismo : « Así debe brillar ante los ojos de los hombres la luz que hay en vosotros, a fin de que ellos vean las buenas obras que vosotros hacéis y glorifiquen al Padre que está en los cielos y).[25] El Concilio Vaticano II se inspiró en este texto evangélico al describir la eficacia sobrenatural«del apostolado de los laicos.[26]

9. Todos nosotros estamos dispuestos ahora a perseverar en la enseñanza de los Apóstoles, en la fracción del pan y en la oración. De esta manera, vamos a poner sobre el altar, aquí en tierra argentina, todo lo que forma parte de vuestra vocación humana y cristiana : ((¡Venid, cantemos con júbilo al Señor, aclamemos a la Roca que nos salva ! ».[27]

Se repite una vez más el misterio eucaristico del Cenáculo. Cristo, que en la víspera de su Pasión realizó la transubstanciación del pan y del vino en el Cuerpo y en la Sangre de su sacrificio redentor,

— acepte de vuestras manos, en este pan y vino, todas las inquietudes y aspiraciones que acompañan a diario vuestra vocación cristiana y la misión del Pueblo de Dios en tierra argentina;

—• siga imprimiendo en todo vuestro apostolado el sello de la Divina Eucaristía, mediante la cual entramos con él en el eterno Reino de la Verdad y de la justicia, del amor y de la paz, como Pueblo unido con la misma unidad del Padre, del Hijo y del Espíritu Santo.

Nos ayude siempre la protección maternal de María Santísima, Virgen del Rosario, la primera seguidora de Jesús, modelo perfecto de los laicos que viven, en lo cotidiano de la historia, su vocación de santidad y su misión de apóstoles y testigos del Señor Resucitado. Así sea.

[25] *Mt* 5, 16.

[26] Cf. *Apostolicam actuositatem,* 6.

[27] *Sal* 94 [95], 6.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die Ìli Ianuarii W8H. — Cathedrali Ecclesiae Lexingtonensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Iacobum Kendrick Williams, hactenus Episcopum tit. Catulensem.

die 20 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Balianensi Exc.mum P. D. Carolum Prada Sanmiguel, e clero archidioecesis Bucaramanguensis, directorem Commissionis pro Seminariis et Vocationibus promovendis Conferentiae episcopalis Columbianae, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Medellensis.

die 21 Ianuarii. — Praelaturae territoriali Tibuensi R. D. Horatium Olave Velandia, Vicarium episcopalem pro actione pastorali fovenda in eadem praelatura.

— Archiepiscopali Ecclesiae Materanensi-Montis Pelusii Exc.mum P. D. Ennium Appignanesi, hactenus Archiepiscopum titularem Loriensem, in Urbe vices Gerentem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Ti gi en si, R. D. Franciscum Xaverium Di Lorenzo, e clero archidioecesis Philadelphiensis Latinorum, rectorem Seminarii maioris Sancto Carolo dicati eiusdem archidioecesis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. 1). Iacobi Clifford Timlin, Episcopi Scrantonensis.

die ¿5 Ianuarii, — Cathedrali Ecclesiae Tursiensi-Lacunerulonensi R. D. Rochum Talucci, e clero dioecesis Melphiensis-Rapollensis-Venusinae presbyterum.

die 28 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Birminghamiensi in Alabama, R. D. Raimundum Iacobum Roland, Vicarium generalem et Cancellarium archidioecesis Vashingtonensis.

die 3 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Octabiensi, R. D. Paulum S. Loverde, e clero dioecesis Norvicensis, Delegatum episcopalem pro clericis eiusdem dioecesis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ioannis Francisci Whealon, Archiepiscopi Hartfortiensis.

die 4 *Februarii.* — Coadiutorem Antequerensem Exc.mum P. I). Hectorem González Martínez, hactenus Episcopum Campecorensem.

die 8 Februarii. — Metropolitana« Ecclesiae Portus Montt Exc.mum P. D. Savinum Bernardum M. Cazzaro Bertollo, O. S. M., hactenus Episcopum titularem Pyrgensem et Vicarium Apostolicum Aysenensem.

die 11 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Philadelphiensi Latinorum, Exc.mum P. D. Antonium J. Bevilacqua, hactenus Episcopum Pittsburgen sem.

die 12 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Pittsburgensi, Exc.mum P. D. Donaldum W. Wuerl, hactenus Episcopum tit. Rosamarkensem.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Ioannis a Lacubus Exc.mum P. D. Iosephum Trinitatem Sepúlveda Ruiz-Velasco, hactenus Episcopum Tuxtlensem.

— Cathedrali Ecclesiae Linarinae R. D. Raimundum Calderón Patres, e clero archidioecesis Monterreyensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Catulensi, R. D. Ioannem Robertum Gorman, e clero archidioecesis Chicagiensis, Moderatorem Officii Rei Pastorali provehendae ad paroecias quod attinet, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ludovici S. R. E. Cardinalis Bernardin, Archiepiscopi Chicagiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Plestiensi, R. D. Thaddaeum Iosephum Jakubowski, e clero archidioecesis Chicagiensis, curionem paroeciae Sancti Roberti Bellarmino in urbe Chicagia, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ludovici S. R. E. Cardinalis Bernardin, Archiepiscopi Chicagiensis.

die 13 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Coelianensi R. D. Ioannem Abelardum Mata Guevara, Societatis S. Francisci Salesii sodalem, Sacrarum Litterarum magistrum in Instituto theologico gua-

timalensi eiusdem Societatis, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Michaelis S. R. E. Cardinalis Obando Bravo, Archiepiscopi Managuensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Maturbensi R. D. Leopold um Iosephum Brenes Solorzano, Vicarium episcopalem et curionem paroeciae ((Sancti Pii X » in urbe Managua, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Michaelis S. R. E. Cardinalis Obando Bravo, Archiepiscopi Managuensis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit :

die 18 Novembris 1987. — Metropolitanae Ecclesiae Mvanzaënsi noviter in Nigeria erectae, Exc.mum P. D. Antonium Mayala, hactenus Episcopum Musomensem.

die 30 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Bhagalpurensi Exc.mum P. D. Georgium Victorem Saupin, hucusque Episcopum Daltonganiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Samarindaënsi R. P. Michaelem Cornelium Coomans, Congregationis Missionariorum a S. Familia sodalem eiusdemque dioecesis Administratorem Apostolicum.

die 10 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Lueboënsi R. D. Emericum Kabongo Kanundowi, e Clero archidioecesano Kanangano, Nun-

tiaturae Apostolicae Consiliarium, Praelatum honorarium Sanctitatis Suae, archiepiscopali vero dignitate ornatum ad personam.

die 15 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Eliocrocensi R. P. Hectorem Iulium López Hurtado, Societatis S. Francisci Salesii sodalem, Philosophiae Seminarii Salesiani in Bogotensi civitate directorem, quem constituit Ariariensis nuper erecti Vicariatus Apostolici in Columbia Apostolicum Vicarium.

die 18 Ianuarii 1988. — Metropolitanae Ecclesiae Ugiungpandanganae R. P. Franciscum van Roessei, Immaculati Cordis Mariae Congregationis sodalem, hucusque Apostolicum eiusdem archidioeceseos Administratorem.

— Cathedrali Ecclesiae Tangaensi R. I). Telesphorum Mkude, dioecesis Morogoroènsis Vicarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Khammamensi, noviter in India erectae, Exc.mum P. D. Iosephum Rajappa, hactenus Episcopum Kurnoolensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Caprensi R. D. Camillum Archibong Etokudoh, e clero dioecesis de Ikot Ekpene, a secretis Apostolicae Nuntiaturae de Costa Rica, quem deputavit Auxiliarem E.mi ac Rev.mi P. D. Dominici Ignatii S. R. E. Cardinalis Ekandem, Episcopi eiusdem dioeceseos de Ikot Ekpene.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mustitanae R. P. Franciscum Joäo Silota, Missionariorum Africae Societatis sodalem, dioecesis in Tanzania Mbeyaënsis curionem, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Beirensis.

die 30 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Decorianensi R. P. Maximilianum Takuira Matthaeum Marin, Societatis Mariae, eiusdem Societatis domus in Pakipaki superiorem necnon Pastoralis Centri Palmerstonaquilonianae dioecesis directorem, quem constituit Auxiliarem Exc.mi Episcopi Hamiltonensis in Nova Zelandia.

— Titulari episcopali Ecclesiae Arensi in Numidia R. D. Ioannem Gabriel, Seminarii maioris nationalis Rangunensis rectorem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi Ordinarii Basseinensis.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit :

die 8 Ianuarii /,988. — Exc.mum P. U. Martinum Luluga, Episcopum titulo Aquensem in Dacia, *Administratorem Apostolicum dioecesis Quluensis.*

die 15 Ianuarii. — R. P. Martinum Happe, Societatis Missionariorum Africae, Regionalisque Superioris adiutorem, *Administratorem Apostolicum « sede plena et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Moptiensis.*

Peculiari dato decreto a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, Apostolicis sub anulo Piscatoris Litteris renuntiatus est :

die 6 Februarii. — Exc.mus P. D. Ambrosius B. De Paoli, Archiepiscopus titulo Larensis, *Pro-Nuntius Apostolicus in Lesotho* atque *Apostolicus Delegatus in Africa Australi.*

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

MONACEN, ET FRISINGEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Gasparis Stanggassinger, Sacerdotis professi Congregationis Ss. Redemptoris (1871-1899).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Gasparem Stanggassinger, sacerdotem professum Congregationis Ss.mi Redemptoris, natum die 12 Ianuarii anno 1871,

Berchtesgadi in Bavaria Superiore, et vita functum die 26 Septembris a. 1899, heroicas exercuisse virtutes tum théologales tum cardinales eisque adnexas, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, servatis de iure servandis, die 16 Ianuarii a. 1986 declaravit.

Ut autem eidem venerabili Dei famulo Beatorum Caelitum honores legitime decernerentur, causae actores illico miram, quae ferebatur, sanationem, per eiusdem intercessionem a Deo patratam, Apostolicae Sedi ad cognoscendum obtulerunt.

Maria Kleeberg enim, in religione soror Theophila, Instituti Ss.mi Salvatoris, undequinquaginta annos nata, infausta prorsus edita a medicis prognosi quoad vitam, invocato nomine et auxilio venerabilis Gasparis Stanggassinger, die 8 mensis Aprilis anno 1935, ab ulcere stomachi in sede pilorica, implicato probabili perforatone cooperta, in instanti, perfecte ac definitive convaluit.

Super huiusmodi asserta mira sanatione instructi sunt, apud Curiam archiepiscopalem Monacen, et Frisingen., Processus ordinaria potestate (a. 1936) et Processus apostolica auctoritate (aa. 1961-1964), quorum iuridica forma et validitas agnita est, die 16 Ianuarii a. 1970, ab hac Congregatione pro Causis Sanctorum.

Praehabitis postea votis ex officio requisitis duorum in medica arte peritorum, de sanatione sororis Theophilae, die 7 mensis Ianuarii a. 1987, Consilium Medicum huius Congregationis pro sua competentia examen instituit, fausto quidem exitu circa praeternaturalem eiusmodi sanationis indolem.

Porro haec pro Causis Sanctorum Congregatio super eadem mira sanatione, iuris ordine servato, disceptavit, et quidem primum, die 16 mensis Iunii anni 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Promotore Generale Fidei ; et deinde, die 20 mensis Octobris hoc eodem anno, in Congregatione Ordinaria, ad Vaticanum coadunata, ponente Exc.mo ac Rev.mo Domino Ambrosio Marchioni, Archiepiscopo titulari Severianensi. Et in utroque coetu, posito dubio num constaret de miraculo in casu et ad effectum de quo agitur omnes, qui aderant, affirmativum protulerunt responsum.

Quibus de rebus omnibus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis excipiens rataque habens, mandavit ut super praedicta mira sanatione Decretum rite appararetur.

Quod cum esset factum, Beatissimus Pater ad se accivit hodierno die infrascriptum Cardinalem Praefectum et praefatum Causae Ponentem meque Antistitem a Secretis Congregationis ceterosque de more convocandos, eisque astantibus, edixit : *Constare de miraculo, Ven. Servo Dei Gaspare Stanggassinger intercessore, a Deo patrato, videlicet de instantánea, perfecta atque constanti sanatione sororis Theophilae (in saeculo Mariae Kleeberg) ab ulcero gastrico, implicato a probabili perforatione cooperta.*

Voluit insuper Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 11 mensis Decembris Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. **PALAZZINI**, *Praefectus*

L. & S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

MONTEREYEN. IN CALIFORNIA

Canonizationis Ven. Servi Dei Iuniperi Serra, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum (1713-1784).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Iuniperus Serra ortum duxit Petrae, in Insula Baleari Maiori, die 24 mensis Novembris anno 1713. Ad christianam perfectionem pervenire cupiens, Ordinis Fratrum Minorum habitum anno 1730 induit. Theologica doctrina et pietate nobilis et clarus, exoptans Evangelium Christi gentibus Americae praedicare, ex patria anno 1749 exivit et per triginta quinque solidos annos operam missionalem exercuit ibique nomen Apostoli Californiae sibi conciliavit. Sanctitatis fama circumdatus, vita est functus in urbe *Monterey* in California die 28 mensis Augusti anni 1784. Eumdem christianas coluisse virtutes heroum in modum Ioannes Paulus II die 11 Decembris a. 1987 declaravit.

Ad honores autem Beatorum Caelitum eidem Venerabili legitime decernendos, causae actores sanationem obtulerunt Apostolicae Sedi ad cognoscendum, sororis Bonifatiae Dyrda, religiosae Ordinis S. Francisci Dominae Nostrae a Perpetuo Succursu, magistrae quadraginta et quattuor annos natae. Ipsa enim, gravi connectivitide polymiositica affecta, cum prognosi infausta quoad valetudinem, immo probabilius et quoad vitam, cum nullum efficax medicae artis remedium adesset, invocatum est caeleste auxilium venerabilis Iuniperi Serra ; necque incassum, nam postremo novendialium precum die, idest 15 mensis Aprilis anni 1960, soror Bonifatia repente et definitive convaluit, in valetudinario *De Paul* urbis Sancti Ludovici in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus.

Hac super asserta mira sanatione instructus est, anno 1985, apud Curiam archiepiscopalem Sancti Ludovici Processus Cognitionalis addito quoque Processu suppletivo in aedibus ipsius Congregationis pro Causis Sanctorum anno 1986 adornato ; de earundem autem inquisitionem forma et vi iuridica decretum exiit die 20 mensis Decembris anno 1986.

Exinde agi coepta est apud eandem Congregationem pro Causis Sanctorum disceptatio iure praescripta de eadem sanatione, et quidem primum, die 8 Iulii a. 1987, in sessione Consilii Medici ipsius Congregationis, exitu affirmativo, contigisse videlicet eandem sanationem praeter naturae artisque medicae leges. Postmodum igitur, die 23 Iulii eodem anno, secutum est examen seu discussio in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; et demum, calendis Decembribus eodem anno, in Vaticanis aedibus, in Congregatione Ordinaria, ponente Em.mo Cardinali Iosepho Caprio. Et in utroque coetu, sive Consultorum sive Cardinalium, posito dubio utrum constaret de miraculo in casu et ad effectum de quo agitur, suffragia praeternaturalem sanationis indolem fuere affirmantia.

Certior deinde factus de hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, ut Decretum super praedicta mira sanatione rite conscriberetur praecepit.

Quod cum esset factum, accitis ad Se hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astanti-

bus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de miraculo a Deo, intercessore Venerabili Servo Dei Iunipero Serra, patrato, videlicet de valde rapida, perfecta et constanti sanatione Sororis Bonifatiae Dyrda a gravi connectivitide polymiostica.*

Quod Decretum in vulgus edi inque acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 Decembris Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

& Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 22 Gennaio 1988, S. E. la Sig. **MIGNONNETTE PATRICIA DURRANT**, Ambasciatore di Giamaica presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 14 Gennaio 1988, S. E. il Signor **GIOVANNI GORIA**, Presidente del Consiglio dei Ministri della Repubblica Italiana.

Venerdì, 22 Gennaio 1988, S. E. il Signor **JULIO LONDOÑO**, Ministro per gli Affari Esteri di Colombia.

Giovedì, 28 Gennaio 1988, S. E. il Signor G. **J.** M. **BRAKS**, Ministro dell'Agricoltura dei Paesi Bassi.

Venerdì, 29 Gennaio 1988, il Signor **DANIEL ORTEGA SAAVEDRA**, Presidente della Repubblica del Nicaragua.

Sabato, 30 Gennaio 1988, S. E. il Signor **BRANKO MIKULIC**, Presidente del Consiglio Esecutivo Federale della Repubblica Socialista Federativa di Iugoslavia.

Lunedì, I° Febbraio 1988, Sua Maestà il Re **HUSSEIN** I, Sovrano del Regno Hascemita di Giordania.

Lunedì, I° Febbraio 1988, S. E. il Signor **CARLOS LÓPEZ CONTRERAS**, Ministro degli Affari Esteri di Honduras.

Martedì, 2 Febbraio 1988, S. E. il Signor **MOBUTU SESE SEKO**, Presidente della Repubblica dello Zaire.

Venerdì, 5 Febbraio 1988, S. E. il Signor **MOHAMED HOSNI MUBARAK**, Presidente della Repubblica Araba d'Egitto.

Venerdì, 12 Febbraio 1988, S. E. il Signor E. **FENECH ADAMI**, Primo Ministro di Malta.

Venerdì, 12 Febbraio 1988, il Signor **EDWIN MÉESE**, Ministro della Giustizia degli Stati Uniti d'America.

Giovedì, 4 Febbraio 1988, si è tenuta, alla presenza del Santo Padre una riunione degli E.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

Lunedì, 8 Febbraio 1988, si è riunita nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla presenza del Santo Padre, la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

6 febbraio 1988. S. E. mons. Ambrose B. De Paoli, Arcivescovo tit. di Lares, ***Delegato Apostolico in Africa Meridionale e Pro-Nunzio Apostolico in Lesotho.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

13 gennaio 1988. I coniugi: Danilo e Annamaria Zanzucchi; Frans e Ineke Verkaart; Mike e Rita Marker; Jorge e Maria Mazzinghi; Igar e Maria Fehr; Lengelo Muyangandu e Ngangula Kalama, ***Membri del Pontificio Consiglio per la Famiglia.***

» » » I coniugi: Virgil C. e Ann Dechant; Bernard e Huguette Fortin; Norbert e Renate Martin; Jean Marie e Anouk Meyer; Ron e Mavis Piróla; Andrzej e Wanda Póltawski; Elias e Feling Porsuelo; Pablo e Patricia Stiefken, ***Membri del Pontificio Consiglio per la Famiglia « in aliud quinquennium ».***

14 » » I Signori: Augusto Fantozzi; Giuseppe Mirabelli; Giancarlo Perone; Alberto Quadrio-Curzio; Francesco Silvano, ***Consultori dello Stato della Città del Vaticano.***

» » » Il sig. Carlo Snider, ***Consultore onorario dello Stato della Città del Vaticano.***

lo » » Il sig. Raphael Chainarong Monthienvichienchai, Presidente dell'UNDA, ***Membro della Pontificia Commissione per le Comunicazioni Sociali.***

16 » » P. Anastasio Disch, O.F.M. Cap., ***Consultore della Congregazione per le Cause dei Santi.***

26 » » Il sig. Enrico Serafini, ***Segretario e Cancelliere della Camera Apostolica.***

3 febbraio 1988. Mons. Wilhelm Imkamp, ***Consultore delia Congregazione per le Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».***

10 » » L'E.mo signor Cardinale Bernardin Gantin, ***Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium ».***

NECROLOGIO

11 gennaio 1988. Mons. Marc Lallier, Arcivescovo emerito di Besançon ***(Francia).***

21 » » Mons. Pierre Marie Pham Ngoc Chi, Vescovo di Dà Naug ***(Vietnam).***

30 » Mons. Edoardo Jetté, Vescovo titolare di Tabe.

3 febbraio » Mons. Richard Field, Vescovo emerito di Ondo ***(Nigeria).***

4 » » Mons. Bogdan Marian Wincenty Sikorski, Vescovo di Plock ***(Polonia).***

5 » Mons. Frederic Donaghy, vescovo emerito di Wuchow ***{Cina).***

13 » Mons. Robert Frossard, Vescovo titolare di Tingaría.

An. et vol. LXXX 4 Martii 1988 N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Gttà del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

Ad universos Ecclesiae Catholicae Episcopos duodecimo expleto saeculo a Concilio Nicaeno II celebrato.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

1. **DUODECIMUM SAECULUM** expletum a Concilio Nicaeno II peracto argumentum fuit plurium et ecclesialium et academicarum celebrationum, quarum haec quoque Apostolica Sedes participem se esse voluit atque consortem.[1] Litteris Encyclicis a Sua Sanctitate Patriarcha Constantinopolitano Sacraque simul Synodo editis[2] idem est rite commemoratus eventus : quod coeptum praestantiam theologicam extulit necnon oecumenicam significationem illius septimi Concilii, quod ultimum agnoscitur et ab Ecclesia Catholica et ab Ecclesia Orthodoxa. Ipsa etiam doctrina, in eodem Concilio definita, attinens ad legitimam in Ecclesia imaginum venerationem, peculiarem meretur considerationem non propter solas fructuum suorum spirituales divitias, verum etiam propter postulata, quae toti campo artis sacrae affert.

[1] Praesertim testimonio Epistulae die VIII mensis Octobris anno MCMXXXXVII redditae a Cardinali Secretario Status ad Praesidem *Societatis Internationalis Historiae Conciliorum investigandae* pro Symposio Constantinopolitano (cfr. *L'Osservatore Romano,* 12-13 Oct. 1987).

[2] *'Em rrj isoor; êjiereiq) amò rfjç ovyxXrjoecoç rf;c èv Nixaiq. âyiaç £' obeovfievtxfjç Svvoôov* (787-1987), Phanar,*14 Septembris 1987.

At pondus ipsum, quod Concilium Nicaenum II argumento traditionis assignavit, immo potius traditionis non scriptae, prae se fert catholicis nobis perinde ac fratribus nostris orthodoxis vehemens quidem invitamentum ut rursus iter traditionis Ecclesiae non divisae coniunctim percurramus, cuius lumine affulgente discrepantiae iterum inspiciamus, quas tot inter nos seiunctionis saecula auxerunt ut, quemadmodum est Iesus Patrem precatus ***(Io*** 17, 11. 20-21), plena denuo reperiatur in unitate visibili communio.

I

2. Concilii Nicaeni II moderator, Patriarcha Constantinopolitanus Sanctus Tarasius, Cum rationem Pontifici Romano Hadriano I redderet de Concilii ipsius processu, scripsit: « Cum omnes sedissemus, caput fecimus Christum. Iacebat enim in sancta sede evangelium sanctum, contestans omnibus nobis sacratis viris qui conveneramus : "Iudicium iustum iudicate" ».[3] Quod autem Christus iis elatus ipse est velut conciliaris congressionis praeses, utpote quae in eius nomine eiusque simul auctoritate colligentur, documentum eloquens sane fuit unde Ecclesiae unitatem effici haud posse nisi ex oboeditione unico illius Domino affirmaretur.

3. Ab imperatoribus, qui Concilium convocaverant, Irene et Constantino VI, decessor Noster Hadrianus I est invitatus « tamquam verus primus sacerdos et is qui in loco et sede sancti et superlaudabilis apostoli Petri praesidet ».[4] Fecit tamen ut suam illic gereret personam Archipresbyter Ecclesiae Romanae atque Hegumenus coenobii Graeci Sancti Sabae Romae. Ut vero universalis Ecclesiae partes legatique interessent, oportuit etiam Patriarchas astare orientales.[5] Quoniam vero regiones illorum iam dominatui subiacebant Mahometanorum, Patriarchae Alexandriae et Antiochiae litteras communes ad Tarasium miserunt ac Patriarcha Hierosolymita-

[3] J. D. MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio* (=MANSI) XII, 460C-D.

[4] MANSI XII, 985C.

[5] Cfr. MANSI XII, 1008. 1085 et *Monumenta Germaniae Historica {=MOH), Epistulae* V *(Epistulae Karolini Aevi,* t. 3), pp. 29. 30-33.

nus epistulam synodalem, quae omnes sunt in Concilio recitatae.[6]

Probatum tum erat oecumenici Concilii decreta nihil valitura nisi Episcopus Romanus ad ea contulisset operam suam adiutricem ac Patriarchae orientales suam déclarassent consensionem.[7] Hac in agendi ratione partes Ecclesiae Romanae agnitae sunt prorsus necessariae.[8] Sic Concilium Nicaenum II Ioannis diaconi explicationem approbavit, ex qua conventus iconoclastarum anno septingentésimo quinquagesimo quarto Hieriae actus nullo modo fuerat legitimus : « non habuit enim adiutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam per vicarios eius, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat conciliorum » similiterque « nec consentientes sibi Patriarchas orientis, Alexandriae scilicet, Antiochiae, ac sanctae civitatis, vel comministros et summos sacerdotes, qui cum ipsis existunt».[9] Ceterum Nicaeni Patres declaraverunt se «sequi, suscipere et admittere » epistulam ab Hadriano ipso ad imperatores missam,[10] necnon epistulam ad Patriarcham datam. Latine nimirum eae praelectae sunt itemque sua in Graeca interpretatione omnesque rogati sunt astantes ut suum singillatim adicerent assensum.[11]

4. Concilium porro in persona ipsa legatorum Papae consalutavit membra « sanctissimae Romae Ecclesiae scilicet apostoli Petri »[12] necnon « apostolicae cathedrae »,[13] propriam sibi faciens locutionem Romanae Ecclesiae.[14] Tum etiam Tarasius Patriarcha ad Nostrum scribens decessorem Concilii nomine, in eo cernit Petri divini apostoli successorem, « cuius cathedram sortita est fraterna sanctitas vestra » et « summo sacerdotio decorata sanctitas vestra, iure ac secundum Dei

[6] Cfr. MANSI XII, 1128-1136 et 1136-1145.

[7] Ita sacerdos Ioannes Patriarcharum orientalium legatus, MANSI XII, 989A et XIII, 3A.

[8] Cfr. MANSI XII, 1133.

[9] MANSI XIII, 207E-210A.

[10] MANSI XII, 1085C.

[11] Cfr. MANSI XII, 1085-1112.

[12] MANSI XII, 993A. 1041D. 1113B; XIII, 158B. 203B. 366A.

[13] MANSI XII, 1085C.

[14] Cfr. Epistula Hadriani Primi ad Carolum Magnum, in: *MGH, Epistulae* III *(Epistulae Merowingici et Karolini Aevi,* t. I), p. 587, 5.

voluntatem sacrum hierarchicum gubernans ordinem opinatissimam habet gloriam».[15]

Maximi momenti Concilii eventuum ille fuisse videtur, cum hoc sententiam suam enuntiaret pro cultus imaginum restauratane, ubi videlicet consilium una voce accepit legatorum Romanorum ut in mediam ipsam sessionem proferri iuberetur venerabilis imago, cui Patres ipsi possent suam testari pietatem suamque venerationem.[16]

Postremum Concilium oecumenicum tum ab Ecclesia catholica tum ab orthodoxa Ecclesia agnitum permanet veluti exemplum mirabile « sociatae operae » seu « synergiae » inter Romanam sedem atque coetum aliquem conciliarem. Locum enim obtinet suum intra prospectum ipsum ecclesiologiae patristicae communionis, quae in traditione innititur, sicut Concilium oecumenicum Vaticanum II merito illustravit.

II

5. Concilium Nicaenum II sollemniter quidem declaravit « traditionem ecclesiasticam sive scriptam, sive non scriptam »,[17] ut normam moderatricem simul fidei simul disciplinae Ecclesiae. Confirmant scilicet Patres servare se velle « omnes ecclesiasticas sive scripto, sive sine scripto sancitas ... traditiones illibate: quarum una est etiam imaginalis picturae formatio, quae historiae evangelicae praedicationis concinit ».[18] Adversus motum enim iconoclastarum, qui et ipse provocavit ad Sacram Scripturam ac Patrum Traditionem, praesertim in pseudosynodo anni septingentesimi quinquagesimi quarti Hieriae celebrata, Concilium Nicaenum II constituit legitimum ius et institutum venerationis imaginum secundum « divinitus inspiratum sanctorum patrum nostrorum magisterium, et catholicae traditionem Ecclesiae ».[19]

Patres Concilii Nicaeni II « traditionem Ecclesiae » complexi sunt ut traditionem sex priorum Conciliorum oecume-

[15] MANSI XIII, 464B-C.
[16] Cfr. MANSI XIII, 199.
[17] Cfr. Quartum anathema, in: MANSI XIII, 399C.
[18] Horos, in: MANSI XIII, 378B-C.
[19] *Ibid.*, 378C.

nicorum necnon orthodoxorum Patrum, quorum doctrina in Ecclesia communiter est accepta. Definivit nominatim *paradosin* ita veritatem fidei essentialem, secundum quam christianus nuntius est « traditio ». Quatenus autem Ecclesia et temporibus progressa est et locis, eatenus intellectus eius de traditione, cuius nuntiatrix est, progressionis etiam aetates est emensa, cuius investigatio cursum designat plane necessarium colloquio oecumenico omnique theologicae inquisitioni.

6. Iam Sanctus Paulus ipse nos docet *paradosin* pro prima christianorum generatione nuntiationem esse eventus Christi eiusque praesentis significationis, qui salutem nempe Spiritus Sancti virtute operetur (cfr. ***i Cor*** 15, 3-8; 11, 2). Verborum porro factorumque Domini in quattuor evangeliis est recepta; non autem inibi est traditio tota expleta (cfr. ***Lc*** 1, 1; ***Io*** 20, 30; 21, 25). Quae quidem primigenia traditio nuncupatur « apostolica » (cfr. *2 Thess* 2, 14-15; *Ids* 17; *2 P e* 3, 2). Respicit illa non solum «depositum sanae doctrinae» (cfr. ***2 Tim*** 1, 6. 12; ***Tit*** 1, 9), verum regulas morum quoque et vitae communitariae normas (cfr. *1 Thess* 4, 1-7; *1 Cor* 4, 17; 7, 17; 11, 16; 14, 33). Ecclesia Sacras Litteras perscrutatur lumine praefulgente « regulae fidei »,[20] id est illius fidei viventis, quae fidelis erga Apostolorum magisterium persistit. Quod vero credidit semper atque observavit Ecclesia, ab eo merito quidem existimatur «apostolica traditio». Sanctus Augustinus postmodum dixit: « quod universa tenet Ecclesia nec conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur ».[21]

Revera sententiae a Patribus conceptae prolataeque inter maximas saeculi quarti et quinti disceptationes thologicas, tum auctoritas etiam usque crescens instituti synodalis singularum regionum aut Ecclesiae universae paulatim illam traditionem converterunt in « traditionem Patrum » vel « ecclesiasticam traditionem », quae cohaerens enodatio traditionis

[20] Cfr. Irenaei, *Adversus Haereses* I, 10, 1; I, 22, 1; in: *Sources Chrétiennes (=SCh)* 264, pp. 154-158; 308-310; Tertulliani, *De praescriptione* 13, 16; in: *Corpus Christianorum,* series Latina *(CChL),* I, pp. 197-198; Origenis, *Peri Archon,* Praef. 4. 10, in: *SCh* 252, pp. 80-89.

[21] *De Baptismo* IV, 24, 31; in: *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (=CSEL)* 51, p. 259.

apostolicae habetur. Sic Sanctus Basilius Magnus ad doctrinas decurrit, « tum eas quae nobis de illo a Scripturis collectae sunt, tum eas quas patrum traditione non scriptas accepimus n,[22] ut suam confirmaret theologiam trinitariam; qua in re duplicem effert doctrinae ecclesiasticae originem : « alia quidem habemus e doctrina scripto prodita; alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolorum *n.*[23]

Concilium ipsum Nicaenum II in medium opportune Sanctum Basilium profert, quod attinet ad theologiam imaginum,[24] provocatque simul ad magnorum doctorum auctoritatem othodoxorum, quales sunt S. Ioannes Chrysostomus, S. Gregorius Nyssenus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Gregorius Nazianzenus. Pondus, ad fidem quod spectat, « traditionum non scriptarum », quae scilicet Sacris non continentur Litteris, S. Ioannes Damascenus praedicavit, cum est hortatus : « Si quis vobis evangelizaverit, praeter id quod Ecclesia sancta catholica, a sanctis Apostolis, Patribus et conciliis accepit, et ad hunc usque diem servavit, aures ne praebueritis ».[s]

7. Propius vero ad nos Concilium Vaticanum II plenam produxit in lucem momentum illius « quae est ab Apostolis traditio ». « Etenim Sacra Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignatum Sacra autem Traditio verbum Dei, a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, successoribus eorum integre transmittit ».[26] « Quod vero ab Apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad Populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt ».[27] « Sacra Traditio et Sacra Scriptura unum verbi Dei sacrum depositum constituunt Ecclesiae commissum ». Authentica autem haec est interpretatio verbi Dei quod « scriptum vel traditum soli vivo Ecclesiae Magisterio concreditum est, cuius auctoritas in nomine Iesu Christi exercetur ».[28]

[22] *De Spiritu Sancto,* VII 16, 21. 32; IX 22, 3; XXIX 71, 6; XXX 79, 15; in: *SCh* 17bis, p. 298, 300, 322, 500, 528.

[23] *Ibid.,* XXVII 66, 1-3, pp. 478-480.

[24] Cfr. Horos, in: MANSI XIII, 378E.

[25] *Sermo de imaginibus,* III, 3, in: *PO* 94, 1320-1321; et B. KOTTEB, *Die Schriften des Johannes von Damaskos,* vol. III *{Contra imaginum calumniatores orationes tres),* in: « Patristische Texte und Studien» 17, Berlin-New York, 1975, III, 3, pp. 72-73.

[26] Constitutio dogmatica *Dei Verbum,* 9.

[27] *Ibid.,* 8.

[28] *Ibid.,* 10.

Per aequam igitur fidelitatem erga communem traditionis thesaurum, quae ab Apostolis ipsis repetitur, Ecclesiae nituntur his ipsis temporis rationes altius perspicere suarum dissensionum viasque simul eas devincendi.

III

8. Horrenda illa « controversia de imaginibus », quae imperium Byzantinum Isauricis imperatoribus Leone III et Constantino V discidit inter annum septingentesimum trigesimum et octogesimum iterumque Leone V imperante labefecit inter annum octingentesimum decimum quartum et quadragesimum tertium, maxime ipsa illa quaestione theologica explicatur, quae fuit iam a principio eius veluti cardo.

Haud sane periculum semper subesse ignorans, ne idololatriae consuetudines paganorum rursus aliquando émergèrent, Ecclesia concessit ut Dominus ipse, Beata Virgo Maria, martyres et sancti picturis effmgerentur vel simulacris, unde Christifidelium precatio ac pietas sustentarentur. Id omnibus sane patebat quod Sanctus Basilius sua aliqua formula inculcaverat, quam ipsum Concilium Nicaenum II iteravit: « imaginis honor ad exemplar transit ».[29] In occidentali orbe Pontifex Romanus Gregorius Magnus plurimum tribuerat didascalicae imaginum indoli in aedibus sacris: « Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur ut hi qui litteras nesciunt saltem in parietibus videndo legant, quae legere in codicibus non valent »; neque veram illius contemplationis causam tradere omisit: « ut ex visione rei gestae ardorem coniunctionis percipiant et in adoratione solius omnipotentis Sanctae Trinitatis humiliter prosternan tur ».[30] In hoc historico rerum nexu, Romae praesertim, saeculo octavo cultus imaginum Sanctorum Caelitum effloruit, unde mirabilia enata sunt artis opera.

Motus autem iconoclastarum, cum veram Ecclesiae abrupisset traditionem, imaginum venerationem esse censebat tamquam reditum ad idololatriam. Non sine inconstantia quadam

[29] *De Spiritu Sancto,* XVIII 45, 19, in: *SCh* 17bis, p. 496; Nicaenum II, Horos, in: MANSI XIII, 378E.

[30] Epistulae Sancti Gregorii Magni ad episcopum Serenum Massiliensem, in: *MGH, Gregorii I Papae Registrum Epistularum,* II, 1, lib. IX, 208, p. 195 et II, 2, lib. XI, 10, pp. 270-271; et in: *CChL* 140A, lib. IX, 209, p. 768 et lib. XI, 10, pp. 874-875.

et ambiguitate vetabant quominus Christus eflmgeretur atque in universum imagines religiosae exhiberentur; attamen permittere usque pergebant picturas profanas, nominatim imperatoris cum reverentiae signis, quae adiciebantur. Argumentationis iconoclastarum fundamentum christologicae erat indolis. Quomodo pingi Christus potest, qui in sua persona et divinam coniungit naturam et humanam, neque confundens eas neque seiungens? Fieri haud potest ut incomprehensibilis illius divinitas fingatur; at eum sola in humanitate praebere significat illum discindere, in ipso divinitatem segregare et humanitatem. Alterutram vero harum viarum eligere ad binas pariter haereses perducet christologicas inter se oppositas: monophysismi ac nestorianismi. Etenim arbitrans se Christum depingere in ipsius divinitate, se quis necessario cogit ut humanitatem eius abscondat; at imaginem non praebens nisi hominis, non patefacit illum Deum quoque esse.

9. Perplexa haec difficultas, ab ipsis iconoclastis proposita, quaestionem de opportunitate artis christianae longe est egressa; in dubium enim vocavit omnem christianam aestimationem veritatis ipsius Incarnationis, ac proinde necessitudinis inter Deum et mundum, inter gratiam et naturam: breviter, agebatur de proprietate « novi foederis », quod cum hominibus pepigit Deus in Iesu Christo. Probe hoc perspexerunt imaginum defensores: secundum vocem Patriarchae Constantinopolitani Sancti Germani, illustris quidem haeresis iconoclastarum victimae, inest tota « oeconomia divina secundum carnem »,[31] quae in controversiam adducitur. Namque vultum Filii Dei humanum cernere, « qui est imago Dei invisibilis » *(Col* 1, 15), idem proinde est ac Verbum carnem factum videre (cfr. *Io* 1, 14), Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi (cfr. *Io* 1, 29). Valet ars ideo ipsa demonstrare formam efiigiemque faciei Dei humanae atque intuentem perducere ad mysterium ineffabile eiusdem Dei propter nostram salutem hominis facti. Sic etiam Hadrianus PP. scripsit: «ipsae sacrae imagines permanentes ab omnibus fidelibus honorantur, ut per visibilem vultum ad invisibilem divinitatis maiestatem mens nostra

[31] Cfr. Theophane, *Chronographia* ad annum, 6221, ed. C de BOOB, I, Leipzig, 1883, p. 404 vel *PG* 108, 821C.

rapiatur spirituali affectu per contemplationem figuratae imaginis secundum carnem quam Filius Dei pro nostra salute suscipere dignatus est : eundem redemptorem nostrum qui in caelis est, adoremus et in spiritu glorificantes collaudemus; quoniam iuxta ut scriptum est, *Deus spiritus est* et ob hoc spiritualiter divinitatem eius adoramus ».[32]

Concilium Nicaenum II sollemniter propterea translaticiam roboravit distinctionem inter « veram latriam, quae secundum fidem est quaeque solam divinam naturam decet, impartiendam » atque « honorariam adorationem » *(timetikè proskynesis)* imaginibus tributam, quoniam « qui adorat imaginem adorat in ea depicti substantiam ».[33]

Christi iconographia omnem complectitur fidem in veritate ipsa Incarnationis et in eius significatione pro Ecclesia hominibusque inexhausta. Eam ideo si Ecclesia adhibet, idcirco facit quod pridem sibi persuasit Deum in Iesu Christo revelatum carnem revera redemisse ac sanctificasse una cum universo aspectabili mundo, id est, hominem quinque instructum sensibus, ut is esse possit « qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit eum » *(Col* 3, 10).

IV

10. Sanxit itaque Concilium Nicaenum II traditionem, quae docet esse « venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis et sacris vasis et vestibus et in parietibus ac tabulis, domibus et viis : tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quam intemeratae Dominae nostrae Sanctae Dei Genitricis honorabiliumque angelorum et omnium sanctorum simul et almorum virorum ».[34] Simul in orientali simul in orbe occidentali huius Concilii magisterium artem enutrivit Ecclesiae atque peperit denique opera pulchritudinis et altitudinis pariter maximae.

Nominatim vero tum Ecclesia Graeca tum Ecclesiae Slavicae in insignium theologorum operibus innixae, qui fuerunt

[32] Hadriani Primi epistula ad imperatores, in: MANSI, XII, 1061C-D.

[33] Horos, in: MANSI XIII, 378E.

[34] *Ibid.,* 378D.

imaginum cultores, videlicet Sanctus Nicephorus Constantinopolitanus atque Sanctus Theodorus Studita, imaginem reputaverunt veluti complentem aliquam liturgiae sacrae partem haud secus atque verbi celebrationem. Perinde ac librorum materialium lectio sinit vivens Domini percipi Verbum, item omnino pictae imaginis exhibitio contemplantibus permittit ut per visum ad salutis perveniant mysteria. « Attamen (sermo) exaratus est hic quoque per chartam et atramentum. Sic et in imagine per varios colores aut aliam forte materiam excuditur ».[35]

La concessione può essere disposta dagli organi deliberanti della competente Amministrazione, esclusivamente per l'acquisto della casa di abitazione e per gravi motivi di salute del richiedente, della moglie e dei diretti congiunti a suo carico.

La sussistenza dei requisiti suindicati deve essere comprovata e valutata dalla competente Amministrazione.

Art. 3. - L'anticipazione della liquidazione può essere concessa nella misura massima dell'80% degli anni di servizio effettivamente maturati.

La concessione può essere disposta una sola volta nell'ambito del rapporto di servizio.

Art. 4. L'anticipazione di cui alla presente normativa viene computata con riferimento al numero degli anni sulla liquidazione che sarà maturata al momento della cessazione del rapporto di servizio.

Art. 5. - L'anticipazione della liquidazione è compatibile con la cessione del quinto, solo qualora la liquidazione già maturata del dipendente assicuri la soddisfazione del suo debito complessivo.

Art. 6. - Le presenti norme entreranno in vigore il I° gennaio 1988.

Città del Vaticano, 15 dicembre 1987.

© **AGOSTINO** Card. **CASAROLI**

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 21 Ianuarii 1988. — Metropolitanae Ecclesiae Dublinensi R. D. Desmondum Connell, Magistrum metaphisicae et Decanum in ordine pholosophiae et Doctrinae socialis apud Athaeneum vulgo « College Dublin ».

die 2 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Bavagalianensi R. D. Alfredum Raquial, moderatorem Seminarii vulgo « Immaculate Heart of Mary » in dioecesi Tagbilarana.

die Jj. Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Syddensi R. D. Franciscum Lagan, curionem paroeciae B. Mariae Virginis in civitate Deria.

die 18 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Clonfertensi R. D. Ioannem Kirby, Praesidem scholae vulgo ((St. Joseph's College ».

die 19 Februarii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Alberti Martin, Episcopi Mcoletani, Exc.mum P. D. Raimundum Saint-Gelais, hactenus Episcopum tit. Dianensem et Auxiliarem dioecesis Sancti Hieronymi Terraebonae.

die 20 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Vicentinae R. D. Petrum Iacobum Nonis, e clero Concordiensis-Portus Naonis dioecesis, Praesidem Magisterii facultatis in Patavina studiorum Universitate.

die 26 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Rusguniensi R. D. Rigobertum Corredor Bermudez, e clero Pereirano, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Darii Castrillón Hoyos, Episcopi Pereirani.

— Titulari episcopali Ecclesiae Theuzitanae R. D. Antonium López Castillo, Vicarium generalem Maracaibensem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Dominici Roa Pérez, Archiepiscopi Maracaibensis.

die 27 Februarii. — Suburbicariae Ecclesiae Sabinensi-Mandelensi, Exc.mum P. D. Nicolaum Rotunno, hactenus Archiepiscopum titularem Minorensem, eidem servans archiepiscopalem dignitatem seu titulum ad personam.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

BAREN.

Canonizationis Servae Dei Eliae a S. Clemente (in saec.: Theodorae Fracasso), monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui ; et concupiscit rex speciem tuam. Quoniam ipse est dominus tuus, et adora eum» *(Ps* 44, 11-12).

Etiam Servxa Dei Elias a Sancto Clemente, monialis professa Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, vocem Domini audivit sivitque illa se duci in via sapientiae et vitae. Iam a pueritia Christi amore illecta, omnia reliquit ut in solitudine et in silentio monasterii lateret, ubi caelesti Sponso continuum laudis obtulit sacrificium et brevi est igne caritatis consumpta. Evangelica mandata secuta, voluit esse sicut granum tritici quod, monens in terrae obscuritate, multum fert fructum (cfr. *Io* 12, 24). Calvariae mysterium contemplata maximo ardore, semetipsam abnegavit, crucem suam cotidie tulit (cfr. *Me* 8, 34). Omnibus viribus actioni sanctificae Spiritus Sancti respondit, ac pacem invenit et gaudium in intima coniunctione cum Deo et in humili eius voluntatis exsecutione. Quod ad hoc attinet scripsit : « Omnia ei dono dedi a vitae meae tempore matutino. In eius amoris misericordis ocea-

num me immisi, nonnisi eius gloriae appetens, quandoquidem sensi me iam non meam esse, sed eius omnino, adeo ut me tractare posset, sicut ei magis placeret ».

Serva Dei Barii orta est a Iosepho Fracasso et Paschali Cianci, die 17 mensis Ianuarii, anno 1901; die autem 21 eiusdem mensis sacris baptismatis aquis renata est et Theodora appellata : quod nomen sane honestavit, quoniam ostendit se esse verum « Dei donum » non solum familiae datum, sed Ecclesiae, cui fideliter servivit quamque virtutum suarum splendore illustravit.

Eius educationi egregie consuluerunt pii parentes et Sorores a Stigmatibus, quarum alumna fuit, primum in schola materna, deinde in ludo elementario usque ad tertiam classem et, ad ultimum, in officina artis plumariae et artis suendi.

Anno 1903 sacramentum Confirmationis accepit et, die' 7 mensis Maii anno 1907, summo cum fervore et fructu copiosissimo Panem Eucharisticum primum sumpsit.

Usque ad undevicesimum aetatis annum in familia vixit, matrem sollerter adiuvans in domus officiis exsequendis et fratrum curam agens minorum natu. Laeta quod caris suis se dedebat, ad noctem extendebat laborem, quem ei Sorores a Stigmatibus committebant. Non tantum omnia familiae munia cum simplicitate explicabat et diligentia, sed utilis esse studebat aliis quoque quam optime. Erat enim pauperum studiosa, contenta catechesi tradenda, amicis secunda, ad quas momentum habebat salutare tum verbis tum exemplo. Iam a puera intellexit clare quidem et acriter se a Christo amari. Haec persuasio fundamentum fuit eius vitae interioris et fertile solum, in quo fortis et constans germinavit cupiditas sanctitatis. Scripsit deinde: «Divinus Magister aperuit mihi scientiam amoris sui et ego comprehendi meum esse hic in terra ardenter bonum Iesum amare in silentio omnium creatarum rerum et in mei ipsius oblivione. Animadvertebam me amari, et ego quoque ei in altissimo silentio meum dicebam amorem » ; et insuper : « percepi animam amorem accipientem, amore dare debere », et, eius sententia, amor erat abnegatio sui, ut libere et plene in Dei contemplationem se mergeret. Interim spiritus eius gradatim abrumpebat se ab omni affectu et inani re terrena atque ab omnibus quae fluxa sunt vel quoquo modo ad vitam aeternam assequendam non necessaria : « Sentiebam me ad caelum creatam esse et nihil terrestrium rerum mihi cordi esse ».

Ut in Christi cognitione et amore proficeret cotidie Eucharistiae sacramentum recipiebat, frequenter ecclesiam adibat ut rebus divinis

interesset et privatim Sanctissimum Sacramentum adoraret. In deprecatione privata et communi assidua erat; tenera pietate Virginem Mariam prosequebatur, quam etiam colebat cotidiana Rosarii recitatione; voluntariam exercebat castigationem libenter in solitudinem et in silentium confugiebat. Utilitatem capiebat etiam ex lectione Evangelii, Imitationis Christi et vitarum Sanctorum ; peculiari modo ei profuerunt quae Sancta Teresia a Iesu Infante de vita sua scripsit.

Eodem tempore crevit in ea instans apostolica cupido : « Intellexi a me quoque, tenui puella, dulcis et amati Iesu sitim expleri posse. Percepi non opus esse magna opera perficere ut animae ad Deum adducerentur; quin bonum Iesum plenam mei ipsius devotionem postulare, in cordis mei solitudine posse et a me infinitum animarum numerum servari ». Quam ob rem, ut conversionem obtineret peccatorum, sacerdotum sanctificationem et regni Dei dilatationem in terra, preces et occultas ademptiones offerre non desistebat.

Cum maiorem exoptaret perfectionem, anno 1914 obtinuit ut admitteretur tamquam novicia ad Tertium Ordinem Dominicanum et anno insequenti professionem fecit, studuitque sedulo exsequi omnia, quae Regula praescribebat. Nomen etiam dedit « Cingulo Sancti Thomae », quod, re, privatum erat castitatis votum.

Iamdiu tamen cupiebat totam se Domino consecrare in monasterio clausurae legi subiecto. Prudentibus spiritus magistris consultis, elegit Carmelum Sancti Ioseph Barensem, quem est ingressa die 8 mensis Aprilis anno 1920. Ipsa causas reliquit scriptas, quae eam adduxerunt ad viam designatam a Sancta Teresia a Iesu : ((Sitio silentium, pacem, precationem: sitio de memoria excidere, pati et ardenter amare; ad Carmelum advolo, ut ardentem hanc sitim restinguam, qua flagro ».

Die 24 mensis Novembris, eodem anno, religiosam induit vestem et nomen cepit Sororem Eliam a Sancto Clemente. Votum se devovendi properanter exauditum est; festinato enim gaudium et fervorem, quibus initio est affecta, spiritus ariditas et obscuritas secutae sunt, quae ideo aggravatae sunt, quia ea a Matre Magistra nec comprehensa nec percepta est. Hae res adversae, quae novem fere menses duraverunt, eius perfectionis appetitionem non exstinserunt, quin etiam in dolore nutribile alimentum inveniebat spiritui suo, adeo ut diceret : « Vanum illum diem dicam, quo pro te nihil quidquam passa sim ».

Die 4 mensis Decembris anno 1921 vota simplicia nuncupavit seque

Christo eucharistico amoris victimam devovit. Annis insequentibus hanc oblationem penitus ad effectum adduxit, contenta quod cum Victima divina amabat et patiebatur.

Anno scholae 1923-1924 est munere functa praeceptricis et magistrae artis acu pingendi, in qua habilissima erat, in paedagogio Monasterio iuncto. Cum simplicitate et affabilitate alumnas educabat — quae eius magnam opinionem habebant — ad fidem et caritatem sinceram, eas adhortans ad omnia ob Dei amorem facienda. Sed in ipso paedagogio, ubi munus suum diligenter explebat, crucem gravissimam et acerbissimam subiit, quam firmissima cum patientia et fortitudine tulit, in condicionibus ignorationis et segregationis, a sodalibus sororibus creatis, quas tamen numquam iudicare destitit « veros bonitatis angelos ». Etsi sine officiis evaserat, nihil dixit nihilque petii, quoniam se dedere quaerebat, et in omnes officiosa esse statuerat nec umquam se excusare et ultimum semper obtinere locum. Deus ei satis erat.

Quo melius Domino placeret, die 8 mensis Decembris anno 1924 id vovit quod esset « perfectius » et, exemplum secuta Sanctae Teresiae a Iesu Infante, Amori misericordi victimam se obtulit. Die 11 mensis Februarii a. 1925 professionem fecit perpetuam.

Alienato corde a rebus mundi et a se ipsa, totam suam fiduciam suamque spem in Domino collocaverat, cuius impense praesentiam experiebatur et paternitatem. Dies in eo consumebat, ut in deprecationem et in contemplationem incumberet divinorum mysteriorum; sacris liturgicis fervide intererat; Sacras Litteras fructuose legebat; intimam suam cum Christo coniunctionem Eucharistiae adoratione incendebat; diligenter observabat Ordinis sui Regulas et serene voluntati superiorum erat obnoxia. Quamlibet peccati et vitii formam vitabat; laetanter crucem suam portabat et sanctificandis animis se condonabat. Ita, dum se sanctam efficiebat, auctui Ecclesiae operam navabat : « Volo sancta fieri, magna sancta — scripsit — ; ideo mundum iugi primo diluculo vitae. In Carmelo sum ut incognitis meis incommodis et iacturis Ecclesiam multis locupletem sacerdotibus. Hic sum ut deprecer pro peccatore, qui abest a Deo; pro iis qui dolent et pro fratribus missionariis : pro iis tota consecrata est vita mea. Sed hoc non sufficit. Veni ad Carmelum ut me sepelirem, ut viverem abscondita in Deo, ab omnibus oblitterata, vel a me ipsa ».

Poterat cum Sancto Paulo dicere : ((Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus » (*G-al* 2, 20). Inconcussa persuasio, qua sen-

tiebat se in amore Christi habitare, eius vis interior fuit eiusque beatitas : ((Iesus semper mihi adest, bene me cognoscit et scit a me se amari, etsi id ei non dico. Me sequitur quocumque vado, numquam fatigatus. De me semper cogitat, me amat. Et de hoc amore immenso mihi loquitur mundus totus et omne quod me circumdat ».

In hac mersa dulcissima spiritus condicione, anima eius similis facta erat ignis ardentis a Spiritu Sancto large aliti. Iam vita eius tota erat amori consecrata : « Fac, mi Deus, ut sicut arenae granulum ego in cordis tui infinita altitudine dissolvar, absumar et flammis dilabar caritatis tuae ». Numquam est invocatio decepta: « Sicut suave nectar me amor invadit, misericors hic amor perrumpit in me, me instaurat eoque me confici sentio ».

Exeunte anno 1926 ad animi dolores, humiliter acceptos et in cellae solitudine súbitos, dolores corporis accesserunt, qui probabiliter prima signa erant morbi, unde erat moritura.

Anno 1927 ei munus concreditum est aedituae ecclesiae, quo melius fieri potuit lampas orans et tus fragrans super ara sacrificii incensum. Interea nemo vim doloribus tribuebat continuis et acerbis, ex quibus eius caput laborabat, quosque sodales sorores falso nervorum infirmitatem putabant. Animae nudatio plena facta est eaque extra modum suam paupertatem sensit suamque tenuitatem. Serva Dei semper occultationem, silentium, duramque vitam exoptaverat, et tunc noctis tenebrae ei obductae sunt; spiritus eius tamen exsultabat cogitatione fingens quae eam manebant. Conscia enim sibi erat Sponsum ad ianuam stare, ut eam semel ad domum adduceret Patris.

In peius versa et mutata die 21 mensis Decembris anno 1927, quasi ex improviso ad Iesu complexum cucurrit die 25 mensis Decembris, Domini Nostri natali. Abrupta est cerebri inflammatione acuta.

Fama sanctitatis, quam viva sibi comparaverat, gradatim annis insequentibus aucta est; qua re Archiepiscopus Barensis eius Causam canonizationis inchoavit celebratione processus ordinarii informativi (annis 1953-1955), cui adiunctus est processus rogatorialis Mediolanensis (annis 1953-1954).

Calendis Iuliis anno 1964 editum est Decretum super scriptis et die 11 Septembris anno 1980 Decretum super Introductione Causae. Item Barii instructus est processus apostolicus (annis 1981-1982), cuius vis et auctoritas agnita est die 23 mensis Novembris anno 1984.

Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die 7 mensis Iulii anno 1987 acto, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Pro-

motore Generali, de virtutibus Servae Dei consentienti cum exitu consuluerunt. Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 17 mensis Septembris eodem anno, Ponente Causae Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi, agnoverunt eandem Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus Praefecto Congregationis atque Causae Ponente, meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, Servae Dei Eliae a S. Clemente (in saeculo: Theodorae Fracasso), monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur:*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Decembris, A. D. 1987.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II
TOLETANA

Canonizationis Beati Simonis De Roxas (Rojas), Sacerdotis professi Ordinis Ss.mae Trinitatis.

SUPER DUBIO

An, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet de miraculo in casu tt ad effectum de quo agitur.

Beatus Simon De Roxas (Rojas), Vallisoleti in Hispania die 22 Octobris anno 1552 natus, Ordinem Ss.mae Trinitatis sexdecim cum ageret annos ingressus est. Presbyteratu suscepto, multiplicem actuo-

sitatem ferventer exereitavit. Lector philosophiae in studiorum universitate Toletana per annum exstitit, ac Superioris Provincialis necnon Visitatoris Apostolici sui Ordinis munus prudentissime explevit. Cum Matriti diu moraretur consiliarius fuit Philippi III Regis, Philippi vero VI praeceptor eiusque Reginae consortis Isabellae a confessionibus. Ob suam erga Deiparam Virginem eximiam religionem, congregationem condidit vulgo appellatam « Esclavos del dulcísimo nombre de María », quae paulatim per totam Hispaniam perque totam fere Europam se extendit, quaeque dudum viget. Vir fuit multae orationis ac paenitentiae multaeque caritatis in pauperes. Obiit Matriti die 29 Septembris a. 1624 in magna sanctitatis opinione. Clemens autem XIII die 13 mensis Maii a. 1766 eum inter Beatos adscripsit.

Vix Beatorum Caelitum honoribus est cumulatus, miranda eiusdem intercessione sanatio est obtenta Valentiae in Hispania, quae tamen nostris hisce diebus ab Apostolica Sede rite est examini subiecta. Quae sanatio sic breviter describitur : Domina Ioachima Mocholi Ingiera, 24 annos nata, quattuor fere annos tumore mamillam sinistram gravissime afficiente erat afflicta. Mulieris vir medicus necnon et alii tres celebriores Valentiae urbis chirurgi de tumoris incurabilitate concordem sententiam dederant. Vespere autem diei 23 Augusti a. 1768, cum dolores ac molestias quam maxime persentiret, aegra mulier oleo ex lampade beati Simonis Rojas, in ecclesia Trinitariorum Valentiae ardenti, mamillam unxit atque beati ipsius intercessioni se fervida prece commendavit. Et ecce : mane insequenti expergefacta, perfecte se sanatam esse invenit, ac magno cum gaudio in ecclesia se ad Deo gratias agendas contulit. Eadem vero die vir eius tresque ceteri a cura medici sanationem perfectam agnoverunt. Septennio a sanatione transacto, anno scilicet 1775, Sanctae Sedis auctoritate apud Curiam Valentinam processus super eadem prodigiosa sanatione est instructus, cuius iuridica forma et vis per Decretum diei 27 Septembris anno 1986 est demum agnita.

Servato igitur hodierno iuris ordine, Consilium Medicum huius Congregationis pro Causis Sanctorum, in sessione die 25 mensis Aprilis hoc anno 1987 coadunatum, re diligenter disceptata, unanimi voce censuit sanationem superius descriptam praeter naturae leges evenisse. Quapropter mirandus eventus theologorum iudicio est subiectum, et quidem primum, die 16 Octobris eodem anno 1987, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; et secundo, calendis Decembri-

bus eiusdem anni, in Congregatione Ordinaria, ponente Exc.mo ac Rev.mo D.no Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Mcaeensi in Haemimonto. Porro, utroque in Coetu, proposito dubio num constaret de miraculo in casu et ad effectum de quo agitur, suam quisque affirmativam opinionem dederunt.

Facta postmodum de hisce rebus per subscriptum Cardinalem Praefectum fideli Summo Pontifici Ioanni Paulo II relatione, Sanctitas Sua suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super eadem mira sanatione rite appararetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo, Beato Simone De Roxas (seu Rojas), intercedente, divinitus patrato,* scilicet de *rapidissima, perfecta stabilique sanatione dominae Ioachimae Mocholi Ingiera a morbo, Italico sermone descripto : « Tumefazione cronica, dura, dolente, con segni di flogosi alla mommella sinistra, con disturbi funzionali alla spalla e alVarto superiore omolaterale ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut Decretum hoc publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 11 Decembris Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

VERONEN.

Canonizationis Beatae Magdalenae Marchionissae de Canossa, fundatricis Congregationum Filiarum et Filiorum a Caritate (1774-1835).

SUPER DUBIO

An, post indultam ab Apostolica Sede eidem Beatae venerationem, constet de miraculo in casu et ad effectum de quo agitur.

Praenobili gente Veronae nata die 1 mensis Martii anno 1774, nobilissimo virtutum comitatu exornata, magnam propensionem ad infirma Christi membra curanda persentiens, religiosam familiam insti-

tuit, quae in aegrotorum curam et puellarum plebis educationem incumberet, sub titulo Filiarum a Caritate. Institutum quoque Filiorum a Caritate pueris derelictis recipiendis et educandis condidit. Eam, sanctitate legitime cognita, Pius Papa XII die 7 mense Decembri anni 1941 in Beatarum numerum adscripsit.

Ad eiusdem autem canonizationem rite obtinendam, Causae actores miram sanationem, eadem Beata intercedente, divinitus patratam Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt. Quae sanatio obtigit Antoniae Sudati, quadraginta et tres annos natae. Haec etenim, invocato Beatae Magdalenae de Canossa caelesti patrocinio, vespere diei 13 Novembris anni 1953 repente, perfecte ac stabili modo ab oculi dexteri morbo, quam medici appellant ***Uveitis*** *exudativa acuta,* convaluit.

Super huiusmodi repentina sanatione Processus est instructus Apostolicae Sedis auctoritate apud Curiam ecclesiasticam Anconitanam anno 1955 a die 13 mensis Ianuarii ad diem usque 6 mensis Martii eiusdem anni. Cuius inquisitionis iuridica forma et vis agnita est Decreto Sacrae tum Rituum Congregationis diei 25 Novembris a. 1955, atque insequenti anno, ad iuris normam, duo periti ex officio inducti sunt qui iudicium ederent initio discussionis num de miraculo ageretur necne ; et ambo sententiam in suspenso reliquerunt propter documentorum paucitatem. Causae autem actores acta complere tunc neglexerunt, expectantes alterum quoque miraculum intercessioni eiusdem Beatae tribuendum et exhibendum prouti tunc temporis ius requirebat. Instaurato autem novo iure anno 1983, quo unum dumtaxat requiritur miraculum ad Beatorum canonizationem habendam, iidem actores Causae toti fuerunt in complendis actis iampridem expetitis. Eapropter Consilium Medicum instauratae Congregationis pro Causis Sanctorum, in sessione diei 1 mensis Iulii anni huius 1987, severo examini subiectis tum testium depositionibus tum novis exhibitis documents, praefatam sanationem per naturae leges haud explicari posse affirmavit. Deinde, iuris ordine servando, secuta est theologorum disceptatio, et primum quidem die 16 mensis Octobris eodem anno, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; et postea, die 17 insequentis mensis Novembris, in Congregatione Ordinaria, ponente Exc.mo ac Rev.mo Domino Antonio Mauro, Archiepiscopo titulari Thagastensi. Et in utroque Coetu affirmativa vota sunt edita, agi videlicet de sanatione quae praeter naturae contigit leges.

Quibus de rebus facta per subscriptum Cardinalem Praefectum fideli relatione in Audientia ipsi concessa, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super eadem mira sanatione appararetur.

Quod cum rite est factum, accitis ad Se hodierna die Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater pronunciavit: *Constare de miraculo, Beata Magdalena Marchionissa de Canossa intercedente, a Deo patrato, scilicet de rapida, perfecta ac stabili sanatione Antoniae Sudati ab unveitide exudativa acuta.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 11 Decembris Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. P **AGAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

FLORENTINA SEU PISTORIEN.

Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Margaritae (in saec.: Mariae Annae Caiani), fundatricis Instituti III Ordinis Franciscalis Minimarum a S. Corde.

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Serva Dei Maria Margarita Caiani ortum habuit ad Caianum in dioecesi Pistoriensi, die 2 mensis Novembris anno 1863. Institutum condidit Sororum Franciscanum Minimarum a S. Corde, iuventuti instituendae aegrotisque opitulandis destinatum. Eam heroicum attigisse virtutum christianarum gradum Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 5 Iunii a. 1986 edixit.

Ut autem Venerabilis Famula Dei honoribus cumularetur Beatorum Caelitum, Causae actores miram, quae asserebatur, sanationem, eadem apud Deum intercedente, Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt. Exposuerunt nempe iidem actores dominam Alicem Poli, annos natam quadraginta et sex, cum edita fuisset a medicis prognosis infausta tum quoad valetudinem tum quoad vitam, invocato no-

mine caelestique eiusdem Venerabilis auxilio, convaluisse rapide, perfecte ac stabiliter a morbo tuberculari cum limphomate et ptritonitide diffusa indolis fibroadesivae et cum syndromate subocclusivo intestinali; idque evenisse mense Novembris anno 1946, in nosocomio loci cui nomen *Viareggio.*

Super hac mira sanatione conditus est annis 1976-1978, apud Curiam ecclesiasticam Lucensem, Processus Cognitionalis, Romamque est transmissus, deque eius iuridica forma et vi decretum prodiit, die 7 Martii anno 1986, Congregationis pro Causis Sanctorum. Consilium autem Medicum penes eandem Congregationem constitutum pro sua competentia, die 16 mensis Iunii a. 1987, disceptavit circa naturam eiusdem sanationis, edixitque eandem scientiae praeceptis explicari quoad modum non posse. Habita est postmodum disceptatio, die 11 mensis Decembris anno 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; et postea, die 2 Februarii anni huius 1988, in Congregatione Ordinaria, ponente Em.mo Domino Iosepho Caprio. Et utraque in congressione, proposito dubio num de miraculo constaret necne cunctis votis responsum est datum affirmativum.

Facta de hisce omnibus rebus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II plena et fideli relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super relata sanatione divinitus effecta Decretum de more appararetur.

Quod cum rite factum est, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto necnon Causae ponente meque Antistite Congregationis pro Causis Sanctorum a secretis ceterisque convocari solitis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de miraculo, Venerabili Maria Margarita Caiani intercedente, a Deo patrato, videlicet de rapida, perfecta stabilique sanatione dominae Alicis Poli a morbo tuberculari cum limphomate et peritonitide indolis fibroadesivae et cum syndromate subocclcsivo intestinali.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 8 mensis Februarii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

ROMANA SEU SABINEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Bernardi Mariae a Iesu (in saeculo: Caesaris Silvestrelli), Sacerdotis professi Congregationis Passionis Iesu Christi.

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Bernardus Maria a Iesu Romae nobili familia Silvestrelli die 7 mensis Novembris anno 1831 natus est eodemque die baptizatus in vicina Basilica Sanctae Mariae supra Minervam et Caesar est appellatus. A praeceptoribus privatis institutus est ac deinde in Collegio Romano Patrum Societatis Iesu. Cognita Congregatione Passionis Iesu Christi, Sanctum Paulum a Cruce sequi statuit. Postquam frustra est primo id facere conatus, ordinatione sacerdotali accepta die 22 mensis Decembris anno 1855, noviciatum ingressus est loci *Morrovalle* in Piceno, ubi plures menses comitem habuit futurum Sanctum Gabrielem a Virgine Perdolente. Facta professione religiosa die 27 Aprilis anno 1857, statim est ei munus docendi delegatum et clericis Congregationis moderandi, ac deinceps variis internis muneribus est functus, vel supremo Praepositi Generalis. Ab anno 1878 semel atque iterum Congregationem fere 24 annos rexit, quam extra Italiam dilatavit, adeo ut « alter Fundator » haberetur, post quodlibet officium abdicatum anno 1907, Papa Sanctus Pius X voluit ei titulum servare Generalis *ad honorem.* Reversus ad usitatiorem vitam communem in recessum oppiduli *Moricone* in Sabina, est ibi mortuus die 9 mensis Decembris anno 1911, fama sanctitatis ornatus, quae crevit in dies, fidelibus eius reliquias venerantibus, in ecclesia recessus eiusdem loci positas.

Processibus Ordinariis actis annis 1932-1935 et introducta Causa die 13 mensis Februarii a. 1942, instructi sunt Processus Apostolici annis 1943-1948. Iuris praescriptionibus peractis, Summus Pontifex Paulus VI die 18 mensis Octobris anno 1973 Decretum promulgari iussit de virtutibus Servi Dei heroum more exercitis.

Causae Actores, ut Venerabilis Beatificationem obtinerent, Apostolicae Sedi exhibuerunt sanationem eiusdem Venerabilis precationi tributam, super qua tum in Processibus Ordinariis tum in Apostolicis testimonia collecta sunt, opportunis instrumentis additis. Eorundem Processuum auctoritas Decreto agnita est Sacrae id temporis Rituum Congregationis, die 7 mensis Maii a. 1951 prodito.

Agitur de sanatione prodigiosa domini Iosephi Girardi Nerolani *(Nerola* est oppidum in provincia Romana situm), quae facta est anno 1932, cum is duodeseptuaginta erat annorum. Gravi corporis affectione correptus, anatomica ratione implicata et extensa, in latere abdominjs dextro, et in condicionem atropham praeterminalem deductus, aegrotus convalescere coepit, invocato Venerabili Bernardo Maria et in potu sumpta parva eius reliquia, et brevi perfectam est adeptus sanitatem, adeo ut potuerit adire ad Servi Dei sepulchrum, ut gratias ageret ei, qui se deprecatorem praebuêrat pro eius periculo. Alios novem vixit annos, et ob causas mortuus est ab affectione diversas, miraculose sanata.

Iuris ordine deinde servato, haec sanatio est a Consilio Medicorum Congregationis pro Causis Sanctorum exquisita in sessione die 27 mensis Maii anni 1987 habita, et maxima Medicorum pars arbitrati sunt summam sanationis explicari non posse solum secundum naturam. Dein disceptatio theologica est secuta, primum in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, die 17 mensis Novembris acto eodem anno; postea, die 19 Ianuarii a. 1988, in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, Ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Iosepho Caprio. Et proposito dubio num constaret de miraculo in casu et ad effectum de quo agitur, in utraque congressione, nempe et Consultorum et Cardianlium, suffragia affirmativa fuerunt.

Quibus de rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens et confirmans, praecepit ut Decretum super mira eaem sanatione rite appararetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die, Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Servo Dei Bernardo Maria a Iesu (in saeculo: Caesare Silvestrelli), videlicet de rapida, perfecta stabilique sanatione domini Iosephi Girardi a gravi morbo, anatomice complexo et extenso, dexteri lateris abdominalis, necnon a statu atrophico praeter minali.*

Datum Romae, die 8 Februarii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, **15** Febbraio **1988,** S. E. il Signor **MARCELINO OREJA AGUIRRE**, Segretario generale del Consiglio d'Europa.

Giovedì, **18** Febbraio **1988,** S. E. il Signor **ELHDJ HASSAN GOULED APTIDON**, Presidente della Repubblica di Gibuti.

Sabato, **20** Febbraio **1988,** l'On. **ROBERT MARTÍNEZ**, Governatore dello Stato della Florida negli Stati Uniti d'America.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

21 febbraio 1988. Mons. Nikolaus Wyrwoll, *Consultore del Segretariato per V Unione dei Cristiani.*

22 » » P. José Montero Castañon, 0. P., *Sottosegretario del Segretariato per i non credenti.*

NECROLOGIO

3 febbraio 1988. Mons. William *R.* Field, Vescovo emerito di Ondo *(Nigeria).*

4 » » Mons. Filippo Aglialoro, Vescovo titolare di Germa di Galazia.

5 » » Mons. Frederic A. Donaghy, Vescovo emerito di Wuchow *(Cina).*

20 » » Mons. Alfredo Vozzi, Arcivescovo emerito di Amalfi-Cava *(Italia).*

» » Mons. Dominique Nguyên Van Lang, Vescovo di Xuân Lôc *(Vietnam).*

23 » » Mons. Marcel Daubechies, Vescovo emerito di Kasama *(Zambia).*

2 marzo Mons. Jan Pietraszko, Vescovo tit. di Torreblanda.

8 » » Mons. Maurus Libaba, Vescovo di Lindi *{Tanzania).*

An. et rol. LXXX 11 Aprilis 1988 N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Qttà del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ARIARIENSIS

Praefectura Apostolica Ariariensis, in Columbiana Republica, ad gradum attollitur Vicariatus Apostolici.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad universas orbis Ecclesias omnem Nostram conferentes curam, interdum nonnulla disponere solemus quae scimus spiritali communitatum singularum bono esse profutura. Ubi igitur cognovimus Praefecturam Apostolicam Ariariensem, in Columbiana Republica, propter Societatis S. Francisci Salesii sodalium sollertem operam, fidelium copia reique catholicae florere incremento, venisse tempus existimavimus ad Vicariatus Apostolici gradum memoratae Praefecturae provehendae, iisdem retentis finibus eodemque nomine. Itaque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositorum comprobantes sententiam, ex Nostrae profecto potestatis Apostolicae plenitudine, Praefecturam Apostolicam Ariariensem ad dignitatem evehimus *Vicariatus Apostolici,* eodem nomine appellandi, iuribus officiisque inpositis quae secundum codicis iuris canonici leges ad hunc pertinent gradum

Nihil tandem addere volumus nisi ut caelestem adprecamur Satorem ut salutaris haec ubertas in dies magis magisque increscat, viribus auctis opibusque omnium. Ipse enim iam praemonuit centuplum fructum prolatum iri ex eo semine quod in bonam cecidisset terram.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*
Antoninus Macculi, *Proton. Apost. s. n.*

Loco *fft* **Plumbi**
In Secret. Status tab., n. 210.515.

II

MVANZAËNSIS

Ecclesia Mvanzaënsis evehitur ad dignitatem archidioecesis Metropolitanae eodemque nomine nova conditur provincia ecclesiastica.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Universae Ecclesiae pro Nostro munere prospicientes, necnon supremam quam in eadem habemus potestatem exercentes, libenter consilia confirmamus ac tuemur, unde Christifideles aliquam utilitatem capere possint. Cum igitur, auditis quorum interest votis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, modo censuerit novam in Tanzania instituendam esse provinciam ecclesiasticam nomine Mvanzaënsem, quae cognomini dehinc archidioecesi Metropolitanae iure subsit, de memoratae Congregationis sententia ad Nos hodie relata, quam ratam habemus, deque potestate Nostra Apostolica hisce Litteris haec, quae sequuntur, statuimus atque iubemus. Dioecesim Mvanzaënsem evehimus ad gradum archidioecesis Metropolitanae novamque

eodem nomine provinciam ecclesiasticam condimus, quae constet tum eiusmodi metropolitana Ecclesia tum sedibus posthac ei suffraganeis Bukobaènsi, Geitaènsi, Musomensi, Rulengensi et Shinyangaënsi. Uno eodemque tempore Venerabilem Fratrem Antonium Mayala, hactenus Episcopum Musomensem, alteris quidem Apostolicis Litteris Nostris nominamus Archiepiscopum et Metropolitam Ecclesiae Mvanzaënsis, ita videlicet ut et ipse iuribus exornetur et privilegiis, quibus ceteri eiusdem ordinis praesules ac Pastores fruuntur, necnon officiis et oneribus eorum propriis adstringatur. Quae hic statuimus, ea ad effectum adducatnur. Has denique Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri decimo.

& **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **BERNARDINUS** Card, **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 212.332.

III

CHALATENANGENSIS

Sancti Salvatoris in America in Civitate nova dioecesis conditur Chalatenangensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui perinde ac Petrus ipsi Nos Universae regimini Ecclesiae atque gubernationi praepositi sumus, nulli quidem aut diligentiae aut labori aut sollicitudini parcimus ut cuncti christiani orbis aptas statuamus sedes. Quocirca, cum Venerabilis Frater Arturus Rivera Damas, S. Salvatoris in America Archiepiscopus, Conferentiae episcopalis perspectis

consiliis, instanter petierit divisa sua circumscriptione nova excitaretur dioecesis, exstante favorabili voto Venerabilis Fratris Francisci de Nittis, Archiepiscopi titulo Tunetensis atque in Civitate Salvatoriana Apostolici Nuntii, ex sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi pro Episcopis praepositorum, apostolica Nostra usi potestate, haec quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi S. Salvatoris in America separamus territorium civilis provinciae seu « departamento » vulgari sermone Chalatenango appellatum ; ex quo seiuncto territorio novam condimus dioecesim *Chalatenangensem* appellandam, cuius scilicet fines iidem erunt atque civilis provinciae seu ((departamento ». Novae dioecesis sedem in urbe Chalatenango collocamus, templumque ibidem situm, S. Ioanni Baptistae dicatum ad gradum dignitatisque Ecclesiae Cathedralis evehimus, cum iustis iuribus atque honoribus. Noviter condita dioecesis erit insuper suffraganea Ecclesiae metropolitanae Sancti Salvatoris in America, ad iuris normam. Mensam episcopalem constituent Curiae emolumenta, fidelium collationes, pars bonorum quae novae dioecesi provenient e divisis bonis archidioecesis Sancti Salvatoris in America, ad normam canonis 122 C.I.C. Item quam primum Collegium Consultorum deligatur qui validum Pastori afferant adiumentum. Ad sacrorum alumnorum institutionem quod attinet, serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis Decreti Concilii Vaticani II « Optatam totius » atque normis a Congregatione pro Institutione catholica statutis. Selecti seminarii alumni necnon sacerdotes in variis disciplinis erudiendi Romam mittantur ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum. Quoad novae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura officiaque, quae sacri canones praescribunt adamussim serventur. Simul autem ac novae dioecesis Chalatenangensis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi habeantur adscripti in cuius territorio beneficium vel officium ecclesiasticum exsequuntur ; ceteri vero sacerdotes, clerici, atque seminarii tirones, ei in cuius territorio legitimum habeant domicilium. Documenta vero omnia actaque quae ad conditam pertinent dioecesim, ad eius Curiam episcopalem mittantur, ibique custodiantur in tabulario rerum religiosarum. Ad ea denique perficienda quae per has iussimus litteras, Venerabilem Fratrem Franciscum De Nittis legamus, factis facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quemvis virum, modo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Re autem ad exitum adducta, documenta confi-

ciantur atque sincerum exemplum ad Congregationem pro Episcopis diligenter mittatur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **BERNARDINUS** Card. G **ANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 210.755.

iv
LEXINGTONENSIS

In Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionali nova conditur dioecesis Lexingtonensis appellata.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Kentukianae ecclesiae prosperitas in America Septentrionali tanta est nuperius a pastoribus ipsis sacris christifidelibusque, Deo opitulante, effecta tantaque cum gaudio animique solacio ab omnibus etiam animadversa ut tres diu iam inibi florentes dioeceses earumque structurae haud amplius sufficere videantur ad congruenter sic auctis prospiciendum necessitatibus pastoralibus singularum paroeciarum atque communitatum et postulatis simul firmioris in posteros annos regiminis. Quam felicem omnino at difficilem eodem tempore condicionem rerum cum Venerabiles Fratres, Thomas Kelly Archiepiscopus Ludovicopolitanus ac Villelmus Hughes Episcopus Covingtonensis, pridem suis agnovissent in locis et gregibus ipsis, gravibus captis una cum Conferentia Episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis consiliis, fidenter huic suaserunt Apostolicae Sedi ut quarta iam eodem in statu excitaretur ecclesiastica dicio idque opus quam primum ut perficeretur motis precibus petiverunt. Quandoquidem Nobis usquequaque probatur causa huius finium commutationis et certa eiusdem consilii opportunitas demonstratur, prompta igitur voluntate iudicium ea de re secundum et propensum accipimus Venerabilis Fratris Pii Laghi, Archiepiscopi titulo Maurianensis inque Foederatis

Civitatibus Americae Septemtrionalis Pro-Nuntii Apostolici, necnon vota incepto faventia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium quorum negotia est pertractare Congregationis pro Episcopis, ac suppleto quantum opus est eorum consensu, quorum vere interest vel quovis nomine interesse existimatur, pro apostolicae potestatis Nostrae plenitudine haec singula decernimus fierique iubemus quae nominatim recensentur continuo. A finibus archidioecesis Ludovicopolitanae comitatus segregari volumus quibus vulgaria sunt haec nomina : Anderson, Boyle, Lincoln, McCreary, Mercer, Pulaski, Wayne ; similiterque a dicione separamus Covingtonensi civilia loca suis sic appellationibus designata: Bath, Bell, Bourbon, Boyd, Breathitt, Carter, Clark, Clay, Elliott, Estill, Fayette, Floyd, Franklin, Garrard, Greenup, Harlan, Jackson, Jessimine, Johnson, Knot, Knox, Laurel, Lawrence, Lee, Leslie, Letcher, Madison, Magoffin, Martin, Manifee, Montgomery, Morgan, Nicholas, Owsdey, Perry Pike, Powell, Rockcastle, Rowan, Scott, Whitley, Wolfe, Woodford. Quibus de ita seiunctis in unumque conglobatis locis novam ex integro condimus dioecesim posthac videlicet *Lexingtonensem* vocitandam et gubernandam iisdem prorsus definitam finibus quibus praedicti civiles comitatus simul sumpti circumscribuntur. Sedem vero huius dicionis novellae ipsa collocamus in urbe vulgari vocis « Lexington » quam proin ad episcopalis civitatis evehimus dignitatem. Episcopi dein cathedram sacra defigi volumus in aede Deo ad honorem Christi Regis dedicata memoratam intra urbem quae ad Cathedralis templi Lexingtonensis liturgicum gradum attollitur atque honorem, cui deinceps universa convenient insignia privilegia iura quibus reliquae per orbem fruuntur cathedrales ecclesiae. Eandem praeterea dioecesim Lexingtonensem suffraganeam subdimus archidioecesi ipsi Ludovicopolitanae eiusque pro tempore Antistitem metropolitico aequaliter subicimus iuri archiepiscopi Ludovicopolitani. Mensam porro novae dioecesis episcopalem cumulabunt exornabuntque tum Curiae certa postmodum emolumenta, liberales fidelium oblationes ac portio ei obtingens ex partitione, ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici peragenda, bonorum nempe quae adhuc episcopalem ad mensam archidioecesis Ludovicopolitanae necnon dioecesis Covingtonensis pertinuerunt. Episcopum autem pro tempore Lexingtonensem iuribus cunctis augemus et privilegiis, quin immo et honoribus, quibus reliqui, alibi gentium dioecesani Antistites pollent, atqui officiis illum pariter obstringimus et oneribus obligationum quibus ceteri locorum tenentur Ordinarii. Ne vero ullum Pastori sic

constitutae hodie dicionis desit validum a principio adiumentum in cotidiana rerum gubernatione, illic constituendum censemus Collegium Consultorum ex regula iuris. De candidatis autem ad sacerdotium eorumque institutione servabuntur perquam religiose tam praescripta iuris communis quam mandata Decreti Concilii Vaticani Secundi cui titulus « Optatam totius » atque etiam normae a Congregatione pro Institutione Catholica his de rebus editae. Cum primum novae dioecesis constitutio suum rite ad effectum erit deducta, eo ipso tempore factoque sacerdotes eidem illi Ecclesiae adscripti erunt habendi cuius in finibus ecclesiasticum detinent officium ; reliqui autem omnes presbyteri clerici seminariique alumni manebunt vel incardinabuntur illi dicioni ubi legitimum habent domicilium. Omnia insuper documenta publicaque acta novam hanc dioecesim eiusdemque clerum fideles ac res respicientia temporales mandamus ut a Curia episcopali simul archidioecesis Ludovicopolitanae simul dioecesis Covingtonensis admodum diligenter ad Curiam transferantur Lexingtonensem ut in tabulario tempestive instruendo istic adserventur. Denique tandem Venerabilem Fratrem commemoratum superius Pium Laghi aut, ipso forte a sede absente, negotiorum Apostolicae Sedis in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus curatorem destinamus haec ad perficienda plane mandata praeceptaque nostra, necessarias cui et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo hic agitur, alium quemlibet virum ecclesiastica in dignitate constitutum, onere tamen addito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum licuerit, verum exemplar perferendi ipsius actus peractae iam exsecutionis consiliorum Nostrorum. Has pastremo Litteras Apostolicas, quas tanta cum spe exspectationeque rerum deinceps praeclararum in Kentukiana regione quattuor iam instructa dioecesibus expediendas curamus sub plumbo, tam nunc quam postea validas esse ratasque volumus, contrariis quibuslibet rebus neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £g Plumbi
In Secret. Status tab., n. 212.804.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Famulis Dei Mariae Pilar a Sancto Francisco Borgia duabusque ex eadem Religiosa Familia sociis Beatorum martyrum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ut in Dcreto de Presbyterorum ministerio et vita legitur Concilii Vaticani II *(Presbyterorum Ordinis,* n. 14), vita interior et externa

apostolica industria debent inter se consentire ; quam vitae unitatem « extruere valent Presbyteri exemplum in ministerio adimplendo sequentes Christi Domini, cuius cibus erat voluntatem facere illius, qui eum misit ut opus suum perficeret ».

Hoc quidem fecit etiam sacerdos Franciscus Chiesa, dioecesis Albae Pompeiensis parochus. Revera vir fuit impensae pietatis, simplex, studiosus mentem animumque in Deum intendendi, ad apostolicas formas varias promptus, litterarum studio deditus, rerum curiosus quas eius tempus postulabat, scriptor elegans et fecundus, erga veritatem fidelis et solum adducendi animas ad Deum cupidus.

Natus est in pago patrio sermone *Monta d'Alba* appellato, intra dioecesis Albae Pompeiensis fines, in Cuneensi provincia, die 2 mensis Aprilis anno 1874 a Laurentio et Teresia Aloi, et biduo post in paroecia Sancti Antonii Abbatis, sunt ei nomina indita Franciscus et Paschalis. Novem annos natus Confirmationem, die 18 mensis Octobris a. 1883, ab episcopo Albae Pompeiensis accepit.

Novem annorum est in praeseminarium admissus Augustae Taurinorum aperto alumnorum pauperum vocationibus colendis. Ibi mansit ab anno 1883 ad annum 1886 ut ludos elementarios perageret et primam gymnasii classem, bono cum eventu.

Mense Octobri anno 1886, initiali patris recusatione superata, est Albanum Pompeium seminarium ingressus et per decem annos se ad sacerdotium praeparavit peculiari diligentia. Cum acri ingenio et mente praeditus esset, molliore animo et affirmata voluntate, mox comprehendit suum esse ante omnia bene se formare respectu sacerdotii, hocque firmiter statuit, tribus nitens fundamenis : pietate, studio et disciplina.

Die 11 mensis Octobris anno 1896, viginti duos annos et sex men ses natus, ordinatus est sacerdos ; quod quidem meta fuit votorum eius et vitae industriae atque fructuosae initium ; exinde enim per reliquos vitae annos omnino Dei et proximi servitio deditus fuit estque difficilibus et gravibus muneribus functus, quae semper suo Superiori oboediens exsequenda suscipiebat.

Statim post ordinationem, ei praeceptio in seminario delegata est in ludo elementario et in prima gymnasii classe. Animadvertit illam viam suam esse futuram, et constituit se quam maxime idoneum reddere ad illud munus explendum formationem suam perficiendo ad culturam pertinentem. Hinc studia perrexit et est doctor in Theologia, in Utroque Iure et in Philosophia renuntiatus.

Ab anno 1898 Philosophiam docuit et ab anno 1909 usque ad mortem Theologiam, sed scholas habuit etiam sacrae Eloquentiae, Artis sacrae, Pastoralis, Patrologiae, Archaeologiae, Iuris Canonici, et apud Piam Societatem Sancti Pauli docuit Liturgiam et asceticam disciplinam.

Ob magnam suam doctrinam et aestimationem quam sibi pepererat, die 25 mensis Ianuarii anno 1907 a Sacra id temporis Congregatione Studiorum nominatus est.Doctor Pontificiae Facultatis Iuridicae Taurinensis.

Servus Dei hoc ministerium veram missionem existimavit, quam quinquaginta ferme annos et usque ad mortem persecutus cum fidelitate et alacritate. Dioecesi et Piae Societati Sancti Pauli optimos sacerdotes et religiosas praeparavit. Semper voluit non solum- mentes, verum etiam futurorum ministrorum Dei conscientias formare.

Scriptor eximius fuit, suaque uberi tt acerrima cura excellentique cultura, multos conscripsit libros, quibus vel difficillimae quaestiones et notiones vulgavit, ardore semper impulsus utendi cultura pro apostolicis propositis. Servus Dei vult sophismata dissipare omnemque superbam altitudinem extollentem se adversos scientiam Dei, et in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi (cfr. *2 Cor* 10, 5). Voluit magister esse, qui omnes doceat viam ad Deum adducentem. Cum autem non posset ad omnes voce pervenire, id 'facere conatus est scriptis suis, apostolus factus Communicationis socialis. Sub vitae exitum iure scripsit : « Domine, tibi gratias ago, quia non meo merito sed tua misericordia mihi beneficium dedisti doctrinam tuam semper docendi ».

Die 23 mensis Aprilis anno 1913 est parochus creatus paroeciae Sanctorum Cosmae et Damiani Albae Pompeiae, in qua triginta tres annos fructuosum exercuit ministerium, instituens scholas catechistis formandis, Consociationes curans Actionis Catholicae, Oratorium pro iuventute condens, apostolatum deprecationis provehens et omnes nitens adire familias, etiam quae maxime aberant a religione colenda, per litteras pastorales menstrues. Semper pauperibus consuluit, dolentibus et aegrotis, omnes ascetica vita alliciens, voluntatis notata iacturis et ardenti deprecatione, ita ut ab omnibus verus haberetur Dei minister, magnus apostolus, pater omnibus bonus.

Tanto in honore fuit ob suas ingenii dotes obque singularem pietatem in dioecesi, ut multa ei sint munera delegata, qualia fuerunt Iudicis Prosynodalis, Canonici ecclesiae Cathedralis, Praesidis cura-

torum dioecesanorum Actionis Catholicae, Rectoris Seminarii, Administratoris Apostolici dioecesis Albae Pompeiensis, et quolibet auxilium ferebat suae experientiae, suarum non communium facultatum, exempli vitae cum Domino arcte coniunctae.

Annis 1930-1931 oculis laboravit; omnia tamen aequo animo tulit.

Altero omnium gentium bello pro multis est nisus, qui non solum cura morali, verum etiam corporea indigebant.

Mense Maio anno 1946, fortasse quia erat laboribus apostolicis et belli incommodis debilitatus, est arteriarum pulmonisque inflammatione seu bronchopulmonite correptus. Medico iubente corpus imposuit lecto, unde numquam surrexit. Quando id animadvertit, dolores et separationem sine lamentatione accepit, obviam Domino procedens fidenter, quem semper dilexerat cuique semper servierat firme prompteque. Tempestive ultima petiit Sacramenta multaque cum pietate recepit, gratus in Deum etiam propter extremam hanc gratiam vitae suae. Sancte mortuus est sicut vixerat, die 14 mensis Iunii anno 1946, septuaginta duorum anorum, quorum quinquaginta in sacerdotio egerat, postquam vitam pro illorum omnium aeterna salute devoverat, quos ei Dominus concrederat.

Servus Dei Franciscus Chiesa vocationi suae sacerdotali plene respondit, perfecte ad effectum adductis consiliis captis pridie ordinationis sacerdotalis, plenam cum Domino coniunctionem adeptus, sanctitate videlicet.

Quod statuerat, prorsus perfecit : « Res ordinarias modo facere perfecto », sicut eius Episcopus commemoravit, mortui laudationem faciens ; eum namque definivit : ((Christianum perfectum, sacerdotem perfectum, parochum perfectum ». Servus enim Dei fide praeditus fuit firmissima, consciusque sibi fuit se omnino Deo obnoxium esse et ad vitam aeternam iter facere. Ei vires suas omnes dicavit, promptus, constans laetusque ei serviens, etiam vitae suae temporibus difficilioribus. Sacerdos fuit fortitudinis singularis, quam ostendit in solidis illis sacerdotalibus adipiscendis virtutibus, unde ministri Dei verum exstitit exemplar. Novae caritatis apostolicae fuit, quae studium facta est salutis animarum, quibus totum se dedidit. Vitae humilis et illibatae exemplo fuit, et propter magnam culturam praeceptor et scriptor, qui admirationem excitabat, quoniam ad Deum per eam ascendit, ut intellegentias pelliceret et ad veritatem duceret. Quocirca nuntium reliquit sanctitatis imitabilis, quia haec orta erat ex plena fidelitate erga

propriam vocationem et explicata in munerum cotidianorum perfecta exsecutione, in Dei et proximi ministerio.

Aucta post mortem fama sanctitatis multisue gratiis et favoribus a fidelibus obtentis, qui eum fiducia pieni invocabant, Beatificationis Processus instructus est in dioecesi Albana Pompeia a die 4 mensis Februarii anni 1959 ad diem 21 mensis Decembris anni 1964.

Scripta recognita sunt a Congregatione pro Causis Sanctorum et de his est Decretum editum die 9 mensis Februarii anno 1967. Decretum de Causae Introductione apud Apostolicam Sedem, die 23 mensis Maii anno 1975, prodiit; postea in dioecesi Albana Pompeia est Processus Apostolicus a die 30 mensis Novembris anni 1977 ad diem 29 mensis Maii anni 1979 instructus. Utriusque autem Processus auctoritas ab eadem Congregatione est agnita die 15 mensis Maii anno 1981.

Servatis igitur de iure servandis, quaestio apud Congregationem pro Causis Sanctorum instituta est de virtutibus ab eodem Servo Dei exercitis, idque primum, die 23 mensis Iunii anno 1987, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo Dno Antonio Petti, Fidei Promotore Generali' postea, die 3 mensis Novembris eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Exc.mo ac Rev.mo D.no Antonio Mauro, Archiepiscopo tit. Thagastensi. Et utroque in Coetu, proposito dubio num Servus Dei Franciscus Chiesa virtutes exercuisset heroum in modum omnes una voce affirmantes responderunt.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, praecepit Sanctitas Sua ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus rite appararetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proqimum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Chiesa, Canonici Ecclesiae Cathedralis Albae Pompeiensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 8 Februarii A. D. 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

8* Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

ARIMINEN.

Canonizationis Servae Dei Elisabethae Renzi, fundatricis Magistrarum Piarum a B. M. V. Perdolente (1786-1859).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Pulchra igitur et gravis quidem ponderis est vocatio illorum omnium qui parentes in eorundem officio implendo iuvantes et communittais humanae vices gerentes, munus educandi in scholis suscipiunt ; quae vocatio peculiares mentis et cordis dotes, diligentissimam praeparationem, continuam renovationis et adaptationis promptitudinem expostulat » *(Gravissimum Educationis,* 5).

Quod Concilium Oecumenicum Vaticanum II alto suo magisterio de vocatione ad munus docendi describit et affirmat, semper sancti educatores magni fecerunt, tamquam Divini Magistri imaginem mandati (cfr. *Mt* 28, 19).

Vocationem hanc vehementer sensit et explicavit etiam Serva Dei Elisabetha Renzi, Magistrarum Piarum a Virgine Perdolente, quae nunc multis in nationibus et continentibus diffusae sunt, Conditrix.

Die 19 mensis Novembris anno 1786 Saludecii orta est, in finibus dioecesis Ariminensis, a Ioanne Baptista Renzi et Victoria Boni, optimis christianis et amplae condicionis, ac insequenti die est baptizata. Primo domi educata est, deinde, postquam cum suis in vicinum pagum Mondainum se contulerat anno 1791, educanda credita est Clarissis monasterii Sancti Bernardini illius loci ; unde exiit anno 1807, ut intra Augustinianas ingrederetur vici *Pietrarubbia* communi sermone vocati. Anno 1810 eo compulsa est, ut in familiam rediret ob Napoleónicas leges, quae Instituta religiosa abolebant; sed Serva Dei propositum in corde firmum servavit se totam Deo consecrandi, ubi rerum temporumque adiuncta id permisissent.

Parum commoda valediitine exercita est, iuveni mortua sorore, in pietate erga familiares perculsa, Serva Dei ad clariorem et firmiorem normam vitam direxit post occursum cum pio sacerdote Vitali

Corbucci, qui eam ad Ephebeum Coriani misit, anno 1818 institutum puellis erudiendis tuncque aptis et praeparatis indigens magistris. Serva Dei in illud introivit die 29 mensis Maii anno 1824, annos nata fere duodequadraginta, spiritu matura, diligentia mota et ad utilitatem Instituti propensa. Suis namque moxi praestitit intellegentiae et bonitatis facultatibus, adeo ut ab anno 1825 crebros et prqtractos cum Beata Magdalena de Canossa foveret congressus, eo consilio, ut, si posset fieri, Ephebeum Coriani cum Filiis Caritatis coniungeretur, quas haec instituerat. Quae Beata Servam Dei magni existimabat eiusque perspexit etiam munus in Ecclesia, nempe novam constituendi religiosam familiam. Ubi enim ambae intellexerunt coniunctionem fieri non posse, Serva Dei prompte Ephebei rectionem suscepit legemque composuit pro ((Pauperibus a Crucifixo », ex qua eius apparet magna religio.

Gravibus et non paucis superatis difficultatibus, etiam publicis, propter notos históricos eventus, tandem die 25 mensis Augusti anno 1839 approbationem obtinuit episcopalem necnon constitutionem novi Instituti, quod est significanter et considerate vocatum ((Magistrae Piae a Virgine Perdolente ».

Ultimis viginti annis vitae Serva Dei prospexit Instituto confirmando et dilatando, pro multarum vocationum adiumento, quae effecerunt ut novae Domus, praesertim in Romaniola, aperirentur. Serva Dei curavit novas Instituto constitutiones dandas, quas Episcopus Ariminensis anno 1850 approbavit.

Ante omnia religiosarum suarum formationi operam navavit, eas exemplo vitae omnino Deo et proximo deditae antegrediens et prudenti verbi informans praeceptione, ab amabili familiari condicione non seiuncta, quae propria omnis Magistrarum Piarum communitatis esse debebat.

Serva Dei, corporis constitutione graciliore, tota vita habuit cur pateretur, sed inde occasionem nacta est ut Iesu Crucifixo et Virgini Perdolenti fieret similior. Eius infirmitates in peiorem partem mutatae sunt primis anni 1859 mensibus ; unde vires contritae et finis vitae acceleratus. Frequenter Sacramentorum accepto solacio, die 14 mensis Augusti, proximo ante diem festum Assumptionis Mariae, anno 1859, sommo in Domino consopita est, ter significantibus dictis verbis : ((Ego video ... ».

Eius corpus est sub pavimento sacelli Coriani sepultum et anno 1896 effossum atque in interiore parte eiusdem sacelli collocatum.

Veneratio Servae Dei vivae tributa, non solum in familia religiosa ab ea condita, in famam sanctitatis mutata est, quae volvente tempore aucta est, vere singularibus virtutibus fota quas coluit quasque clare testes eius temporis animadverterunt. Non communi instructa indole, Serva Dei impulsus gratiae est praemature secuta statuitque in corde suo vivere in castitate perfecta, ut soli Deo et bono proximi se traderet.

Post formationis tempus, illam adepta maturitatem, qua est adducta ad vitam religiosam in Ephebeo Coriani, ut postea Congregationem conderet Magistrarum Piarum a Virgine Perdolente, Serva Dei exemplar facta est plenae Deo consecrationis. Semper cum animi conscientia consentiens, habitu suo ceteris praedicabat : humilis, affabilis, urbana et prudens praeter modum iudicandi humanum, sibi aestimationem comparabat et observantiam omnium. Recta et simplex, mente clara et alta ornata erat simulque personarum et eventuum perspicientia, quae ex eius constanti cum Deo coniunctione oriebatur.

Ea fides, qua in familia imbuta erat quamque apud Clarissas et Augustinianas perfecerat, veluti nota praecipua eius personae facta est eamque interna illa instruxit probitate, quae deinde re in Institutum condendum redundavit, « quod quidem actus fidei fuit ex mirificentissimis et rarissimis, qui in exsilii tenebris fieri possint », sicut ei humiliter profitendum fuit. Fides eius constans fuit et pietas impensa et perseverans deprecationis studium, atque ardens erga Eucharistiam, Passionem et Virginem Perdolentem religio, cui suum Institutum consecravit. Et fides quidem industria erat, quae in sedulitatem animarum vertebatur et praecipue iuventutis, propositis missionalibus coniuncta, quae postea Filiae eius ad effectum adduxerunt. Intima cum Deo coniunctione Serva Dei excitata est ad firmissimam explicandam spem, quae eam a rebus terrenis plane abalienabat et ad sola bona aeterna dirigebat. Precox se uni Deo consecrandi consilium, etsi necessario aetate matura confectum, totam eius vitam informavit, idque eam nec piguit nec paenituit.

Ad summam perfectionem Serva Dei pervenit in exercitatione caritatis tum in Deum tum in proximum. Conscientiae integritatis observantissima, cavit ne ipsa peccaret nec alii quodlibet praeberent indicium peccati, studens in omni virtute proficere. Hunc spiritualem ascensum intellexit Beata Magdalena de Canossa, observans vere Dominum et Elisabetham « mutui amoris et perfectae donationis effu-

sione vincire)). Tam vehemens erat eius cum Christo coniunctio, ut post ferventes suas Communiones exclamaret : « Eum fero, qui me fert ».

Ita Serva Dei amorem Dei erga proximum significabat, praesertim erga suas religiosas, quas ut filias amabat. Corrigebat, si necessarium erat, sed semper cum urbanitate maternaque cum cura. Filias suas hac ratione incitavit ut verae essent apostolae, maxime in campo catechesis, qui ei multum cordi erat, atque scholae, utpote Magistrarum Piarum peculiaris vocationis. Parvulos et iuvenes indigentes potissimum dilexit et ex officio Instituti sui est prosecuta, sicut et hodie accidit.

Firmiter ad usum virtutum theologalium religata, Serva Dei non minus exsecutione fulsit virtutum cardinalium et consiliorum evangelicorum. Mulier multi consilii multaeque intellegentiae, cum civilibus et religiosis auctoritatibus, etiam in casibus difficilibus, vera prudentia, humanam naturam excedente, egit, exactissimam servans iustitiam et secundum spiritum serenae humilitatis. Eius fortitudo exercitata est, per non breve vitae spatium, peculiari modo in eventibus constitutionis, confirmationis et propagationis Instituti, sicut et in subeundis molestiis infirmae valetudinis et voluntariae paupertatis. Habitu angelica et in continentia constans, enituit etiam oboedientia et obsequio erga Ecclesiam et Hierarchiam, quandoquidem affirmabat oboedientiam « vehiculum esse ad Paradisum ».

Spiritalis hereditas Servae Dei est diligenter a religiosis eius Instituti conservata, quod anno 1902 factum est Congregatio iuris pontificii, et suam est dilatationem post id etiam extra Italiam persecutum.

Quamvis Servae Dei fama sanctitatis duraret et crescerei, ob rationes praesertim historicas, Beatificationis et Canonizationis Causa, optata sane, inchoari non potuit. Solum annis 1965-1967, apud Curiam Ariminensem, instructus est Processus Ordinarius, documentis et testibus nisus ; qui Processus Sectioni Historicae Sacrae id temporis Rituum Congregationis commissus est. Ampliata in pluribus tabulariis et bibliothecis historica inquisitione, post non paucos annos laboris, est *Positio Historica* composita (a. 1985). Iam die 21 mensis Decembris anno 1968 edito Decreto super scriptis et vulgatis interim novis de tractandis Causis Sanctorum Normis, a Consultoribus historicis de *Positione Historica* disceptatum est in sessione die 18 mensis Februarii anno 1986 habita, concordi cum Consultorum in historia peritorum consensione.

Item Consultores Theologi in Congressu Peculiari, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, acto die 27 mensis Octobris anno 1987, una voce fassi sunt Servam Dei Elisabettiani Renzi heroum in modum omnes théologales et cardinales virtutes exercuisse. Die 12 mensis Ianuarii anno 1988 convenit Congregatio Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, Ponente Exc.mo ac Rev.mo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Mcaeensi in Haemimonto, et omnes idem uno ore de virtutibus Servae Dei affirmaverunt.

Facta postmodum per subscriptum Cardinalem Praefectum de omnibus rebus supra expositis Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli et accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens rataque habens, ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus rite conscriberetur iussit.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Elisabethae Renzi, Fundatricis Magistrarum Piarum a B. M. V. Perdolente, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Februarii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. *m* **S.**

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

quo recitationi hymni « Acathistos » indulgentiae adnectuntur.

Inter alios ritus, qui ad pietatem erga Beatissimam Virginem Mariam hoc anno, Ei peculiari ratione dicato, fovendam, vel iam peracti sunt vel peragentur, insignem prorsus significationem induet venerandi hymni byzantini « Acathistos » celebratio, quam Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 25 proximi mensis martii, in sollemnitate Annuntiationis Domini, ipse perficiet.

Etenim Consilium Primarium Anno Mariali celebrando, considerans ritum illum optime respondere optato fini ut, ipso Mariali Anno medium suum cursum attingente, Episcopi cum suis fidelibus in honore persolvendo supplicationibusque Mariae Virgini admovendis Summo Pontifici arte coniungantur, commendare statuit ut, vel eodem die vel alias ubi primum licuerit, ab ipsis ubique per orbem hymnus « Acathistos » pie concinatur.

Hac autem communi Dei Genetricis veneratione, adhibita Liturgiae Orientalis mira precandi formula, Catholicae Ecclesiae unitas et fraternitas veluti ob oculos versabuntur.

Sacra vero Paenitentiaria, commemorans hymnum « Acathistos » expresse suggerì in Concessione 48 « Enchiridii indulgentiarum », n. 4, libentissime decernit, solitis quidem condicionibus (sacramentalis confessionis, eucharisticae communionis et orationis ad mentem Summi Pontificis), ut omnes fideles, qui in dicta hymni celebratione cum suis Sacrorum Antistitibus pie sese sociaverint, Indulgentiam plenariam acquirere valeant.

Patet autem vi Concessionis generalis N. 1 eiusdem « Enchiridii indulgentiarum » recitationem hymni « Acathistos » partiali Indul-

gentia semper ditari, si fideles per eam pie mentem Deo erigant in officiis suis gerendis et vitae aerumnis tolerandis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Paenitentiaria, die 13 februarii 1988.

ALOISIUS Card. **DADAGLIO,** *Paenitentiarius Maior*

L J S .

Aloisius De Magistris, *Regens*

In Paeniten. Apost, tab., n. 9/88/1.

DIARIUM ROMANAE CURIAE
CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 17 marzo 1988, S. E. il Signor **EMANUELE SCAMMACCA DEL MURGO E DELL'AGITONE**, Ambasciatore d'Italia presso la Santa Sede.

Giovedì, 24 marzo 1988, S. E. il Signor **TAREK ABDUL RAZZAR RAZZOUQUI**, Ambasciatore del Kuwait presso la Santa Sede.

Venerdì, 25 marzo 1988, S. E. il Signor **JEAN-CLAUDE LABOUBA**, Ambasciatore del Gabon presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 10 marzo 1988, S. E. il Signor **DON ALFONSO CABRERA HIDALGO**, Ministro degli Affari Esteri del Guatemala.

Venerdì, 18 marzo 1988, S. E. il Signor **CYPRIEN MBONIMPA**, Ministro per gli Affari Esteri e per la Cooperazione del Burundi.

Sabato, 2 Aprile 1988, S. E. il Signor **GEORGE A. SHULTZ**, Segretario di Stato degli Stati Uniti d'America.

Lunedì, 4 aprile 1988, S. E. la Signora **JEANNE SAUVÉ**, Governatore Generale del Canada.

Giovedì, 24 marzo 1988, nel Palazzo Apostolico Vaticano il Santo Padre ha presieduto una riunione degli E.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

Lunedì, 28 marzo, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è riunita alla presenza del Santo Padre la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

10 marzo 1988. S. E. mons. Girolamo Grillo, Vescovo di Civitavecchia-Tarquinia, ***Membro Vescovo diocesano della Congregazione per le Cause dei Santi.***

10 marzo 1988. S. E. Mons. Ottorino Pietro Alberti, Arcivescovo di Cagliari, *Membro Vescovo diocesano della Congregazione per le cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

16 » » Il sac. José Luis Gutiérrez, della Prelatura dell'Opus Dei, *Relatore della Congregazione per le Cause dei Santi.*

18 » » P. Jean-Luc Vesco, O.P., e il sac. Lothar Huppert, *Membri della Pontificia Commissione Biblica.*

28 » » 1$ Sac. Dr. Ingo Dollinger, P. Bernard Ardura, Don Agostino Favate, Don Ottorino Pasquato, P. Fabriciano Ferrerò Centeno, P. Domingo Fernandez, P. Dominik Manica, S.I., *Consultori della Congregazione per le Cause dei Santi.*

30 » » L'E.mo sig. Card. Carlo Maria Martini, *Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium ».*

9 aprile » Il sac. Ivan Marin Lopez, Sottosegretario del Pontificio Consiglio «Cor Unum», *Consultore della Pontificia Commissione ((Iustitia et Pax».*

ONORIFICENZE

Prelati d'Onore di Sua Santità:

3 maggio 1980. Mons. Emile Berrar (Paris).
» » » Mons. Daniel Perrot (Paris).
» » » Mons. Robert Piéplu (Paris).
3 gennaio 1981. Mons. Rosendo Zavala Hernández (León, *Messico).*
8 luglio » Mons. Martin Schneiderbauer (Passau).
8 gennaio 1982. Mons. Gérard Foiret (Lille).
13 marzo » Mons. Osvaldo Ribeiro Lage (Juiz de Fora).
12 gennaio 1983. Mons. Thomas R. Duffy (Charleston).
26 » » Mons. Gerald A. Gettelfinger (Indianapolis).
8 settembre » Mons. John Fleming McManus (Charleston).
» » » Mons. Charles H. Rowland (Charleston).
22 » » Mons. Thomas H. Smith (Harrisburg).
» » » Mons. Vincent J. Smith (Harrisburg).
20 dicembre » Mons. Michael Moran (Van Nuys dei Ruteni).
» » » Mons. Alexander Nanko (Van Nuys dei Ruteni).
28 » 1984. Mons. Vaclav J. Bily (Victoria in Texas).
» » » Mons. James C. Brunner (Victoria in Texas).
» » » Mons. Anthony J. Matula (Victoria in Texas).
» » » Mons. Robert E. Schmidt (Victoria in Texas).
17 marzo 1986. Mons. Paolo D'Ambrosio (Trani-Barletta-Bisceglie).
30 aprile » Mons. Eloi Tronquoy (Arras).
9 giugno » Mons. Noël Ogné (Owando).
21 ottobre 1987. Mons. Americo Ciani (Roma).
22 dicembre » Mons. Milan Simcié (Rijeka-Senj).

Cappellani di Sua Santità:

5 aprile 1979. Il sac. Franz Xaver Schmid (Passau).
25 agosto 1983. Il sac. Carlos Fernandes Dies (Sâo Sebastiào do Rio de Janeiro).
» » » Il sac. Abílio Ferreira da Nova (Sao Sebastiào do Rio de Janeiro).
17 marzo 1980. Il sac. Giuseppe Asciano (Trani-Barletta-Bisceglie).
» » » Il sac. Mauro Cozzoli (Trani-Barletta-Bisceglie).
» » » Il sac. Vincenzo Frezza (Trani-Barletta-Bisceglie).
» » » Il sac. Giuseppe Gallo (Trani-Barletta-Bisceglie).

NECROLOGIO

4 marzo 1988. Mons. Costantino Trapani, Vescovo emerito di Mazara del Vallo *(Italia).*
» » » Mons. James P. Davis, Arcivescovo emerito di Santa Fé *(Stati (niti d'America).*
» » » Mons. André Bontemps, Arcivescovo emerito di Chambéry, Saint-Jean-de-Maurienne, et Tarentaise *(Francia).*
7 » » Mons. Joël Bellec, Vescovo emerito di Perpignan-Elne *(Francia).*
9 *n* » Mons. José de Medeiros Delgado, Arcivescovo emerito di Fortaleza *(Brasile).*
12 » » Mons. Cesare Pagani, Arcivescovo di Perugia-Città della Pieve *(Italia).*
14 » » Mons. John Beathen, Vescovo titolare di Ploaghe.
15 » » Mons. Marcel El. Van Rengen, Vescovo di Mweka *(Zaire).*
» » » Mons. Timothy Cotter, Vescovo di Maiduguri *(Nigeria).*
16 » » Mons. Patrick Dunne, Vescovo titolare di Nara.
» » » Mons. Guilford C. Young, arcivescovo di Hobart *(Australia).*
17 » » Mons. Horacio Olave Velandia, Vescovo-Prelato di Tibú *(Colombia).*
» » » Mons. Thomas Mongo, Vescovo emerito di Donala *(Cameroun).*
21 » » Mons. Ernest Green, Vescovo emerito di Port Elizabeth *(Sud Africa).*
25 » » Mons. Thomas W. Lyons, Vescovo tit. di Mortlach.
20 » » Mons. Baltazar Alvarez Restrepo, Vescovo emerito di Pereira *(Colombia).*
» » » Mons. Petrus Paulus Koop, Vescovo emerito di Lins *(Brasile).*
1 aprile » Mons. Vincent M. Harris, Vescovo emerito di Austin *(Stati (niti d'America).*
3 » » Mons. Imre Timko, Vescovo di Hajdudorog *(Ungheria).*
5 » » Mons. Antony Joseph Emery, Vescovo di Portsmouth *((J-ran Bretagna).*

An. et vol. LXXX 7 Maii 1988 N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE ENCYCLICAE

Ad Episcopos, Sacerdotes, Familias Religiosas, Filios et Filias Ecclesiae et ad universos homines bonae voluntatis, vicesimo expleto anno ab editis Litteris Encyclicis a verbis « Populorum progressio » incipientibus.

IOANNES PAULUS PP. II

VENERABILES FRATRES, DILECTISSIMI FILII ET FILIAE, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

I

1. Sollicitudo rei socialis Ecclesiae veram hominis et communitatis respiciens progressionem, quae pariter ipsius hominis omnes servet facultates ac provehat, multimodis est patefacta. Praecipuum quidem eiusdem doctrinae tradendae instrumentum novissimis temporibus in Romanorum Pontificum potissimum invenitur Magisterio, quod quidem a Leonis XIII Litteris Encyclicis sumens exordia, quarum verba initialia sunt *Rerum Novarum,* quasi a capite, ad quod reliqua referuntur,[1] identidem hac de re pertractavit, dum varia docu-

[1] LEO PP. XIII, Litt. Enc. *Rerum Novarum* (15 Maii 1891): *Leonis XIII P.M. Acta,* XI, Romae 1892, pp. 97-144.

menta socialia foras edenda interdum curabat ipsis anniversariis temporibus, quibus illa occurrebat memoria.[2]

Nec vero Summi Pontifices suis ipsorum dissertationibus doctrinae socialis Ecclesiae collustrare etiam novas rationes neglexerunt. Ipso igitur initio repetito a Leonis XIII luculentis monitis, subsequentibus additamentis locupletato Magisterii, pervenitur ad « corpus » quoddam doctrinae, quod gradatim contexitur, cum scilicet Ecclesia, Verbi a Christo Iesu[3] revelati spectans plenitudinem, Spirituque Sancto afflante (cfr. *Io* 14, 16. 26; 16, 13-15), vitae hominum scrutatur eventus, dum per historiae cursum evolvuntur. Ratione humanisque cognitionibus adhibitis, ipsa profecto perducere homines nititur ad vocationi parendum, quae est prudentium societatis terrestris conditorum.

2. Hoc in perspicuo de re sociali doctrinae corpore, Litterae Encyclicae *Populorum Progressio*[4] praecipuum obtinent locum, quas quidem Decessor Noster v.m. Paulus VI die XXVI mensis Martii, anno MCMLXVII edidit.

Etiamnunc earundem Litterarum Encyclicarum vis et auctoritas plane agnoscuntur, dum recensentur multiplices commemorationes, quae hoc anno sunt habitae multis modis multisque locis, in ecclesiasticis sedibus aeque ac civilibus. Hoc idem persequens propositum, Pontificia Commissio *a Iustitia et Pace,* proxime exacto anno, Ecclesiarum Orientalium Synodis misit litteras formales necnon Conferentiis Episcoporum; quibus litteris ex Episcopis enixe quaerebatur quae essent ipsorum

[2] Pius PP. XI, Litt. Enc. *Quadragesimo Anno* (15 Maii 1931): *AAS* 23 (1931), pp. 177-228; IOANNES PP. XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra* (15 Maii 1961): *AAS* 53 (1961), pp. 401-464; PAULUS PP. VI, Ep. Apost. *Octogésima Adveniens* (14 Maii 1971): *AAS* 63 (1971), pp. 401-441; IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Enc. *Laborem Exercens* (14 Septembris 1981): *AAS* 73 (1981), pp. 577-647. Pius XII emiserat quoque Nuntium Radiophonicum (1 Iunii 1941) quinquagesimo exeunte anno a Litteris Encyclicis «Rerum Novarum» a Leone XIII datis: *AAS* 33 (1941), pp. 195-205.

[3] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 4.

[4] PAULUS PP. VI, Litt. Enc. *Populorum Progressio* (26 Martii 1967): *AAS* 59 (1967), pp. 257-299.

iudicia quaeque rationes iisdem viderentur potiores unde convenientius celebrari posset anniversaria memoria illarum Litterarum Encyclicarum atque earum doctrina locupletaretur et pro tempore salutaria eruerentur praecepta. Ipsa re vera Commissio, quam supra memoravimus, sollemnem egit commemorationem, cui Nos interfuimus Ipsi atque postremam habuimus orationem.[5] Nunc autem, perspectis etiam litterarum formalium responsionibus, opportunum iudicavimus, sub exitum anni MCMLXXXVII, Litteras conscribere Encyclicas, quibus argumentis documenti, cui index *Populorum Progressio,* operam daremus.

3. Hac quidem ratione praecipue *bina proposita* assequi cupimus haud parvi momenti, primum scilicet laudes Pauli VI eiusdem documenti, historia digni, praedicandi atque eius doctrinae auctoritatem testificandi; deinde autem, vestigia venerabilium in Petri Cathedra Decessorum Nostrorum secuti, in animum induximus doctrinae socialis *continuationem* iterum confirmare simulque eiusdem constantem *renovationem.* Continuatio profecto perinde ac renovatio spectata sunt probatio *perennis validitatis* Ecclesiae doctrinae.

Haec duplex nota peculiaris est Ecclesiae de re sociali doctrinae. Quae quidem illinc *constans* est, cum semper eadem sit in summis principiis considerandis, in « cogitationis rationibus », in « iudicii normis », in « legibus principibus, quae actionem moderantur »,[6] inque praesertim vitali cum Domini Evangelio nexu; hinc semper ipsa *nova* est, cum congruenter ac necessario ad versabiles temporum condiciones et perpetuas immutationes eventuum usque accommodetur oporteat, in quibus vita hominum et societatis versatur.

[5] Cfr. diurnarium *L'Osservatore Romano,* 25 Martii 1987.

[6] Cfr. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de libertate christiana et liberatione *Libertatis Conscientia* (22 Martii 1986), 72: *AAS* 79 (1987), p. 586; PAULUS PP. VI, Ep. Apost. *Octogésima Adveniens* (14 Maii 1971), 4: *AAS* 63 (1971), pp. 403 s.

4. Pro comperto quidem habentes Litterarum Encyclicarum, a verbis *Populorum Progressio* incipiendum, doctrinam ad homines societatemque, qui decennium a sexagesimo anno vixerunt, spectantem etiamnunc omnino vim servare *coscientiae revocandae,,* hoc decennio ab octogesimo anno exeunte, dum contendimus ad lineamenta adumbranda praecipua mundi, qui nunc est — idem usque servantes propositum, quod est *Populorum Progressio* quodque adhuc longe abest ut expleatur — consilium cepimus Ipsi ut illarum Litterarum vocem resonantem longius proferamus earundemque nectentes nuntium cum applicationibus, quae hodiernis possunt fieri temporibus, quae quidem non minus sunt gravia quam viginti abhinc annos illa fuerunt.

Tempus, ut probe scimus, semper fere eundem tenet veluti rhythmum. In praesenti tamen *sentimus magis magisque ipsum citius dilabi* potissimum propter multiplicationem et implicationem eventuum, quos nos ipsi experimur. Idcirco *mundi species,* viginti superioribus proximis annis spectatis, quamvis quaedam principalia servaverit, pervarie tamen immutata est et nova inde exhibentur.

Hoc temporis spatium, instante tertio Millennio christiano, perfusa quadam expectatione distinctum, quasi de novo agatur « adventu »,[7] qui universos quodammodo attingit homines, dat ansam pernoscendi doctrinam Encyclicarum Litterarum, ut eius etiam perspiciamus prospectum.

Haec quidem consideratio eo potissimum spectat, ut, pervestigationis theologicae auxilio de rebus, quae nunc sunt, uberior habeatur magisque distincta notio progressionis, secundum Litterarum Encyclicarum proposita, utque quaedam rationes afferantur ea ad effectum adducendi.

[7] Cfr. Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 3: *AAS* 79 (1987), pp. 363 s.; Homilia infra Missarum Sollemnia habita die 1 Ianuarii 1987: diurnarium *L'Osservatore Romano,* 2 Ianuarii 1987.

II

5. Simul atque est promulgatum, Pauli VI documentum in suam *novitatem* de vocavit omnium mentes. Gemina peculiaritas re et liquido sane est comprobata, *continuationis* scilicet et *renovationis,* intra Ecclesiae socialem doctrinam. Quapropter harum cogitationum propositum illuc spectabit, ut Litterarum Encyclicarum per iteratam accuratamque lectionem multiplicia eiusdem doctrinae detegamus lineamenta.

Sed antea aliquid temporis insumere placet ut de anno cogitemus ipso, MCMLXVII scilicet, quo eaedem foras sunt datae. Ratio revera, propter quam Summus Pontifex Paulus VI suas de re sociali Litteras Encyclicas edendas illo ipso anno decrevit, nobis suadet ut documentum cum Concilio Vaticano II coniunctum videamus, quod quidem Concilium die VIII mensis Decembris, anno MCMLXV ad exitum est adductum.

6. Haec res aliquid potius quam temporis *propinquitas* est consideranda. Nam Litterae Encyclicae *Populorum Progressio* quodammodo videntur *documentum esse, quod reapse doctrinam Concilii ad effectum perducit.* Hoc quidem non tam ob constantem ad Concilii scripta relationem,[8] quam quod eaedem ex ipsa Ecclesiae sollicitudine oriuntur, qua profecto totum Concilii opus perfunditur — nominatim pastoralis Constitutio *Gaudium et Spes* — cum componuntur ac nonnulla amplificatur argumenta ad doctrinam socialem pertinentia.

Itaque congruenter asseverare licet Litteras Encyclicas a verbis *Populorum Progressio* incipientes quodammodo rogatui respondere, quo init Constitutio *Gaudium et Spes;* « Gaudium et Spes, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, gaudium

[8] Litterae Encyclicae *Populorum Progressio* memorant *undevicies* documenta Concilii Vaticani II, quorum *sane sedecim* spectant ad Const. past. *Gaudium et Spes* de Ecclesia in mundo huius temporis.

sunt et spes, luctus et angor etiam Christi discipulorum, nihilque vere humanum invenitur, quod in corde eorum non resonet ».[9] Haec verba primam ostendunt rationem, quae Concilii magno subiecta est documento, quod ex agnitione *egestatis* atque *extenuatae progressionis* sumit exordium, in quibus innumerabiles homines vitam degunt.

E gestas re vera et *minor progressio* in Concilii scriptis aliter vocantur, scilicet « luctus et angor tot hominum nostrae aetatis, pauperum praesertim » ; atque huic sane amplo tot laborum et aerumnarum prospectui Concilium gaudii et spei ostendit prospectum. Idem profecto propositum Pauli VI Litterae Encyclicae assequi intendunt, integram servantes fidem erga conciliarem afflatum.

7. Sed quod etiam ad *argumentorum ordinem* attinet, Litterae Encyclicae doctrinae socialis Ecclesiae praeclaram traditionem prorsus servantes, expressius *novam enarrationem* et *comprehensionem locupletem* rerum, quas Concilium conseruit, praesertim in Constitutione *Gaudium et Spes,* resumunt.

Sensus et argumenta, quae Litterae Encyclicae recolunt, sunt rursus confirmanda: conscientia scilicet officii Ecclesiae proprii, « rerum humanarum peritissimae », « signa temporum scrutandi eaque sub Evangelii luce interpretandi » ;[10] conscientia pariter acris muneris « serviendi », quod omnino ab officio seiungitur, quod pertinet ad civitatem, etiam cum re virorum mulierumque prospicit condicionibus;[11] animadversio, ex qua permagnae dissimilitudines perquirendae sunt, ipsarum personarum statum afficiunt quasque Constitutio pariter ipsa ostendit;[12] doctrinae conciliaris confirmatio, fidelis vetustissimae veluti vox resonans traditionis, quae « bonorum universalem

[9] *Gaudium et Spes,* 1.

[10] *Ibid.,* 4; cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 13: *l.c,* pp. 263-264.

[11] Cfr. *Gaudium et Spes,* 3; Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 13: *l.c,* p. 264.

[12] Cfr. *Gaudium et Spes,* 63; Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 9: *l.c,* pp. 261 s.

destinationem » commemorat;[13] aestimatio ingenii culturae et cultus civilis technici, quae ad hominem liberandum conferunt,[14] agnitis tamen eorum finibus;[15] de progressionis tandem argumento ipso, Litteris Encyclicis peculiari, «gravissimum officium» corroboratur, quod ad excultiores civitates pertinet, scilicet « progredientes populos adiuvandi ».[16] Progressionis ipsa ratio Litteris Encyclicis allata directo eruitur ex digestione quidem a Constitutione nempe pastorali de hac re proposita.[17]

Ex hac aliisque ad Constitutionem pastoralem relationibus, colligi profecto potest easdem Litteras doctrinam Concilii ad rem socialem pertinentem *ad effectum deducere,* nominatim ad populorum *progressionem* eorundemque *progressum deficientem.*

8. Rerum nunc brevis haec hic enucleata enodatio adiuvat nos quidem ut *novitatem* melius Encyclicarum Litterarum aestimemus, quam tribus licet sub titulis perstringi capitibusve.

Primum sane habendum est *ipsum factum* documenti a maxima Ecclesiae catholicae auctoritate foras emissum ipsique simul inscriptum Ecclesiae necnon « omnibus hominibus bonae voluntatis »[18] ea nominatim super re quae primo videtur intuitu *oeconomica* dumtaxat ac *socialis,* populorum id est de progressione sive *profectu.* Dubii porro nihil quin « profectus » vocabulum deducatur ex verborum thesauro disciplinarum socialium ac nummariarum. Hac proin ratione reponuntur Encyclicae Litterae *Populorum Progressio* in litterarum *Rerum Novarum* tramite, videlicet « opificum condiciones » pertractantium.[19] Ab exteriore modo respecta parte, illa bina argu-

[13] Cfr. *Gaudium et Spes,* 69; Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 22; *l.c.,* p. 269.
[14] Cfr. *Gaudium et Spes,* 57; Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 41: *l.c,* p. 277.
[15] Cfr. *Gaudium et Spes,* 19; Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 41: *l.c,* pp. 277 s.
[16] Cfr. *Gaudium et Spes,* 86; Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 48: *l.c,* p. 281.
[17] Cfr. *Gaudium et Spes,* 69; Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 14-21: *l.c,* pp. 264-268.
[18] Cfr. *inscriptio* Litt. Enc. *Populorum Progressio: l.c,* p. 257.
[19] Litterae Encyclicae *Berum Novarum* Leonis XIII praecipue tractant «de condicione opificum»: *Leonis XIII P.M. Acta,* XI, Romae 1892, p. 97.

menta aliena ab Ecclesia *religioso instituto* iudicata forsitan videantur, quin immo « progressio » magis quam « opificum condiciones ».

Secundum Encyclicas Leonis XIII Litteras, id haud parvum assignari Pauli VI scriptioni meritum oportet, quod *ethicam* nempe tum *culturalem* denotavit huius quaestionis indolem de progressione ideoque ius etiam certum atque interventus *necessitatem* Ecclesiae eandem in negotiorum provinciam.

Hoc quidem pacto socialis christianorum doctrina rursus sibi genus vindicavit proprium verbi Dei *adhibendi* ad hominum vitam societatisque necnon ad causas terrestres, quae cum iis iunguntur, dum « principia ... a recta ratione postulata ... orientationesque quasdam » profert.[20] Agedum : Pauli VI insunt scripto tria haec elementa singula una cum eorum ordinatione ad vitae cursum cotidianae, *mores* scilicet *humanos.*

Quotiens propterea « populorum progressioni » operam dat, Ecclesiam neutiquam accusari par est excedere de sua auctoritatis regione nedum de finibus a Domino ipso percepti mandati.

9. *Secundum* exsistit caput *novitas* ipsa, quam prae se « Populorum Progressio » fert quaeque ipsius *prospectus* extollitur *amplitudine* ad illud videlicet omne rite patentis, quod sub nomine plerumque agnoscitur « quaestionis socialis ».

Profecto iam antea dilatatum hunc rerum conspectum susceperant Encyclicae Litterae « Mater et Magistra » Ioannis XXIII,[21] quibus Concilium in sua pastorali Constitutione *Gaudium et Spes*[22] quadam respondit quasi reciprocae imagine vocis. Nihilo tamen minus sociale eo usque Ecclesiae non processerai! magisterium omni ut cum claritate affirmaret socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter

[20] Cfr. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de libertate christiana et liberatione *Libertatis Conscientia* (22 Martii 1986), 72: *AAS* 79 (1987), p. 586; PAULUS PP. VI, Ep. Apost. *Octogésima Adveniens* (14 Maii 1971), 4: *AAS* 63 (1971), pp. 403 s.

[21] Cfr. Litt. Enc. *Mater et Magistra* (15 Maii 1961): *AAS* 53 (1961), p. 440.

[22] *Gaudium et Spes,* 63.

homines hominum magnopere pertinere,[23] neque sententia ipsaque inquisitione, quam excitat, « orientationem » effecit, quem ad modum moli tur Paulus PP. VI in suis Litteris Encyclicis.

Tale tamen adeo explicatum iudicium *uberem* doctrinarum suppeditat *copiam,* quam expedit hic commonstrare.

Quae oriri forsan potuerit, in primis necesse est auferre *ambiguitatem.* Quod « quaestio socialis » extensionem sibi accepisse dicitur illam « universalem », non inde sequitur ut deminutum ipsius sit *pondus* neque ut momentum suum singulis pro nationibus locisque amiserit. Oíñcinas ex contrario significat atque fabricas vel opificum motum ipsorum eorumque collegia certa aliqua in civitate aut regione non esse dispersas tamquam insulas habendas sine ullis alibi coniunctionibus, verum magis pendere magisque illas ex impulsione *rationum iam exstantium extra* cuiusque provinciae nationis ve fines.

Nunc vero, proh dolor!, status oeconomici respectu ad progressionem nitentes modo Civitates sunt sane multo plures ipsis progressis : hominum proin multitudines, quae bonis carent commodisque progressione illa allatis ipsa, pariter sunt *longe frequentiores* iis nempe quibus eadem praesto sunt beneficia.

Coram pergravi ideo consistimus quaestione *iniquae partitionis* modorum subsistendi et instrumentorum, quae universis olim destinata sunt hominibus, sicut etiam inaequalis beneficiorum divisionis inde profluentium. Neque hoc accidit ulla afflictarum *culpa* multitudinum, nedum profecto ob quandam quasi *fatalem* necessitatem ex naturae ipsius condicionibus proficiscentem neque ex tota adiunctorum summa, in quibus iidem versantur homines.

Encyclicae Pauli VI Litterae confitentes « socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines ho-

[23] Cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 3: *l.c,* p. 258; cfr. quoque *ibid.,* 9: *l.c,* p. 261.

minum magnopere pertinere » ante omnia *factum morale,* suum quod fundamentum habet in aliqua rerum explicatione veris mundi condicionibus respondente, indicare volunt. Ex ipsis litterarum verbis, « illud hodie maxime interest omnes pro certo habere ac veluti sentire »,[24] quoniam recta id via conscientiam attingit, fons videlicet, quae moralium consiliorum est.

Hac in rerum definitione *novitas* Litterarum Encyclicarum « Populorum Progressio » non in eo quidem consistit quod modo quodam historico asseveratur indoles universalis quaestionis ipsius socialis, sed potius quod *moralis* eiusdem *aestimatio* additur condicionis. Quapropter rei publicae custodes, immo omnis civis nationum divitum ipse solus consideratus, praesertim si christiani sunt, *officio morali* tenentur, propriarum quisque secundum obligationum magnitudinem ut, cum consilia privata capiuntur et publica regiminis, ista natura universalis, ista mutua necessitudo eorum inter mores hinc atque illinc tot millenorum hominum egestatem *diligenter respiciatur.* Accuratius deinde Pauli VI Litterae officium idem morale finiunt tamquam « officium coniunctionis w,[25] quae porro locutio, commutatis in orbe terrarum tot condicionibus, idem prorsus pondus obtinet vimque ac scripta quo est die.

Ex altera vero parte, servatis plane huius prospectus moralis limitibus, Encyclicarum Litterarum *novitas* in eo item reperitur quod *ipsa* iam funditus *conceptio* progressuum naturae, si ponderantur illi secundum amplitudinem alicuius universalis mutuaeque coniunctionis inter homines, insigniter immutatur. Sola enim ex opum congerie progressio constare *non potest* neque promptiore ex bonorum ministeriorumque usurpatione, si haec possidentur omnia pretio ipso tardatae

[24] Cfr. *ibid.,* 3: *l.c,* p. 258.
[25] *Ibid.,* 48: *l.c,* p. 281.

multitudinum progressionis ac neglectis socialibus, culturalibus, spiritalibus personae partibus humanae.[26]

10. *Tertio* dein titulo plurimum afferunt novitatis Litterae Encyclicae *Populorum Progressio* toti summae socialium Ecclesiae doctrinarum necnon ipsi progressionis notioni. Novitatis enim indicium dispici valet aliqua in dictione intra postremam documenti paragraphum, quam iudicari merito licet velut eius magisterii formulam, non tantum proprietatem quandam illius historicam : « nemo dubitat progressionem idem valere ac pacem ».[27]

Etenim si vere constat « socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere », idcirco hoc evenit quod *postulatis iustitiae* satisfieri dumtaxat potest simili pacto universali. Quae si forte praetermittuntur, incitamentum in animis valet aliquando exoriri ipsarum iniustitiae veluti victimarum violenter ut respondeant, perinde ac plurium accidit bellorum initiis. Hominum enim turmae a bonorum partitione submotae, quae omnibus sunt primitus destinata, se ipsi percontari possunt : « Quin vi iis resistamus cunctis vi qui nos priores omnes conflictant? Ac si rerum inspicitur status pro totius discidio orbis duas ferme in nationum consociationes, quod anno iam millesimo nongentesimo sexagesimo septimo vigebat, pro consectariis inde ac subiectionibus tum oeconomicis tum politicis proficiscentibus, augescit sane maiorem in modum periculum ».

Huic autem explanationi animum permoventis sententiae, quae Encyclicarum Pauli VI formulae inest, additur et alia, quam documentum idem leviter significare haud omittit :[28] Quomodo id denique defendi potest, quod nempe *cumuli pecu-*

[26] Cfr. *ibid.,* 14: *l.c,* p. 264: «Progressio, de qua loquimur, non unice ad rei oeconomicae incrementum contendit. Nam, ut vera dici possit, eadem integra sit oportet: scilicet cuiuslibet hominis ac totius hominis profectui consulere debet».

[27] *Ibid.,* 87: *l.c,* p. 299.

[28] Cfr. *ibid.,* 53: *l.c,* p. 283.

niarum ingentes, quae valent quidem reservari debentque ad populorum progressionem duplicandam, contra derivantur in homines singulos vel eorum numeros locupletandos aut in apparatum militarem augendum profunduntur tam apud iam progressas Civitates quam inter nationes ad progressionem nitentes, unde verus potiorum rerum evertitur principatus? Quod quidem gravius est, ratione habita ipsarum difficultatum maiorum saepius videlicet impedientium quominus destinatae iam pecuniae recta quadam via subsidia nationibus afferant indigentibus. Si porro « progressio novum pacis est nomen », bellum aliunde apparatusque militares maximus sunt inimicus plenae populorum progressionis.

Sic profecto sub locutionis Pontificis Pauli VI lumine incitamur nos ut *progressionis* ipsius reficiamus *conceptum,* qui in illo certissime non invenitur, a quo dumtaxat satis fit corporeis necessitatibus per bonorum incrementum neque in miserias intenditur animus maioris hominum partis, et a quo etiam nimium quoddam sui ipsius studium apud singulos homines ac nationes unica evadit et sola eis ratio agendi. Acriter ideo memorat Epistula Iacobi: « Unde bella et unde lites in vobis? ... ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris. Concupiscitis et non habetis » *(Iac* **4, 1** s.).

In alio contra aliquo orbe, ubi sollicitudo de *bono* universorum hominum *communi,* id est prospiciens cura « animorum morumque progressioni » pro cupiditate cuiusque lucrorum dominaretur, contingere quidem pacem *liceret* veluti fructum quendam ac « perfectiorem iustitiae formam inter homines ».[29]

Haec quoque Encyclicarum Litterarum novitas *vim perpetuam* prae se fert ad resque accommodatam pro huius scilicet temporis mente, quae adeo subtiliter intimum percipit inter iustitiae observantiam et confirmationem pacis vinculum contractum.

[29] Cfr. *ibid.,* 76: *l.c,* p. 295.

III

11. *Primarium magisterium* Litterarum *Populorum Progressio* suo iam tempore validam sibi undique peperit responsionem suum ob novitatis genus. Nihil tamen dubitandum quin socialia ipsa adiuncta, in quibus hisce versamur diebus, proprie *eadem* dici nequeant ac viginti abhinc annos. Quam ob rem unumquodque caput leviter perstringentes volumus nonnullis insistere nostrorum temporum proprietatibus, quo doctrinam Encyclicarum Pauli VI altius perquiramus, ratione item « populorum progressionis » habita.

12. Et *primum* quidem denotari oportet ipsas *progressionis spes* tum temporis adeo vigentes, hodie contra valde profecto sua ab impletione longinquas et exsecutione videri.

Hac de re Encyclicae Litterae nihil prorsus deceptionis praetendebant. Earum enim ponderosus quidem, nonnumquamque etiam sermo terrificus, condicionis tantummodo extollebat gravitatem atque singulorum conscientias obstringens hominum obiciebat simul officium proprias absolvendi partes eadem ut sanar e tur condicio. Iis porro annis *quidam* percrebuerat quasi ***Optimismus*** opinantium fieri scilicet posse ut non nimiis viribus in id impensis tarditas populorum pauperum oeconomica expleretur, ut fundamentales illis suppeditarentur structurae atque adiumenta in toto opere transeundi aliquando fabriles ad industrias.

Quibus in historiae humanae condicionibus, praeter operam nationis cuiusque diligentiamque, ipsa Nationum Unitarum Consociatio *duo progressuum decennia*™ continuata praestitit. Capta quaedam sunt consilia, inter binas Civitates et plures simul, ut multis sic subveniretur nationibus, quarum aliae iam diutius sui erant iuris, aliae — maximam scilicet partem —

[30] **Decennia attinent ad annos 1960-1970 et 1970-1980; nunc volvitur in tertium decennium (1980-1990).**

paulo ante ex conatu enatae coloniarum priorum demoliendarum. Sua autem ex parte necesse sibi esse sensit Ecclesia in quaestiones hac nova rerum condicione importatas plenius incumbere, cum afflatu religioso suo humanoque eadem illa fovere cogitaret conamina quibus nempe « animam » iniceret ad agendumque impulsionem validam.

13. Varia tamen haec religiosi et humani, oeconomici et technici generis opera dici haudquaquam possunt inania aut vacua fuisse, quoniam quaedam saltem impetrare potuerunt effecta. At in universum quidem, omnibus id est quae adsunt perspectis elementis, infitias ire non par est orbis statum, si sub titulo respiciatur « populorum progressionis », praesentem ostentare speciem *potius improbandam.*

Quocirca animos continuo revocare volumus ad *universalia indicia* nonnulla, ut postmodum alia singularia prorsus ac propria illustremus. Posthabitis in praesens numeris ipsis et rationarii computationibus, intueri potius sufficit *interminatam virorum mulierumque turmam,* infantium et adultorum et senum — paucis verbis verarum atque non iterandarum personarum humanarum — qui intolerando premuntur miseriae pondere. Complura praeterea centena milia hominum sunt qui idcirco de omni deiciuntur spe quod multis in orbis partibus eorum condicio vehementer est in peius conversa. Hos ergo ante tristes casus egestatis necessitatisque, in qua tot *fratres sororesque nostri* iacent, ipse nos sollicitat Iesus Dominus (cfr. *Mt* 25, 31-46).

14. Et id *comprobatur* primum uti elementum *improbandum,* quod *hiatus* regiones inter, qui dicitur, orbis septentrionalis progressi atque australis orbis adhuc progredientis non persistit modo, verum augescit. Haec geographica dictio res indicat tantum, quoniam ignorare nemo potest fines divitiarum ac inopiarum campum transire ipsarum societatum progressarum tum

etiam progredientem. Ita profecto, quem ad modum sociales iniquitates usque ad egestatis condicionem pertingentes exsistunt inter ditiores Civitates, sic pari omnino modo apud nationes minus progressas non raro signa deprehenduntur nimii suorum commodorum amoris necnon opum maiorum ostentationes, quae tam animos con turbant quam vere offendunt.

Affluentiae bonorum ministeriorumque praesto exstantium quibusdam in orbis provinciis, quae potissimum in septentrionali orbe progresso conspiciuntur, respondet in regione australi intolerabilis progressuum tarditas. At in ipsa hac geographica et politica provincia hominum omnino maxima generis degit pars.

Si dein regionum diversarum multiplices ponderantur rationes : effectio alimentorum ac partitio, sanitas publica et habitationes, copiae aquarum potulentarum, operis condiciones praesertim feminarum, quae difficulter quidem a servitutis ipsius distinguuntur formis, vitae diuturnitas aliaque simul oeconomica et socialia documenta —, patescit rerum facies universalis, quae exspectationem fallit omnino, sive in se ipsa respicitur sive cum nationum magis progressarum numeris et aestimationibus confertur. Verbum illud « hiatus » sua sponte animo orique occurrit.

Fortassis non aptissimum istud vocabulum est ut accurate vera ipsa designetur condicio rerum, quandoquidem imaginem prae se potest ferre ordinis cuiusdam perstantis sive *stativi.* Verum non ita sese habet. In itinere enim nationum progressarum atque in via progredientium ad prosperitatem varia hisce visa est annis *velocitas accelerationis,* quae nempe efficit ut augeantur et duplicentur ipsae inter eas distantiae. Civitates ad progressionem nitentes, nominatim pauperiores, statu detinentur insanabilis retardationis.

Ad haec dein adiungenda insuper sunt *discrimina formarum humani cultus* atque *aestimationes bonorum* diversos inter hominum coetus globosque in societate, quae haud congruunt

semper cum *oeconomicae progressionis* amplitudine; nihilo minus aliquid reapse ad pariendas conducunt distantias istas. Sunt porro hae partes rerumque aspectus totum iam orbem complectentes, unde *multo* redditur *tota socialis quaestio implicatior,* quoniam sic indolem sibi induit causae alicuius universalis.

Diversae si orbis regiones observantur ita crescente talis hiatus distantia seiunctae, si earum proin unamquamque intellegitur proprium sequi debere cursum effectibus cum propriis, ideo etiam comprehenditur cur recentiore in hominum sermone mentio identidem fiat variis de orbibus *unicum* nostrum intra *mundum:* de Primo Mundo videlicet, Secundo, Tertio, quin immo de Quarto interdum Mundo.[31] Huius modi quidem dictiones, licet earum manifesto non sit plena quadam ratione omnes recensere orbis nationes, plurimum tamen significant: testimonia enim sunt late diffusi sensus mentisque habitus, quo unitas orbis, aliis id est verbis, *generis hominum unitas* serio periculo exponi iudicatur. Is autem loquendi modus, extra vim illius plus minusve congruentem cum rebus ipsis, celat sine dubitatione in se *sententiam* quandam *moralem,* de qua Ecclesia, quae est « sacramentum seu signum et instrumentum ... totius ... generis humani unitatis » sese indifferentem praebere non potest.[32]

15. Supra expositus condicionum status mancus certissime erit et mutuus, nisi ad ea « indicia oeconomica ac socialia » tardatae progressionis aliae accesserint rationes pariter negativae, immo vero animum quae magis conturbant, iam ex ipsa humani cultus provincia. Hae quidem sunt: *litterarum ignorantia,* difficultas aut nulla omnino facultas *superiores educa-*

[31] Locutio « Quarti Mundi » non identidem tantum adhibetur ad Nationes sic dictas *minus progressas,* verum etiam ac potissimum ad magnae vel extremae egestatis regiones Nationum quae medium aliumve habent reditum.

[32] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 1.

tionis ordines adeundi, exigua potestas proprias conferendi partes ad *nationem suam exstruendam, abusus varii modi et oppressionis* oeconomicae, socialis, politicae atque etiam religiosae personarum humanarum iuriumque ipsarum, discrimina omne genus facta, potissimum vero illud maxime odiosum, quod secundum cutis ipsius fit colorem. Quodsi earundem aliqua plagarum in regionibus deprehenditur septentrionis magis progressi, nihil dubitatur quin multo sint crebriores, diuturniores ac difficiliores ad eradicandum apud minus progressas aut instructas minus Civitates.

Asseverari necesse est in huius temporis mundo saepius restingui inter alia iura etiam *ius ad propria incepta oeconomica.* Atqui agitur de magni momenti iure, non ad singulos modo quod spectat verum ad bonum commune quoque. Ex rerum enim commonstratur experientia talis negationem iuris vel eius circumscriptionem ob assertam quandam « aequalitatem » in omnium societate imminuere vel funditus etiam in re delere ipsum studium singillatim res proprias peragendi, *subiectivam* videlicet *effectricem civis industriam.* Hinc eo pacto exoritur non vera solum aequalitas sed potius « aequatio in imo ordine ». In efficientis singulorum operae locum *passiva* rerum succurrit acceptio necnon obnoxietas et subiectio ipsi apparatui grapheocratico, qui, veluti unicum officium quod « disponit » et « decidit », quamvis non ipsum « possideat », de tota summa bonorum efficiendique instrumentorum, reicit in condicionem omnes obnoxietatis ferme absolutae, quae haud dissimilis traditae est subiectioni opificum ac proletariatus ex ipsis opum et pecuniarum dominis. Id quod sensum excitat frustrationis vel desperationis hominesque comparat ad sese subtrahendos ex ipsa nationis vita, multis interea ad emigrandum inde propulsis atque generato pariter quodam emigrationis « psychologicae » genere.

Consectaria sua secum affert talis rerum condicio, etiam quod ad « iura nationum singularum » attinet. Etenim accidit

crebro ut Civitas aliqua suo destituatur subiectivo iure, id est propria « maiestate », quae ei convenit, secundum vim illius oeconomicam atque etiam politicam et socialem certoque quodam modo culturalem, quandoquidem omnes hae vitae rationes apud ipsam nationis communitatem inter se iugantur.

Confirmandum praeterea est nullum socialem coetum, verbi causa factionem politicam, occupare licere partes unius cuiusdam ducis, cum et istud efficiat ut vera subiectiva proprietas ipsius societatis auferatur necnon personarum-civium, perinde atque evenit omni in absoluti dominatus regimine. Ibi enim homo ipse et populus totus « obiectum » quoddam fiunt, quantumvis publicae affirmationes verborumque confirmationes contrarium indicent.

Hoc autem loco addi decet multas alias exstare in orbe huius temporis *paupertatis formas* praeter genus supra commemoratum. Nonne enim quaedam inopiae species vel privationes ipsae hanc merentur appellationem? Negatio iurium humanorum vel coarctatio, qualia sunt exempli gratia ius religiosae libertatis, ius communicandi ipsam societatis aedificationem, ius libere sese congregandi vel opificum collegia excitandi vel propria ineundi coepta rebus in oeconomicis, nonne fortassis reddit personam humanam item egentem, ne dicamus magis omnino, quam bonorum corporeorum privatio? Estne praeterea ipse profectus, qui rationem non habet plenae horum iurium explicationis, revera progressio secundum hominum indolem?

Aliis autem verbis: minor nostrorum dierum progressio non oeconomica modo est, verum culturalis etiam, politica ac simpliciter humana, perinde ac viginti abhinc annos Litterae praedicaverunt Encyclicae *Populorum Progressio,* adeo profecto ut loco hoc interrogandum cuique sit haeccine tam tristis rerum condicio effectus partim saltem sit *conceptionis nimis arctae,* id est dumtaxat oeconomicae, ipsius progressionis necne.

16. Quantumvis laudabiles facti conatus sint his duobus anteactis decenniis a nationibus magis progressis ipsisque ad progressionem nitentibus necnon ab institutis omnium gentium communibus ut effugium reperiatur aliquod iisdem e difficultatibus vel afferatur remedium alicui saltem earundem exteriori signo, affirmari tamen rursus oportet condiciones ipsas esse *ingraves cere* visas insigniter.

Onus vero talis rerum conversionis in peius diversis repetitur de causis et originibus. Manifestae notandae sunt gravesque omnino omissiones et neglegentiae in nationibus ipsis viam iam progressionis percurrentibus, praesertim earum in auctoritatibus, penes quas potestas oeconomica est ac politica. Tanto quidem minus dissimulare possumus officia Nos et obligationes non perspicere Civitatum progressarum, quae non semper, consentaneo saltem modo. suum persenserint onus adiumenta inferendi nationibus ab orbe prosperitatis segregatis, ad quem ipsae contra pertineant.

Quidquid demum id est, repudiari omnino opus est rationes sive *machinatione s* oeconomicas nummarias ac sociales, quae licet ab hominibus regantur, suapte tamen fere sponte et ultro agunt, unde divitiae alterorum rigidius defigantur et alterorum simul miseriae. Hae namque machinationes, agitatae via recta aut obliqua a nationibus magis progressis, ex sua ipsarum actione commodis favent administratorum suorum, at tandem aliquando obstringunt vel afficiunt oeconomicas nationum parum progressarum structuras. Decebit proinde easdem has subici machinas accuratiori cuidam investigationi secundum principia ethica ac moralia.

Litterae iam *Populorum Progressio*[33] praeviderant talium rationum ac machinationum auxilio divites ipsos ditiores evadere posse pauperioresque pauperes. Quem rerum prospectum comprobavit ortus interea ipse Quarti Mundi.

[33] Cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 33: I.c, p. 273.

17. Quamvis mundi societas documenta prae se ferat verae partitionis, quae receptis illis declaratur nominibus Primi, Secundi, Tertii etiamque Quarti Mundi, *mutua* tamen inter eos persistit *obnoxietas* ac necessitudo, quae, quotiens non aestimatur sua pro ethica obligatione, ad *consectaria exitiosa* homines depellit maxime debiles. Immo vero eadem haec *mutua obnoxietas* ob quandam quasi interiorem dynamicam vim atque impulsionem ex machinationibus, quae non nuncupari possunt nisi perversae, *effecta* parit vel ipsis in nationibus divitibus *adversa.* Etenim intra has quoque Civitates, licet minore modo, indicia *magis propria* tardatae progressionis offenduntur. Compertum itaque omnibus esse debet profectum ipsum aut *communem* fieri universis terrarum partibus aut *viam* inire *regressionis* iis pariter in provinciis, quae constanti eminuerint profectus : eum aut cunctae orbis communicant nationes aut numquam genuinum reapse experientur.

Inter *propria* inferioris progressionis *indicia,* quae magis tangunt magisque etiam progressas nationes, duo potissimum statum immensae necessitatis designant. *Primum habitationum discrimen.* Hoc vertente Anno Internationali tecto carentium, quem celebrari voluit Nationum Unitarum Consociatio, in turbanti animus intenditur multorum milium centenorum hominum congrua domo destitutorum aut nullam prorsus habitationem habentium, ut omnium excitetur conscientia utque huius gravis adeo difficultatis sanatio reperiatur, quae singulis adverso modo nocet hominibus eorumque et familiis et societati ipsi.[34]

Habitationum paucitas hominum *ubique* per terras cernitur atque maximam partem referenda est ad crescentem usque

[34] Ut est notum, Apostolica Sedes sociata est celebrationi huiusce Anni internationalis peculiari quidem Documento Pontificiae Commissionis « Iustitia et Pax », *Que has hecho de tu hermano sin techo? La Iglesia ante la carencia de vivienda* (27 Decembris 1987).

frequentationem et densatum incolatum urbium.[35] Quin ipsi magis progressi populi maestum intra se spectaculum exhibent hominum singulorum et familiarum, a quibus maxima datur opera ut superstites modo sint vitae, dempta omnino *domo* vel aliqua *adeo incerta* possessa ut nulla plane esse videatur.

Tectorum inopia, quae ex sese iam tam gravis difficultas est, *signum* et *summarium* habeatur necesse est maioris cuiusdam numeri defectuum oeconomicorum, socialium, culturalium vel simpliciter humanorum proindeque, habita ipsius amplitudinis rei ratione, haud difficulter quis sibi persuadet quam longe a vera absimus «populorum progressione».

18. *Aliud proprie improbandum indicium,* cuius maxima quidem ex parte nationes sunt participes, veritas est hominum opere carentium aut parum quidem eo fungentium.

Nemo uspiam est sibi quin exploratam habeat tum *praesentem necessitatem* tum *crescentem gravitatem* similis apud nationes quaestuosa industria instructas condicionis.[36] Si vero haec res iam terret animos apud Civitates ad progressionem nitentes, ubi magna est quota pars natorum magnaque simul civium iuniorum multitudo, inter nationes maioris profectus oeconomici videntur iam *operis fontes* deminui sicque ipsae facultates Iaborandi, non modo non augescunt, sed decrescunt necessario.

Hoc item elementum una cum effectuum adversorum serie tam pro singulis quam pro societate omni — a deiectione usque ad amissionem dignitatis, quam sibi quisque vir debet ac mulier, adducit sane Nos serio animo ut interrogemus quodnam progressionis genus sint homines hos viginti annos persecuti.

[35] Cfr. PAULUS PP. VI, Ep. Apost. *Octogésima Adveniens* (14 Maii 1971), 8-9: *AAS* 63 (1971), pp. 406-408.

[36] Recens inquisitio *Etude sur l'Economie mondiale 1987* a Nationibus Unitis foras data novissimas de hac re complectitur notitias (cfr. pp. 8-9). Centesimae partes hominum opere carentium in Nationibus progressis, ubi oeconomicae res secundum mercatus leges geruntur, transierunt a tribus centesimis partibus copiarum operis anno 1970 ad octo partes anno 1986. Nunc ducenties nonies centena milia opere carentium numerantur.

Et hac de re in mentem peropportuna illa dicta redeunt quae Litterae Nostrae Encyclicae *Laborem Exercens* complectuntur : (c Necesse autem est moneatur partem constitutivam simulque *comprobationem* maxime consentaneam illius progressionis in spiritu iustitiae ac pacis, quam profitetur Ecclesia quamque flagitare haud cessat (...), *novam esse continuamque laboris humani aestimationem,* tum ratione obiectivi eius finis tum causa dignitatis subiecti omnis laboris, quod idem est homo ». Ex contrario autem, « *una res* immensae magnitudinis mentem funditus *conturbai* ... : subsistunt hominum turmae invite otiosorum vel partim saltem opere carentium (...): id quod sine dubio commonstrat, tam intra singulas communitates politicas quam in rationibus inter eas per continentes vel per totum mundum ipsum intercedentibus, aliquid perperam geri, quod spectat ad ordinationem laboris et navitatem hominum, et quidem in rebus et locis, quae maximam difficultatem summumque prae se ferunt momentum sociale ».[37]

Quem ad modum superior illa condicio, ita haec profecto altera suam ob indolem *universalem* certoque quodam pacto *multiplicantem* praebet nobis indicium summopere significans, ex adverso suo effectu, ipsum statum proprietatemque populorum progressionis, coram quibus hodie consistimus.

19. *Documentum aliud* deinde est etiam recentioris huius aetatis proprium, quamquam idem non deprehenditur ubique, quod sine dubitatione indicat similiter *mutuam* illam *necessitudinem* inter progressas nationes ceterasque minus progressas. Tota est quaestio de *debitis inter nationes,* cui Pontificia Commissio *Iustitia et Pax* suum dicavit hoc anno scriptum.[38]

Silentio hic transiri illud *vinculum* non potest *arctum* similem inter difficultatem, cuius augescens gravitas iam in Litteris

[37] **Litt. Enc. *Laborem Exercens* (14 Septembris 1981), 18: *AAS* 73 (1981), pp. 624-625.**

[38] ***Al servizio della comunità umana: un approccio etico nel debito internazionale* (27 Decembris 1986).**

a verbis *Populorum Progressio* incipientibus erat plane declarata,[39] atque ipsam de populorum progressione quaestionem.

Quae populos iam in progressionis via constitutos impulit ut oblatum pecuniarum magnarum caput susciperent, causa ipsa fuit spes fieri posse ut in profectus operibus collocarentur. Quapropter paratae sic pecuniae necnon earum receptio tamquam opis mutuo datae haberi valent veluti auxilium progressioni ipsi additum, quod in se optatur licetque, quamvis imprudens forsitan fuerit nonnumquamque nimis festinatum.

Mutatis interea tamen rerum adiunctis, tum in nationibus aere alieno gravatis tum in ipso pecuniarum commercio inter Civitates instrumentum ita electum, quo progressionibus adiumentum ministraretur, conversum denique in *machinamentum* est quod *contraria effecit.* Quod idcirco contingit simul quoniam populi ipsi debitores, ut oneribus satis faciant debitorum, se cogi cernunt ut capita exportent pecuniarum, quae ad augendum vel omnino ad sustinendum eorum prosperitatis gradum sunt necessariae, simul quoniam eandem ob causam consequi non possunt alia nummaria subsidia tantundem necessaria.

Hac ex machinatione oeconomica instrumentum illud ad « populorum progressionem » destinatum transiit demum in *frenum,* quin immo interdum in *profectus inferioris exaggerationem.*

Incitare hae notiones debent ut, quem ad modum documentum Pontificiae Commissionis *a Iustitiae et Pace* monet,[40] *ethica indoles* ponderetur mutuae populorum necessitudinis et ut, secundum principia huius Nostrae considerationis, neces-

[39] Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 54: *l.c,* pp. 283 s.: «Exinde iam non erit periculum, ne nationes, quae ad progressionem nituntur, aere demergantur alieno, ad quod solvendum suos praecipuos quaestus impendant. Utraque pars astipulari sane poterit de usuris itemque de tempore, quo pecuniae mutuo acceptae sint reddendae, iis tamen condicionibus quae ab utraque parte ferantur, aequando scilicet gratuita dona, pecunias sine ullo fenore vel parvis tantum usuris sumptas, atque annos, quibus credita gradatim solvantur ».

[40] Cfr. «Explicatio» Documenti: *Al servizio della comunità umana: un approccio etico nel debito internazionale* (27 Decembris 1986), III.2.1.

sitates inspiciantur condicionesque ethicis pariter principiis permeatae ipsius consociatae adiutricis operae ad progressionem efficiendam.

20. Hoc autem si perspicimus loco *causas* in toto processu populorum progressionis, quae contra ipsas sententias Litterarum *Populorum Progressio* evenit, quae quidem Litterae tantum excita ver ant spei, animus praesertim insistit Noster in hodiernae condicionis causis *politicis.*

Cum ante nostros observetur oculos summa elementorum sine dubio implexorum, haud itaque hic absolutam perfici licet rerum inquisitionem. Verum tamen taciti non possumus partem praetermittere *politicorum adiunctorum* singularem quae historicam hanc aetatem post pancosmium bellum alterum denotat quaeque res haud neglegenda est ipso in populorum progressionis cursu.

De veritate loquimur *duorum* quasi *foederum,* inter se oppositorum, quae nominibus plerumque usu acceptis appellantur Oriens et Occidens orbes. Cuius quidem appellationis causa non dumtaxat *politica,* verum, uti dicitur, *geopolitica* est. Eorum autem foederum utrumque adsimilare sibi vel conglobare studet circum sese, variis quidem coniunctionis aut communicationis modis, alias item Civitates earumve consociationes.

Politica in primis est haec oppositio, quatenus unumquodque foedus propriam reperit naturam in complexu quodam institutorum societatis rationumque gubernandi, qui alteri contrarius ferme est et adversus. Eadem vicissim politica oppositio originem ducit alia ex repugnantia multo altiore, quae in *notionibus* reponitur *philosophicis.*

Viget enim in orbe Occidenti institutum, quod historica principia sectatur *capitalismi lib eratis,* qui superiore enucleatus est saeculo precrebrescentibus fabrilibus industriis. Orbe contra in Orienti viget institutum, cui ortum dedit ipse *collectivimus Marxianus,* enatus videlicet ex ordinum opificum con-

dicione effectusque sub lumine impulsuque peculiaris historiae interpretationis. Harum utraque philosophiarum repetens nempe duas adeo inter se diversas aestimationes hominis eiusque libertatis ac partium socialium proposuit et provehit adhuc in provincia oeconomica formas inter se pugnantes ipsius constitutionis humani operis ac structurarum dominii rerum, quod spectat praesertim ad instrumenta, quae dicuntur, effectionis rerum.

Fieri vero non potuit quin *oppositio* illa *philosophiarum,* cum rationes gigneret sedesque adversas ipsius potentiae adhibitis propriis normis praedicandi res hominesque docendi, in augescentem usque progrederetur *militarem oppositionem,* unde etiam pacta bina exorta sunt armatorum populorum, quorum alteri alterum diffidit metuitque ne alterum alteri praestet.

Necessitudines autem inter Civitates non potuerunt suo vicissim tempore non effectus percipere huius « logicae consecutionis foederum » ac respondentium rei « regionum auctoritatis exercendae ». Contentio vero haec inter opposita pacta, quae profligato altero bello universali emersit, dominata est et pervasit totum quadraginta annorum intervallum subsecutum, cum alias induit speciem sibi « belli frigidi », alias « belli per procurationem » per abusum videlicet pugnarum localium, alias autem suspensos anxiosque hominum tenuit animos bellum minitans *apertum atque universum.*

Etiamsi in praesentia ipsa tempora periculum tale longius aliquanto remotum videtur, quamquam non funditus amotum, et tametsi iam ad consensionem est perventum de uno saltem armorum atomicorum delendo genere, ipsa exsistentia et oppositio illorum foederum nihilo cessant minus *solida* esse et sollicitudinem generare, unde etiam condicionem pergunt afficere orbis totius.

21. Hoc accidit effectibus cum maxime adversis potissimum in ipsis rationibus ac necessitudinibus inter nationes, quae Civi-

tates ad prosperitatem progredientes respiciunt. Etenim, uti in comperto est, contentio illa *Orientem inter et Occidentem* ex se iam non tangit aliquam repugnantiam inter diversos duos progressionis *gradus* verum potius diversos inter duos *conceptus* ipsius progressionis hominum populorumque, quorum uterque imperfectus est talisque qui planam poscat emendationem. Eadem porro oppositio in illas ipsas nationes transfunditur, unde fit ut dilatetur hiatus iam rebus in oeconomicis constitutus inter Septentrionalem et Australem orbem estque consectarium ipsius longinquitatis inter duos orbes : magis minusque progressum.

Haec una causarum est cur Ecclesiae socialis doctrina notet ac reprehendat tantopere *capitalismum liberalem* quantum *marxisticum collectivismum.* Nam, habita ipsius « profectus » ratione, sua sponte se ingerit interrogatio : quo pacto aut quali modo duae illae philosophicae rationes obnoxiae sunt iis mutationibus atque accommodationibus, quibus adiuvetur vel provehatur verus integerque hominis populorumque progressus hodierna in societate? Quippe: mutationes illae et accommodationes usquequaque necessariae videntur urgentesque ad causam unius cuiusdam progressionis omnium plane communis.

Civitates nuperius adeptae sui iuris statum, quae, enitentes magnopere ut peculiarem suam culturalem assequantur politicamque proprietatem, auxiliorum indigent efficacium ac liberalium a nationibus ditioribus ac magis progressis, implicantur, atque identidem etiam labefactantur, dimicationibus ob variam philosophiam, quae inevitabilia dein progignunt intra eas discidia, quin etiam nonnumquam vera inflammant civilia bella. Quod propterea etiam evenit quod pecuniae in nationibus illis collocatae atque adiumenta in progressionem concessa saepius deflectuntur proprio a proposito et adhibentur potius ad ipsas incitandas dissensiones extra omnino et contra commoditatem Civitatum, quae inde beneficia deducere debent. Harum fiunt

sibi complures prorsus consciae periculi ne novo obiciantur coloniarum instituendarum generi, unde sese subtrahere contendunt. Quae proin conscientia peperit suo tempore etiam inter difficultates, dubitationes atque etiam contradictiones, Motum Internationalem Civitatum non consociatorum, qui pro suo positivo proposito efficaciter confirmare intendit cuiusque populi ius propriam ad identitatem, suam ad libertatem ac securitatem necnon ad participationem — secundum aequalitatis et solidae coniunctionis principium — fructus bonorum, quae universis destinantur hominibus.

22. Quibus consideratis, expeditius et clarius hos in postremos viginti annos inspici potest necnon dissensiones facilius intelleguntur, quae partis orbis terrarum septentrionalis sunt propriae, inter Orientem scilicet et Occidentem, tamquam causa haud postrema tarditatis ac torporis, quibus meridianae afficiuntur orbis regiones.

Quae Nationes, ad progressionem nitentes, potius quam in *Civitates sui iuris* vertantur, quibus curae sit iter ad communia omnium bona et commoda iure participanda, *partes* fiunt machinamenti, ingentis nempe cuiusdam rerum conexionis. Hoc saepe fit ipsa in regione subsidiorum viarumque socialis communicationis, quae cum curentur plerumque a sedibus in septentrionalibus orbis plagis, ipsae haud semper iustam considerationem in priores partes et in quaestiones harum Nationum intendunt neque servant earum humani cultus naturam, sed haud raro distortam vitae hominisque rationem proponunt, ita ut non verae hominum progressionis necessitatibus satisfaciant.

Ambae pariter *adversae Nationum Consociationes* ad *effrenatam Populos subigendi voluntatem,* ut dici solet, aut ad formas colonicae novae dominationis abditam propensionem more suo usque habent: neque desunt qui eiusmodi libidini facile succumbant, ut res gestae vel recentiores testantur.

Vitiosus hic est rerum status — consectarium quidem belli necnon cuiusdam sollicitudinis, quae immerito augetur *suae cuiusque securitatis* causa — quo impeditur ne ullum hominibus sit studium solidae et operosae omnium hominum coniunctionis in commune bonum spectantium, ita ut detrimentum in primis inferatur populis pacis amantibus, qui et ad bona omnibus hominibus destinata aditu intercluduntur.

Qui si ita consideratur, praesens status divisionis in orbe terrarum *directe obstat,* ne in Nationibus minus progressis aut ad progressionem nitentibus condiciones imminutae ao tardatae progressionis vere immutentur. Populi tamen haud semper in sua sorte quiescunt. Ipsae dein necessitates oeconomicae procurationis impensis bellicis compressae, sicut morositate ac naturali inefficacia, videntur quibusdam cursibus favere, qui contrapositum tenuare possint, necnon facilius reddere initium dialogi fructuosi veraeque mutuae operae pro pace.

23. Quod asseveratur in Litteris Encyclicis a verbis *Populorum Progressio** incipientibus, opes scilicet et pecuniarum collocationes, quae ad edenda arma fuerint destinatae, usurpandas esse ad populos miseriis fameque levandos, id nunc vel potiorem efficit rogatum, ut discrepatio inter adversas Nationum Consociationes penitus vincatur.

Diebus nostris eiusmodi opes re vera ad aliud non valent, nisi ad alteram *Consociationem* ita adiuvandam, ut alteri contrariae praestet tutamque suam securitatem reddat ac necessariam. Distorta haec agendi ratio, quae vitium est originis, efficit ut Nationes illae, quae historice, oeconomice, publice munus ducendi exercere possunt, angustiis afficiantur in suo officio implendo, quod consistit in fovenda ac servanda solida coniunctione cum populis studiosis perfectae progressionis sibi comparandae.

Hic oportet asseverare, neque nimium esse videatur, ducis

[41] **Cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 53: *l.c,* p. 283.**

munus inter Nationes accipere non licere, nisi quibus sint *facultas et voluntas* longe lateque *conferendi* ad commune omnium bonum inquirendum.

Si qua Natio, plus minusve sibi conscia, voluptati cedens veluti portis muroque se continendi, responsale officium recusaret e sua emanans praestantia inter Civitates, sane a munere suo *graviter discederet* sibi ethice imposito. Quod facile agnosci potest in tempore, cum Christifideles consilia Providentiae Dei plus minusve dispiciunt, quae et Nationes adhibere potest tam ad sua exsequenda consilia, quam ad dissipanda « consilia gentium » (cf. *Ps* 33, 10).

Cum Occidens videtur in quibusdam crescentis solitudinis formis sui commodi causa vivere velle, ipseque Oriens incertis de causis ignorare videtur suum esse communem participare operam ad populos miseriis levandos, tunc in conspectu adest non solum proditio iustarum exspectationum generis humani, quae inopinabilium effectuum est praenuntia, sed etiam omnino certa violatio obligationis ethicae.

24. Si armorum fabricatio gravis est rerum perturbatio vigens in hodierno orbe terrarum, prae veris quidem ac certis hominum necessitatibus usuque instrumentorum ad eas reparandas aptorum, perturbatio haud minoris gravitatis tamen est *ipsorum armorum negotiatio.*

Quin immo, ad eiusmodi mercaturam quod attinet, huc accedit ut *vel severius sit iudicium ethicum.* Ut plane constat, loquimur de negotiatione interminata, quae etiam fines utriusque adversae Nationum Consociationis superare potest. Eadem mercatura valet ad divisionem supergrediendam inter Orientem et Occidentem, necnon praesertim inter Septentriones et Meridiem, adeo ut, quod peius est, se in *varias partes* insinuet, ex quibus australis constat orbis regio. Insolita igitur res spectatur: cum auxilia oeconomica rationesque progressionis offendant in limites ideológicos insuperabiles, in limi-

tes cum taxationibus conexos aut ad emporia pertinentes, ex contrario *arma,* quae undique proficiscuntur, libertate fere infinita in variis orbis terrarum partibus circumferuntur. Neque est qui nesciat — sicut recentiore in documento de officio ad Nationes pertinenti denotabat Pontificia Commissio *a Iustitia et Pace* [42] — quibusdam in casibus pecuniarum capita, quae ab excultiore orbe terrarum mutua data essent, ad aliud apud populos nondum progressione excultos non valuisse, nisi ad arma comparanda.

Quibuscum omnibus si cumulatur *tremendum periculum* inter omnes notum, quod in *armis atomicis* incredibilem usque in modum coacervatis consistit, haec, quae sequitur, videtur conclusio: rerum status huius orbis terrarum, una cum rebus oeconomicis, potius quam sollicitudinem exhibeat *verae progressionis,* qua omnes ad humaniorem vitam adducantur, — ut Litterae Encyclicae *Populorum Progressio* [43] adumbraverunt, — videtur ad hoc esse, ut in iter *ad mortem* celerius nos inducat.

Consectaria eiusmodi rerum status apparent in plaga typica ingravescenti, quae index est perturbationum et conflictationum hominum huius temporis: ipsa dicimus *multiplicata iam profugorum centena decies milia,* qui ob bella et calamitates naturales et persecutiones, omnisque generis discrimina, sunt domo opere familia patria spoliati. Ex virorum, mulierum et puerorum vultibus macie confectis, omnium videlicet, qui in mundo dissociato omnique fere hospitalitate destituta, iam nequeunt domum invenire, funestus tot illarum multitudinum eminet casus.

Neque aliud relinqui potest acerbum huius temporis exitium, tromocratia, quae idem valet ac consilium pariter necandi homines ac delendi bona, ita potissimum ut quidam terror

[42] *Al servizio della comunità umana: un approccio etico del debito internazionale* (27 Decembris 1986), III.2.1.

[43] Cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 20-21: *l.c,* pp. 267 s.

inferatur suspensique animi status, haud raro obsidibus etiam captis. Terroris acta numquam licet probare, ne tum quidem, cum veluti causa inhumani eiusmodi usus quaevis adducitur doctrina aut necessitas constituendae novae societatis. At eoque vel minus licet, ut hodie accidit, ea probare, cum eiusmodi consilia atque eversiones, quae interdum fiunt caedes, quidamque raptus a culpa vacuorum et a conflictationibus alienorum ostentationem intendunt suae causae faventem; aut quod vel peius est, ita nequiquam fiunt, ut ad hoc dumtaxat homicidium fiat, ut mors alicui afferatur. Tanto horrore inspecto atque dolore, vim servant, quae nonnullos abhinc annos diximus, quaeque nunc repetere velimus : « Christiana Doctrina vetat... odium in alios habere et inermes interficere, pariter ac uti methodis tromocratiae N .[44]

25. Hic mentio oportet de *quaestione demographica* fiat deque ratione, qua hodie exponatur, secundum quae in memoratis Encyclicis[45] Paulus PP. VI edidit ipsique Nos diffuse in Apostolica Exhortatione, quae a verbis *Familiaris Consortio* incipit, explicavimus.[46]

Negari nequit quin, in meridianis praesertim orbis terrarum locis, talis sit quaestio demographica, quae progressioni obstet. Hic merito additur statim in septentrionalibus orbis regionibus contrarias esse notas quaestionis demographicae ac proprietates : sollicitudini hic est enim *numerus natorum iam restrictus,* una cum effectibus recidentibus in populum senescentem, qui proinde ne aptus quidem iam est ad biologicam sui ipsius renovationem. Quae res per se ipsa valet ad hominis progressioni obstandum. Quemadmodum perperam

[44] Homilia habita in Hiberniae urbe Drogheda (29 Septembris 1979), 5: *AAS* 71 (1979), II, p. 1079.

[45] Cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 37: *l.c.,* pp. 275 s.

[46] Cfr. Adhort. Apost. *Familiaris Consortio* (22 Novembris 1981), praesertim ad n. 30: *AAS* 74 (1982), pp. 115-117.

asseritur progressioni nonnisi e demographico incremento difficultates obvenire, ita ne demonstratum quidem est *omne* eiusmodi incrementum ab ordinata progressione abhorrere.

Ceteroqui magna videtur cum perturbatione compertum haberi multis in Civitatibus *modo et ratione* procreationem *dissuaderi,* auctoribus illarum Nationum Magistratibus, refragante non solum humano ac religioso cultu earum proprio, sed ipsa etiam verae progressionis natura. Saepe etiam accidit, ut eiusmodi dissuasiones aliqua coercitione fiant pecuniisque iuventur exterarum Nationum propriis, eaedemque dissuasiones nonnumquam etiam subsidiis et adiumentis oeconomicis-nummariis subiciantur. Omni in re saepe *summa violatio* patratur liberi eorum consilii, quorum interest, virorum scilicet et mulierum, qui coërcitionibus intolerabilibus, non exceptis oeconomicis, haud raro sollicitantur, ut novae huic succumbant formae oppressionis. Quae indignitates a pauperioribus profecto perferuntur: unde non sine causa suspicio est novam vexationem phyleticam consummari aut certis quibusdam phyleticis « eugenismi » formis f averi.

Hoc quoque facinus, quod oportet firmissime damnetur, indicum est falsae ac perversae notionis hominis progressionis.

26. Eiusmodi prospectus, de *vera condicione* hominum progressionis hoc in orbe terrarum potissimum improbandus, imperfectus quidem esset, nisi et *commoda* indicarentur, quae simul sunt cum improban dis.

Primum commodum, plurimorum virorum ac mulierum proprium, idem est ac *animus omnino* c o a c t e dignitatis suae singulorumque mortalium; qui, v.g., e *maiore* ubique *sollicitudine* eminet in *observandis hominum iuribus* promptioreque etiam celeritate in violationibus eorum respuendis. Id testatur numerus privatarum consociationum, quae, nonnullis etiam annumeratis vim habentibus in universo mundo, re-

cens sunt conditae necnon magna cura ac laudabili aequitate fere omnes ad eventus internationales attendunt in re tantae prudentiae.

Hac in re agnoscamus oportet quantum moti sint animi *Declaratione Iurium Hominum,,* quam quadraginta fere abhinc annos Consociatio Nationum Unitarum promulgavit. Quae cum maneat et adhuc vigeat, necnon gradatim accepta sit a Nationum Communitate, signum est divulgatae conscientiae usque progredientis. In eadem autem regione iurium hominum idem dicendum est de reliquis iuris instrumentis eiusdem Consociationis Nationum Unitarum aliorumve internationalium Institutorum.[47]

Conscius, quem diximus, animus non modo *singulos,* sed etiam *Nationes* respicit ac *populos,* qui, quatenus subsistentia genera quodam humano civilique cultu ipsorum proprio conformata, vehementius inducuntur ad pretiosum eiusmodi patrimonium servandum libereque administrandum ac provehendum.

Unoque tempore in orbe terrarum, qui omnium conflictationum genere di visus permovetur, homines, cum *mutuae plenaeque inter se coniunctionis* certi fiant gradatim, persuasum sibi habent humana necessitudine opus esse, et quidem sibi suscipienda ad morumque regionem transferenda. Praesenti fortasse magis quam praeterito tempore homines intellegunt *communi sorte* inter se astringi, quae ab omnibus una simul struatur oportet, ut communis vitetur clades. Ex interiore hominis metu et angore, ut ex effugiis ab officii conscientia, v.g. ex medicamentis stupef acti vis, quae omnia *propria sunt aetatis nostrae,* paulatim hoc animadvertitur, neque bonum, ad quod omnes provocamur, neque beatitudinem, ad quam tendimus, acquiri posse, nisi *communi omnium conatu ac studio,* nimioque igitur reiecto amore sui.

[47] Cfr. *Droits de l'homme. Recueil d'instruments internationaux,* Nations Unies, New York 1983; IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Enc. *Redemptor Hominis* (4 Martii 1979), 17: *AAS* 71 (1979), p. 296.

Huc accedit, veluti signum *cultus, qui vitae tribui debet* — haud obstantibus temptationibus comprimendi eius curam (ab abortu ad euthanasiam) —, *consequens sollicitudo* pacis; ac denuo animus conscius pacis, quae *dividi non potest: aut omnium* est pax *aut nullius.* Pacem dicimus, quae magis magisque observantiam *iustitiae* exactam postulat et aequam, quae consequitur, distributionem fructuum verae progressionis.[48]

Inter *signa secunda et omnino probanda* huius temporis annotari debet tum aucta conscientia exiguarum opum exstantium, tum necessitas servandi *integritatem et veluti rhythmos* naturae, tum in statuenda humanae progressionis dispositione, illorum habita ratione, potius quam remittatur progressio quibusdam consiliis de ea turbulentis. In hoc consistit ea quae *oecologica* vocatur *sollicitudo.*

Aequum est agnoscere etiam studium moderatorum rerum publicarum virorumque in iis exercitatorum et peritorum doctrinae oeconomicae atque addictorum corporatis opificibus moderandis, necnon clarorum scientiarum cultorum publicorumque administrorum ad omnes Nationes pertinentium — quorum multi sunt fide religiosa moti — haud paucis iacturis cuiusque propriis, mala mundi liberaliter dissolvendi et omnibus viribus contendendi quo maior in dies pars virorum ac mulierum dono pacis fruatur vitaeque genere huius nominis digno.

Haud parum ad id *conferunt magnae Consociationes internationales* nonnullaeque societates regionales, quarum omnium labores simul suscepti sinunt eas efficaciores esse.

Eiusmodi etiam generis opera nonnullae Civitates Tertii Mundi, haud obstantibus iniquis compluribus condicionibus,

[48] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et Spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 78; PAULUS PP. VI, Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 76: *l.c,* pp. 294 s.: « Cum ergo miseriae obsistimus et contra miquam rerum condicionem contendimus, non solum prosperae hominum fortunae consulimus, sed eorundem etiam animorum morumque progressioni atque adeo totius humani generis utilitati favemus ... Pax diem de die assiduo perficitur labore, modo is rerum spectetur ordo, qui a Deo statutus perfectiorem iustitiae formam inter homines flagitat ».

consecutae sunt ut *aliquo modo suis se opibus nutriant* vel aliquem habeant artium et artificiorum proventum, qui digne superesse permittat fontesque laboris praestet omnibus actuosam vitam agentibus.

Quare *non omnia sunt improbanda* in orbe terrarum huius temporis, neque id ita fieri potest, quia caelestis Patris Providentia amanter nostris quoque angoribus prospicit cotidianis (cf. *Mt* 6, 25-32; 10, 23-31; *Lc* 12, 6-7; 22-30); quin immo praestantiores res secundae, quas denotavimus, novam *ethicae* sollicitudinem testantur, de magnis praesertim hominum quaestionibus, inter quas humana est progressio et pax.

Haec ipsa veritas Nos inducit ad cogitandum de *vera natura* progressionis populorum, concorditer sane cum Litteris Encyclicis, quarum anniversariam memoriam nunc celebramus quarumque doctrinam in honore esse cupimus.

IV

27. Quod Litterae Encyclicae nobis suaserunt inspiciendum in mundo huius temporis, nobis ostendit progressionem hominum *non esse* rectilineam, seu rem fere *automatariam* ac *per se ipsam sine fine.,* perinde ac si genus humanum quibusdam sub condicionibus expedite ad aliquam veluti non definitam tendat perfectionem.[49]

Haec notio, quae notioni progressionis, *illuminismi* notis philosophicis potius signatae coniungitur, quam progressionis[50] significatione oeconomica-sociali acceptae, nunc aperte in dubium revocari videtur, praesertim post cognitas calamitates postremi utriusque belli pancosmii, post praestitutam ratio-

[49] Cfr. Adhort. Apost. *Familiaria Consortio* (22 Novembris 1981), 6: *AAS* 74 (1982), p. 88: «Hoc ipsum ostendit historiam non esse simpliciter progressionem necessariam ad meliora, sed eventum libertatis, quin immo luctationem inter libertates ».

[50] Hac de causa in textu harum Litterarum Encyclicarum maluimus uti verbo « progressione » potius quam verbo « profectu » id vero curantes ut verbo « progressioni » plenissime detur sensus.

nem, et partim ad effectum deductam, excidendi integros populos, necnon ipso instante periculo atomico. Stultam *bonam spem irrationalem* iactatio animi de ultimo hominis exitu secuta est non sine causa.

28. Eodem tamen tempore in discrimen etiam ratio adducta est, quae « oeconomica » vel « oeconomicistica » nuncupatur et cum verbo « progressionis » conectitur. Hodie re vera melius intellegi potest *merum congestum* bonorum ac ministeriorum, quamvis plerisque is faveat hominibus, non satis esse ad humanam felicitatem persequendam. Proindeque facultas multiplicium *beneficiorum realium,* quae his proxime actis temporibus scientia et technica disciplina effecerunt, re addita, quae « informatica » dicitur, non homines ex omni eripit servitute. Ex contrario, postremorum annorum usus docet opes et potestates, quae homini ad nutum praesto sunt, in eum vertere ut opprimant, nisi regantur *iudicio morali* ac propensione ad verum generis humani bonum.

Trepida cognitio recentissimi temporis perquam idonea ad docendum videtur : prope miserias tardatae progressionis, quae accipi non possunt, *nimia quaedam progressio* adest, eademque pariter reicienda, quia, sicut prior, ita et altera est bono veraeque felicitati adversa. Nimia enim eiusmodi progressio, quae in *supervacanea* consistit abundantia omnis generis rerum corporearum pro quibusdam hominum coetibus, facile efficit ut homines et « possessioni » et *immediatae* voluptati serviant neque alio spectent, nisi ad res multiplicandas aliasve vel perfectiores pro iis, quas iam possederint, substituendas. Is est qui dicitur civilis cultus *rerum consumendarum* cupidus, qui idem et « reiciendorum » et « purgamentorum » est cultus. Res, quae possidetur, directo seponitur simul atque nova aut perfectiore superatur, neglecta utilitate perenni fortasse illius propria aut in commodum egentioris hominis convertenda.

Nos omnes oculis mala videmus consectaria perversae vo-

luntatis, qua nonnisi rebus consumendis servimus: ante omnia crassum quemdam « materialismum », quem dicunt, unoque tempore *summam insatietatem,* quia, nisi omnino praecavendis a multis nuntiis rerum laudativis necnon assidua et corruptrice bonorum oblatione, statim intellegimus eo plures res desiderari quo plures possideantur, neque satiata altiora desideria manere, eademque fortasse ne exsistere quidem.

Litterae Encyclicae Pauli PP. VI iam illustraverunt quid inter « possidere » et « esse » differret,[51] quae diversitas hodie tam saepe augetur, ut ante certis accuratisque Concilii Vaticani II verbis est enuntiatum.[52] Rerum ac bonorum *possessio* non per se hominem meliorem reddit, nisi quid ad « eum ipsum » maturatane ac virtute perficiendum confert, seu ad humanam vocationem persequendam ut talem.

Discrepantia sane inter « esse » et « possidere », necnon insitum periculum, ne ampliorum rerum simplex possessio aut studium novas pro iis substituendi pluris ducantur quam ipsum « esse », haud necessario in *antinomiam* converti debent. Una inter maximas iniustitias orbis terrarum huius temporis in hoc omnino consistit: comparate *paucos* esse qui multa, *multos* autem qui fere nihil possideant. Haec est iniquitas ad pravam pertinens bonorum ac ministeriorum distributionem, quae principio sunt omnibus hominibus destinata.

En igitur descriptio : sunt qui — pauci multa habentes —, cum cultus « possidendi » ob eversum praestantium bonorum ordinem sit obex, revera nesciunt ad «esse» pervenire; illi-

[51] Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 19: *l.c,* pp. 266 s.: «Augescens in dies bonorum copia neque a populis neque a singulis hominibus ita existimanda est, ut pro supremo fine habeatur. Quaevis enim progressio ad utramque partem valet ... Quam ob rem sola oeconomicorum bonorum conquisitio non modo prohibet, quominus homo humanitate crescat, sed eius etiam germanae granditati adversatur. Cum enim nationes tum homines, qui avaritiae labe inficiantur, mores minus progressus quam manifestissime ostendunt»; cfr. quoque eiusdem Pontificis PAULI VI, Ep. Apost. *Octogésima Adveniens* (14 Maii 1971), 9: *AAS* 63 (1971), pp. 407 s.

[52] Cfr. Const. past. *Gaudium et Spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 35; PAULUS PP. VI, Allocutio ad Excellentissimos Viros e Coetu Legatorum apud Apostolicam Sedem (7 Ianuarii 1965): *AAS* 57 (1965), p. 232.

que sunt — multi nempe parum vel nihil possidentes —, qui, cum et simplicibus bonis careant necessariis, praecipuam hominum vocationem persequi nequeant.

Malum non in « rerum possessione » ut tari est positum, sed in modo sibi habendi res, nullo habitu respectu *qualitatis* et *sani ordinis* bonorum, quae possidentur; cuiusmodi genus et ordo ex eo procedunt, quod ipsa bona promptusque eorum usus subsunt « essentiae », quae dicitur, hominis eiusque verae certaeque vocationi.

Ita igitur, cum quam plurimis orbis terrarum incolis liber usus bonorum ad « vivendum » necessariorum sit suppeditandi, demonstratum habetur *progressionem* hominis *necessarium modum oeconomicum* prae se ferre, attamen non hoc uno terminari modo. Accidit enim ut progressio ita circumscripta in perniciem iis vertat, quibus favere velimus.

Proprietates « progressionis » hominum perfectae seu « humanioris », quae, necessitatibus concedens oeconomicis, se sustentet veraeque par sit substantiae vocationis viri ac mulieris, ab ipso Paulo PP. VI descriptae sunt.[53]

29. Progressio *non tantummodo oeconomica* aestimatur ac dirigitur secundum naturam et vocationem *hominis ad omnem rationem perpensi,* seu etiam in eius *animi partibus.* Qui sine dubio bonis indiget creatis rebusque machinali industria perfectis, quae frequenti augetur profectu scientiarum et artium technicarum. Semper autem novus usus bonorum corporeorum, dum necessitatibus subvenit, novos etiam aperit prospectus. Periculum pravi consumendarum rerum usus atque supervenientes artificiosae necessitates haudquaquam obstare debent aestimationi et usui novorum bonorum et opum, quae in promptu nobis sunt; quin etiam habenda sunt tamquam donum Dei, necnon responsum humanae vocationi, quae in Christo plene perficitur.

[53] Cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 20-21: l.c, pp. 267 s.

Ad veram tamen hominis progressionem ut perveniatur, necesse est ne illae *animi partes* neglegantur, in quibus *propria ipsius hominis* consistit *natura,* quem scilicet creavit Deus ad imaginem et similitudinem suam (cfr. *Gen* 1, 26). Natura corporea et spiritalis, cuius imago ex altera *Genesis* narratione (2, 7) duobus efficitur elementis : *terra,* qua Deus format corpus hominis, atque *spiritu vitae,* quem ei ipse inhalât.

Ita homo aliquam habet similitudinem cum ceteris creaturis: ipse invitatur ad commoditatem ex iis percipiendam, ad curamque earum agendam atque, sicut ipsa in Genesi narrantur res *(ibid.,* 2, 15), in horto collocatur ut colat atque tueatur, idemque constituitur supra omnia animantia, quae Deus in eius potestate posuit *(ibid.,* 1, 26). Uno vero eodemque tempore homo manere debet Dei voluntati subditus, qui in usu ac potestate rerum limites imponit ei *(ibid.,* 2, 16-17), quemadmodum immortalitatem ei promittit *(ibid.,* 2, 9; *Sap* 2, 23). Homo igitur, cum sit imago Dei, et aliquam cum eo similitudinem habet.

Secundum eiusmodi doctrinae principia progressio hominis nequit tantummodo consistere in usu et in potestate et *omnimoda* in possessione bonorum creatorum necnon rerum artibus et artificiis hominis perfectarum, sed potius in subicienda possessione, potestate, tractatione rerum sub similitudinem hominis cum Deo et sub eius vocationem ad immortalitatem assequendam. En *transcendens veritas* hominis, quae videtur inde a principio pariter a viro ac muliere participari (cfr. *Gen* 1, 27), quae proinde sociale est fundamentum.

30. Itaque secundum Sacram Scripturam notio progressionis non est solum « laica » vel « profana », sed etiam videtur in suo etiam pondere sociali-oeconomico quaedam *huius aetatis locutio* ad aliquam praecipuam designandam proprietatem vocationis hominis.

Nam neque *immobilis* neque *staticus,* ut ita dicatur, crea-

tus est homo. Prima eius descriptio, quae in Libris Divinis continetur, eum ostendit ut *animantem* et *imaginem,* qui *origine* et *similitudine* definitur, quibus efficitur. Sed haec omnia omni humano, sive viro sive mulieri, utrique sive seorsum sive ambobus simul, *germen* indunt ac *necessitatem* nativum munus perficiendi. Munus, quod in « dominio rerum creaturarum » et in <(horti cultura » sane consistit et intra fines observandae legis divinae expleri debet, ipsaque proinde ratione habita susceptae « imaginis », quae perspicuum est fundamentum potestatis et dominii sibi traditi, ut suam homo perfectionem curet (cfr. *Sap* 9, 2-3).

Cum Deo non oboedit homo, eiusque potestati subesse recusat, tum natura ei obsistit, non amplius eum agnoscit « dominum », quod imaginem divinam infusca vit. Evocatio ad creatas res possidendas iisque ad utendum etsi semper valet, post peccatum tamen usus earum fit arduus laborumque plenus (cfr. *Gen* 3, 17-19).

Subsequens enim *Genesis* caput progeniem Cain nobis ostendit, quae « urbem » aedificat, rei pecuariae se tradit, ad artes se applicat (ad musicam, *ibid.,* 21) et ad rem technicam (ad metallicam, *ibid.,* 22); cum nomen Domini invocari coeptum sit (cfr. *ibid.,* 26). Historia humani generis, quae in Libris Sacris delineatur, etiam post ipsum hominis lapsum historia est *frequentium rerum peractarum,* quae, semper in contentionem et in periculum ob peccatum revocatae, iterantur et excutiuntur ac diffunduntur velut responsum divinae datum vocationi principio iam viro ac mulieri traditae (cfr. *Gen* I, 26-28), eidem vocationi, quae similitudini a viro ac muliere receptae est insita.

Ex quibus effici cogique potest, saltem ab omnibus, qui credunt in Verbum Dei, hodiernam « hominis progressionem » habendam esse historiae momentum inceptae in creatione orbis terrarum perpetuoque in discrimen adductae ob neglectam quidem Dei voluntatem in primisque ob libidinem ido-

lolatriae; sed ea fundamentali ratione cum promissionibus initio factis congruit. Qui, causam interponens durum esse certare vel assidue contendere vires ad assequendam victoriam, aut, nomine cognitae ipsius iacturae necnon reversionis ad caput, se *difficili sed excitante* abdicaret *munere* meliorem reddendi sortem totius hominis omniumque hominum, voluntatem Dei Creatoris is non observaret. Hac in re Ipsi Litteris Encyclicis a verbis « Laborem Exercens » incipientibus[54] respeximus hominis vocationem ad laborem, ut demonstraremus semper hominem praecipuum esse progressionis auctorem.

Quin immo, ipse Dominus Iesus in parabola de talentis exprimit quam severe sit accepturus eum, qui susceptum donum abscondere ausus fuerit: « Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi et congrego ubi non sparsi... Tollite itaque ab eo talentum et date ei qui habet decem talenta » *(Mt* 25, 26-28). Qui dona Dei accipimus ut feneremur, nostrum est « seminare » et « congregare ». Nisi fecerimus, id quoque, quod habemus, a nobis tolletur.

Quorum pervestigatio severorum verborum nos incitare poterit ad promptius insistendum, quod hodie urget omnes, in *officium* adiuvandi reliquos ad plenam progressionem : maturitatem totius hominis omniumque hominum.[55]

31. *Fides in Christum Redemptorem,* dum naturam progressionis illuminat ex interiore animo, ductrix est hominum ipso in munere alios adiuvandi. In Epistula sancti Pauli ad Colossenses legimus Christum esse primogenitum omnis creaturae, et in ipso universa condita esse (cfr. 1, 15-16). In eo enim omnia constant, quia « in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare et per eum reconciliare omnia in ipsum » *(ibid.,* 1, 19-20).

* Cfr. Litt. Enc. *Laborem Exercens* (14 Septembris 1981), 4: *AAS* 73 (1981), pp. 584 s.; PAULUS PP. VI, Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 15: *l.c,* p. 265.

[55] Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 42: I.c, p. 278.

Huic Dei consilio, quod initium ducit ab aeternitate in Christo — perfecta « imagine » Patris — quodque fastigium in eo habet », qui est principium, primogenitus ex mortuis » *(ibid.,* 1, 15), *nostra includitur historia,* quae nostro privato et publico denotatur labore, ut hominum condicio melior reddatur, necnon difficultates vincantur in itinere frequenter nobis occurrentes, ita ut ad plenitudinem nos comparemus participandam, quae « habitat in Domino », quamque ipse tradit «Corpori suo, quod est Ecclesia » *(ibid.,* 1, 18; cfr. *Eph* 1, 22-23), dum peccatum, quod nobis semper insidiatur nostraque laedit opera, vinci tur ac redimitur « reconciliatione », quam operatus est Christus (cfr. *Col* 1, 20).

Rerum prospectus hic amplior fit. Optatum infinitae cuiusdam « progressionis » recuperatur, in aliud tamen penitus mutatum *nova quadam visione* christiana fide patefacta, unde accipimus eiusmodi progressionem haberi tantummodo posse, quod Deus Pater inde a principio voluerit suam gloriam cum homine communicare in Christo Iesu a mortuis excitato, « in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum » (cfr. *Eph* 1, 7), in eoque voluerit peccatum vinci nostrumque maximum in bonum converti,[56] quod infinite superat quidquid progressio assequi potest.

Pro certo igitur, — dum in mediis nos tenebris iactamus et lacunis *progressionis angustioris* et progressionis *immoderatae* — affirmare possumus diem futurum esse, quo corruptibile hoc indue t incorrup telam, et mortale hoc induet immortalitatem (cfr. *i Cor* 15, 54), cum Ipse tradet Regnum Deo et Patri (cfr. *ibid.,* 24), omniaque nostra opera et actiones, homine digna, redimentur.

Notio autem fidei apte causas illustrat, quibus *Ecclesia* inducitur ad totam rationem curandam de quaestionibus pro-

[56] Cfr. *Praeconium Paschale, Missale Romanum,* ed. typ. altera, 1975, p. 272: «O certe necessarium Adae peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem ! ».

gressionis, ad eam habendam *officium sui ministerii pastoralis,* ad communem omnium excitandam considerationem de natura ac proprietatibus certae veraeque hominis progressionis. Pro suo munere ipsa cupit illinc divino optato servire eo spectanti ut omnia disponantur ad plenitudinem, quae omnis in Christo habitat (cfr. *Col* 1, 19), quamque suo Corpori ipse tradidit, hinc vero suae praecipuae respondere vult vocationi « sacramenti », seu signi et instrumenti intimae cum Deo unionis atque unitatis totius humani generis.[57]

Nonnulli Ecclesiae Patres hanc secuti sunt speciem, ut et suam singularibus formis *notionem historiae* elaborarent sensumque *humani laboris,* qui contendit ad se transcendentia semperque coniunctione cum opera Christi definita. Aliis verbis in doctrina Patrum tam historia quam hominis labor *in optimam partem accipi* potest, id est *perenne bonum* quod rerum ab homine perfectarum est proprium, quippe quae sint a Christo redemptae promissoque Regno destinatae.[58]

Pariter proprium est antiquissimae *doctrinae actionisque* Ecclesiae pro certo hoc habere, sua se vocatione iuberi — seipsam suosque administros et singulos Christifideles — ut miseriis aegros levet, sive proximos sive disiunctos, non modo « supervacaneis » rebus, sed suis etiam bonis. Necessitate urgente, nefas quidem est aliis necessitatibus pulchritudinem templorum divinique cultus splendorem anteponere, quin etiam ex contrario optabile est ut ea omnia abalienentur, ut panis et potus et vestimentum et domus indigentibus tradantur.[59] Ut iam dictum est, hic quidam « *praestantiorum bonorum ordo* » nobis exhibetur — idemque in regione iuris possidendi —

[57] CONO. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 1.

[58] Cfr. ex. gr. S. BASILIUS MAGNUS, *Regulae fusius tractatae, interrogatio* XXXVII, 1-2: *PG* 31, 1009-1012; THEODORETUS CYRENSIS, *De Providentia, Oratio* VII: *PG* 83, 665-686; S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* XIX, 17: *CCL* 48, 683-685.

[59] Cfr. ex. gr. S. IOANNES CRYSOSTOMUS, *In Evang. S. Matthaei, hom.* 50, 3-4: *PG* 58, 508-510; S. AMBROSIUS, *De Officiis Ministrorum,* lib. II, XXVIII 136-140: *PL* 16, 139 141; POSSIMUS, *Vita 8. Augustini Episcopi,* XXIV: *PL* 32, 53 s.

inter ea, quae « possidentur » et ea, quae « sunt », praesertim cum ipsum « possidere », nonnullorum proprium, ipsum « esse » tot aliorum laedere potest.

Paulus PP. VI, in Litteris Encyclicis, quas diximus, eiusmodi doctrinam sequitur, pastorali sane ductus Constitutione a verbis *Gaudium et Spes*[60] incipiente. Quod autem ad Nos attinet, denuo de rei gravitate ac necessitate instare cupimus, dum Domini auxilium imploramus, ut omnes Christifideles constanter rem in usu et agitatione vitae ad effectum deducant.

32. Officium insistendi in « populorum progressionem » haud nudum est debitum *singulare,* nedum sit *privatum omnino,* perinde ac si seorsum quisquam molimentis suis id consequi possit. Sane vis est necessitatis, quae *omnes ac singulos* cogit viros ac mulieres, societates ac Nationes; singillatim cogens Ecclesiam Catholicam necnon reliquas Ecclesias et ceteras Communitates ecclesiales, quibuscum cooperari hac in re plane parati sumus. Hac de re, ut nos Catholici invitamus fratres Christianos ad nostra consilia participanda, ita et paratos nos dicimus ad eorum consilia adiuvanda eorumque invitationes excipimus. Hanc inquirentes progressionem totius hominis efficacius una cum studiosis aliarum religionum operari possumus, quem ad modum ceteroqui iam variis in locis accidit.

Progressioni « totius hominis » et « omnis hominis » cooperari est officium *omnium hominum erga omnes,* quod uno eodemque tempore quattuor partium orbis terrarum commune esse debet: Orientis et Occidentis, Septentrionum et Meridiei; vel, ut hodierna utamur locutione, plurium « Mundorum ».

[60] Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 23: *l.c,* p. 268: «"Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?" *(1 Io* 3, 17). Inter omnes constat quam firmiter Ecclesiae Patres officia descripserint hominum opibus affluentium erga eos qui in necessitate versantur». In superiore numero Pontifex memoraverat n. 69 Const. past. *Gaudium et Spes* Concilii Oecumenici Vaticani II.

Si contra opera datur, ut id una in orbis parte ad effectum adducatur, tunc cum damno perficitur ceterorum magno; ibique, ubi rei fit initium, ceteris neglectis, eo ipso res corrumpi tur vel in peius abit.

Populi vel *Nationes* habent et ipsi ius ad plenam sui progressionem, quae si partes oeconomicas et sociales — ut dictum est — prae se fert, necesse tamen est ut et *humano cultu cuiusque proprio* constet, utque rebus naturam transcendentibus plane patescat. Ne necessitatem quidem progressionis interponere licet, ut quis suam aliis imponat rationem vivendi vel suae religionis legem.

33. Nec vere *dignum homine* esset genus progressionis, quod *hominis iura,* personam, societatem, oeconomiam et artem rei publicae administrandae, simulque *Nationum et populorum* iura non coleret nec proveheret.

Hodie clarius fortasse quam antea repugnantia agnoscitur intima progressionis terminis circumscriptae *solummodo* oeconomicis, quandoquidem haec facile personam humanam eiusque maximas necessitates subigit condicionibus praestitutae rerum oeconomicarum ordinationis et unius quaestus.

Conexio intima, quae intercedit inter veram progressionem et iurium hominis observantiam, ostendit etiam eiusmodi progressionis indolem *moralem:* vera hominis altitudo, vocationi naturali et historicae cuiusque consentanea, non comparatur *solo* usu copiae bonorum vel ministeriorum vel facultate opum technicarum, quae « substructiones » appellantur.

Cum in societate personae et communitas, quae solet populus vocari, rigide servari non vident morum postulata, culturae et spiritus, quae dignitate nituntur personae humanae et propria cuiusque communitatis natura, imprimis familiae et societatum religiosarum, cetera omnia — bonorum abundantia, technicorum inventorum affluentia in vitam cotidianam adhibitorum, quidam rerum prosperarum gradus — improbabuntur et, procedente tempore, spernentur. Id clare Dominus

in Evangelio confirmat, admonens omnes de bonorum ordine vero: ((Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » *(Mt* 1,6, 26).

Vera progressio, secundum necessitates hominum proprias, viri vel mulieris, pueri vel senis, ab omnibus, qui naviter huic progressioni intersunt eiusque sunt fautores, in primis *vivam* postulat *conscientiam momenti* iurium omnium et uniuscuiusque, necnon necessitatis iuris tuendi, quod cuique est, ex quo plene uti valeat beneficiis, scientia et technica arte praebitis.

In *rebus domesticis* omnis nationis magnum pondus habent totius seriei iurium observatio, praesertim iuris ad vitam, omni exsistentiae momento; iurium familiae, uti communitatis humani generis primae seu « cellulae »; iustitia in laboris rationibus; iura ad vitam communitatis politicae pertinentia qua talis; iura posita in hominis vocatione divina, rerum naturam transcendente.

In *ordine internationali,* seu rerum publicarum necessitudinum, vel, secundum sermonem, quo utuntur, diversorum « mundorum », necessaria est plena cuiusque populi identitatis et eodem tempore eius historiae et culturae proprietatum observantia. Item necessarium est, sicut iam ominaban tur. Litterae Encyclicae, quas verba inchoant *Populorum Progressio,* omni populo facultatem facere sedendi « ad mensam convivii communis »,[61] potius quam extra portam iacendi, sicut Lazarus iacebat, dum « canes veniunt et fingunt ulcera eius » (cfr. *Lc* 16, 20). Tum populi tum singulae personae debent *aequatione fundamentali*[62] frui, qua nititur, exempli gratia, Charta Societatis Nationum Unitarum: quae aequatio fundamentum est iuris omnium processuum plenae progressionis participandi.

[61] Cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 47: *l.c,* p. 280: «... de consortione dicimus, in qua libertas non sit inane nomen, et Lazarus vir indigens ad eandem mensam possit considere ac dives».

[62] Cfr. *ibid.,* 47: *l.c,* p. 280: «agitur de hominum consortione stabilienda, in qua quivis, nullo discriminé stirpis, religionis, nationis, vitam vere humanam vivere possit, liberam a servitute, cuius auctores sunt homines...»; cfr. quoque CONO.

Ut talis sit, progressio facienda est in mutua hominum *necessitudine et libertate,* nec umquam harum utra ulla causa est excludenda. Progressionis natura moralis et necessaria provectio augentur respectu omnium necessitatum, quae oriuntur ex ordine *veritatis* et *boni,* hominis proprii. Christianus insuper, educatus ad videndam in homine Dei imaginem, vocatam ad plenam participandam libertatem plenumque bonum, quod *Deus Ipse* est, studium progressus eiusque effectionis sensu carens putat sine observantia et obsequio dignitatis unicae huius « imaginis ». Ut alia utamur locutione, verus progressus ponendus est in *Dei proœimique amore* debetque usui favere personarum cum societate. Ecce « civilis cultus amoris », de quo tam frequenter Paulus PP. VI loquebatur.

34. Progressus indoles moralis discedere ne potest quidem ab obsequio erga *entia,* quae naturam visibilem *efficiunt,* quamque Graeci, significantes sane ordinem, quo illud eminet, « cosmum » vocabant. Suo modo etiam hae res observantiam poscunt, ob triplicem considerationem, multis cogitationibus perpendendam. *Prima* consistit in opportunitate *intellegendi magis magisque* non posse impune varia entium genera adhiberi, nec vivorum nec inanimorum — arborum, animalium, elementorum naturalium — proprio arbitrio, pro cuiusque necessitatibus oeconomicis. Oportet contra aestimetur *uniuscuiusque entis natura* et *mutua conexio* in ordine composito, qui quidem est cosmus.

Secunda consideratio innititur vero in animadversione, urgentiore quidem, *opes naturae circumscriptas* esse, quarum nonnullae *refici,* ut dicitur, *non possunt.* Si *dominio* adhibentur *absoluto,* quasi inexhaustae sint, grave periculum est ne non solum aetatibus futuris, sed ne praesenti quidem in promptu sint.

OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium, et Spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 29. Huiusmodi *aequalitas essentialis* praecipua est causa cur Ecclesia semper obstiterit cuique formae discriminis stirpis.

Tertia consideratio apertius pertinet ad exitus cuiusdam generis progressionis pertinentes ad *condicionem vitae,* quae agitur in regionibus officinis affluentibus. Omnes novimus invectionis quaestuosae industriae consecutionem esse frequentiorem in dies circumfusi aèris contaminationem, cum valetudinis incolarum detrimento.

Evidens etiam est progressum, voluntatem praestitutae rerum ordinationis, qua ille regitur, opum usum modumque his utendi non posse ex observantia legum moralium eximi. Harum legum una sine dubio naturae visibilis usum circumscribit. Dominium a Creatore homini datum utpote divinae imagini (cfr. *Gen* 1, 26) non est absolutum, nec licet « utendi et abutendi » arbitrium affirmare, vel ex commodo res disponendi. Modus, quem inde a principio ipse Creator homini imposuit quique symbolica ratione exprimitur per interdictionem « concedendi de ligno » (cfr. *Gen* 2, 16-17), satis clare ostendit in universitate naturae visibilis et elementorum, ex quibus constat « cosmus », nos legibus esse subiectos, non solum biologicis, verum etiam moralibus, quae impune violari nequeunt.

Recta progressus notio non potest hanc seriem neglegere considerationum — ad usum elementorum naturae pertinentium, ad opum renovationem et ad detrimenta quaestuosae immodèrataeque industriae — quae nostrae conscientiae *momentum morale* proponunt, ex quo dignoscendus est processus.[63]

V

35. Quoniam progressus est magna parte indolis *moralis,* patet idem affirmandum esse de *impedimentis,* quae ei obstant. Si annis actis post vulgatas Litteras Encyclicas, quae inscribuntur *Populorum Progressio,* progressus defuit — aut par-

[63] Cfr. Homilia habita in loco vulgo «Val Visdende» (12 Iulii 1987), 5: diurnarium *L'Osservatore Romano,* 13-14 Iulii 1987; PAULUS PP. VI, Ep. Apost. *Octogésima Adveniens* (14 Maii 1971), 21: *AAS* 63 (1971), pp. 416 s.

vus fuit, inconstans, si non omnino contradictorias — causae non possunt ex sola origine oeconomica oriri. Ut iam antea memoravimus, hac in re causae etiam « politicae » se interponunt. Rationes enim, quae « populorum progressionem » provehunt aut infrenant, nonnisi indolis « politicae » sunt. Ut perversae machinationes superentur, de quibus diximus, et iis novae subiciantur rectiores et bono communitatis communi congruentiores, necessaria est efficax voluntas « politica ». Re indagata, est concludendum hanc non sufficientem fuisse.

In documento pastorali, ut hoc est, indagatio, quae causas oeconomicas et politicas solum expendat minoris prosperitatis et incrementi (et, portione necessaria servata, etiam maioris prosperitatis et auctus), est imperfecta. Sunt inde causae indolis *moralis* inveniendae, quae industriae hominum, utpote personarum moraliter officiis astrictarum, intersunt ut progressionis cursum frenen t et plenam eiusdem impediant adeptionem.

Pariter, cum praesto sunt opes scientiae et technicae, quae necessariis consiliis politicis intervenientibus, possunt et debent ad populos incitandos tandem in verum progressum prodesse, *sola consilia natura sua moralia,* quae credentes, praesertim christiani ponunt in fidei principiis, omnia removebunt, quae obstant et impediunt, gratia divina auxiliante.

36. Est inde animadvertendum mundum, in adversarum nationum compages divisum, - rigidis fultum doctrinis, in quo, potius quam copulatio inter se, ut talis agnita et consensione roborata, imperii libidinis diversae dominantur formae, esse non posse nisi mundum « *structuris peccati* » obnoxium.

Iniquarum causarum summa, quae agunt contra veram conscientiam *boni communis* universalis et necessitatis ei favendi, videtur condicionibus astringere personas et institutiones, victu difficilibus.[64]

[64] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et Spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 25.

Si praesens status tribuendus est condicionibus diversae indolis, alienum non est de « structuris peccati » loqui, quae, ut diximus in Adhortatione Apostolica *Reconciliatio et Paenitentia,* peccato personali inhaerent et ideo *actibus* personarum *definitis* annectuntur, quae eas inducunt, confirmant efficiuntque ut difficile diruantur.[65] Hinc corroborantur, diffunduntur atque aliorum peccatorum fons fiunt hominum mores condicionibus astringendo.

« Peccatum » et « structurae peccati » genera sunt, quae non saepe usurpantur in statum mundi huius temporis. Sed res, quas ante oculos habemus, non acriter intelleguntur, nisi maiorum origini, quae patimur, nomen imponimus.

Verba fieri possunt de « nimio sui amore » deque « brevi visione »; potest mentio fieri de « consiliis politicis mendosis », de ((imprudentibus oeconomicis consultis ». Et quaevis harum nominationum vocem resonat ethicam moralem. Hominis condicio talis est, ut difficilem reddat actionum et omissionum personarum acriorem inquisitionem, quae aliquo modo iudicia vel designationes naturae ethicae non comprehendat.

Haec consideratio *utilitatem habet,* praesertim si usque ad extrema consequens fit et in fide Dei et in eius lege fundatur, quae bonum iubet et malum prohibet.

[65] Adhort. Apost. *Reconciliatio et Paenitentia* (2 Decembris 1984), 16: «Atqui Ecclesia, cum de condicionibus peccati loquitur aut ut peccata socialia quasdam condiciones indicat aut mores communes coetuum socialium, ampliorum vel minorum, aut etiam totas Nationes et Nationes consociatas, novit et edicit eiusmodi peccata socialia esse simul effectum, acervationem et coniunctionem multorum peccatorum personalium. Agitur de peccatis maxime personalibus tum eius qui iniquitatem gignit et fovet vel ea abutitur; tum eius qui, cum aliquo modo agere possit ad vitanda vel removenda aut saltem finibus circumscribenda quaedam mala socialia, id facere omittit desidia, metu et proboso consciorum silentio, dissimulata facinoris societate aut indifferentis animi neglegentia; tum eius, qui se excusat causam interponens mundum mutari non posse; tum eius etiam, qui laborem et incommoda intendit effugere, praetexens fucosas rationes superioris momenti. In personarum ergo capita verae reddunt culpae. Nulla condicio — sicut nullum institutum, nulla compages, nulla societas — ipsa per se est actuum moralium subiectum; quam ob rem ea potest per se nec bona esse nec mala»: *AAS* 77 (1985), p. 217.

In hoc differunt quidam typus inquisitionis socialis-politicae et respectus formalis ad « peccatum » et ad « structuras peccati ». Pro hac visione agunt Dei voluntas ter Sancti, eius de hominibus consilium, eius iustitia eiusque misericordia. Deus *dives in misericordia, redemptor hominis, Dominus et auctor vitae,* ab hominibus agendi modos exigit accuratos etiam in actionibus et praetermissionibus erga proximum. Hic « secundue tabulae » decem mandatorum memoria renovatur (cfr. *Ex* 20, 12-17; *Dt* 5, 16-21); horum violatione Deus offenditur et proximus laeditur, cum in mundum condiciones introducantur et impedimenta, quae multum actus et brevem hominis vitam transcendunt. Intervenite- etiam cursui progressionis populorum, cuius mora vel tarditas hac luce collustrante iudicandae sunt.

37. Huic *inquisitioni vagae* indolis religiosae *nonnullae* addi possunt *subtiliores indagationes,* ut animadvertatur ex actibus et habitibus, qui Dei voluntati obsistunt et bono proximi, et ((structuris », quas ii inducunt, duos praecipue hodie magis proprios videri: hinc *solam quaestus cupiditatem* et illinc *dominii sitim* cum proposito ceteris imponendi propriam voluntatem. Horum habituum cuilibet, quo melius significetur, expressio addi potest: «pretio quantocumque ». Scilicet agitur de *dominatu* humanarum voluntatum deque exitibus, qui inde sequi possunt.

Quamquam seiungi possunt et altera sine altera exsistere ambae illae agendi rationes — in prospectu, qui patet ante oculos nostros — indissolubili modo sunt coniunctae — etsi utravis plus valet.

Ut par est, huius duplicis rationis veluti peccati victimae non solae personae sunt; possunt esse etiam Nationes et adversae Nationum Consociationes. Hocque magis « structurarum peccati » introductioni favet, de quibus diximus. Si quaedam hodierni studii dominandi formae harum normarum mo-

ralium luce considerarentur, aliqua detegerentur consilia, specie solum ob oeconomiam vel rei publicae administrationem capta, vere formas abscondere idololatriae: pecuniae, doctrinae classium, technologiae.

Hanc indagationis formam inserere voluimus, ut ante omnia indicaremus qualis sit mali vera *natura,* quod perspicere debemus in « populorum progressionis » quaestione: agitur de malo *morali, multorum peccatorum* exitu, quae ad « peccati structuras » adducunt. Hoc modo considerationem intendere in malum significat, secundum humanam disciplinam, apte *viam sequendam* cognoscere, ut illud superetur.

38. Est hoc iter *longum et implicatum,* in quod insuper ruinae constanter impendent, tum ob *intimam* propositorum et operum humanorum *fragilitatem,* tum ob adiunctorum externorum mutabilitatem, quae praevideri non possunt. Eiusmodi tamen iter oportet animose suscipiatur et, ubi aliqui gradus facti sunt vel spatii pars transmissa, ad finem usque perveniatur. In his considerationibus consilium viam ingrediendi vel iter pergendi vim habet praecipue moralem, quam viri et mulieres credentes agnoscunt uti Dei voluntate exactam, quae unicum verum fundamentum est ethicae omnino obligatoriae.

Optabile est viros quoque et mulieres apertae fidei expertes persuasum sibi habere impedimenta ad plenum progressum opposita non esse solum indolis oeconomicae, sed pendere ex *altioribus rationibus,* quas homo existimare potest bona absoluta. Qua re sperandum est fore ut quotquot, varia mensura, erga suos similes « humanioris vitae » officio obstringuntur, sive fide religiosa moti, sive non moti, plene conscii fiant necessariam esse *mutationem habituum spiritalium,* qui indicant cuiusque hominis necessitudines secum ipso, cum proximo, cum humanis communitatibus, vel maxime longinquis, cumque natura; ob bona superiora, uti *bonum commune,* vel, ut acuta utamur elocutione Litterarum Encyclicarum *Populo-*

rum Progressio, incrementum plenum « omnis hominis et omnium hominum ».[66]

Quod ad *christianos* attinet, sicut et ad omnes, qui vocis « peccati » expressam significationem theologicam agnoscunt, mutatio rationis vivendi et mentis vel modi, quo quis est, sermone biblico vocatur « conversio » (cfr. *Me* 1, 15; *Lc* 13, 35; *Is* 30, 15). Haec conversio indicat proprie necessitudinem cum Deo, cum culpa commissa cumque eius exitibus, et ideo cum proximo, tum persona, tum communitate. Deus est, in « cuius manibus sunt corda potentium et omnium corda»,[67] is qui potest, iuxta suam promissionem, opera Spiritus Sancti, « corda lapidea » in « corda carnea » mutare (cfr. *Ez* 36, 26).

In itinere optatae conversionis versus superationem moralium impedimentorum, quae progressioni obstant, iam indicari potest ut bonum *definitum* et *morale* maior intellegentia homines et nationes copulari inter se. Quod viri et mulieres, in variis mundi partibus, tamquam proprias sentiunt iniustitias et violationes iurium humanorum longinquis in regionibus aetas, quas numquam fortasse visent, aliud est signum quendam eventum esse mutatum in conscientiam et notam *moralem* esse consecutum.

Agitur ante omnia de mutua copulatione, quae recipitur uti systema praeponderans rationum in mundo nostri temporis, in eius partibus, seu oeconomia, cultura, res publicas administrandi scientia, religione, et ut *genus morale* assumitur. Cum ita mutua copulatio agnoscitur et assumitur, ei respondet, tamquam habitus moralis et socialis, tamquam « virtus », *consensio;* quae igitur non simplex est et vagus misericordiae sensus vel levis miseratio tot personarum malis tributa, vicinarum aut longinquarum; sed est contra *voluntas*

[66] Litt. Enc. *Populorum Progressio, 42: l.c,* p. 278.

[67] Cfr. *Liturgia Horarum,* Feria III Hebdomadae III Temporis per annum, Preces ad Vesperas.

firma et constans bonum curandi *commune,* seu bonum uniuscuiusque et omnium, quia *omnes* vere recipimus in nos.

Haec voluntas innititur *radicata* persuasione illa lucri cupiditate ac siti dominii, quam memoravimus, plenam coerceri progressionem. Eiusmodi «agendi rationes »et «peccati structurae » solum vincuntur — gratia divina adiuvante — *longe alio modo:* cura videlicet boni proximi una cum animo se, iuxta evangelicum sensum, pro alio perdendi, potius quam eo abutendi, eique « serviendi » potius quam illum ob sui utilitatem opprimendi (cfr. *Mt* 10, 40-42; 20, 25; *Me* 10, 42-45; *Lc* 22, 25-27).

39. Consensionis exercitium *in omni* societate efficax est, cum eius participes se vicissim agnoscunt ut personas. Qui plus pollent, quia maiora habent bona et communes apparatus, sentiant se esse humiliorum *cantores* et paratos ad ea communicanda cum iis, quae possident; debiliores vero, eandem sequentes consensionem, non desidi agendi modo se gerant vel ordinis societatis destructivo, sed, quamvis legitima sua vindicent iura, id faciant, quod ad eos spectet, pro omnium bono. Coetus autem interpositi ne contendant solummodo de,sua peculiari utilitate, sed aliorum causas observent.

Signa valentia hac aetate sunt *acrior conscientia* consensionis pauperum inter se, *eorum mutui auxilii interventus, publici concursus* in *scaena* societatis, quibus non vi utuntur, sed suas necessitates significant suaque iura contra inefficaciam aut corruptelam rei publicae auctoritatum. Ex suo munere evangelico, Ecclesia sentit se vocari ad vigilandum pro pauperum multitudinibus, ad discernendas iustas eorum postulationes, ad conferendum ut eae efficiantur, etsi non sit ei bonum commune coetuum praetermittendum.

Eadem regula per similitudinem adhibetur in consuetudinibus gentium. Mutua copulatio mutanda est in concordiam, positam in principio omnia naturae bona *esse omnibus desti-*

nata. Quae humana industria edit materias primas elaborando, bono omnium debent, labore iuvante, prodesse.

Declinatis studiis omne genus dominandi et conatibus *suum* servandi *imperium,* Nationes fortiores et ditiores officio astringuntur sentiendi sibi moraliter causam ceterarum in se esse transferendam, ut *verum systema gentium* instituatur, quod consistat in fundamento aequitatis omnium populorum et in necessaria legitimarum diversitatum observantia. Nationes oeconomia tenuiores, vel paene superstites, aliis populis opitulantibus et communitatibus mundanis, possunt et debent ipsae quoque potestatem habere ad bonum commune conferendi suis humanitatis et cultus thesauris, qui secus in perpetuum amitterentur.

Consensio nos adiuvat ad videndum « alterum » — *personam, populum* vel *Nationem* — non tamquam quodlibet instrumentum ut parvo sumptui habeamus eius Iaborandi facultatem et corporis firmitatem, eumque relinquamus, cum non iam utilis sit, sed tamquam nostrum « similem », tamquam « adiutorem » (cfr. *Gen* 2, 18. 20), quem participem faciamus, similiter ac nos, vitae convivii, ad quod omnes aeque homines invitantur a Deo. Hinc momentum excitandi *conscientiam religiosam* et hominum et populorum.

Hoc modo excluduntur abusus, oppressio, ceterorum exitium. Haec facta, in praesenti mundi divisione in adversar um nationum compages, in *belli periculum* confluunt et in nimiam propriae securitatis sollicitudinem, non sine detrimento, saepe, libertatis, liberae auctoritatis, ipsiusque *territorialis* integritatis Nationum debiliorum, quae « in finibus aliorum principatum tenentur » vel in « cincturis securitatis ».

« Structurae peccati » et peccata, quae ad eas ducunt, paci et progressioni tantadem vi se opponunt, quandoquidem progressio, iuxta notam Litterarum Encyclicarum Pauli PP. VI expressionem, est « novum nomen pacis w.[68]

[68] Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 87: *l.c,* p. 299.

Consensio ita, quam Nos proponimus, est simul *via ad pacem et ad progressionem.* Pax mundi namque ne in cogitationem quidem cadit, nisi ii, qui in haec incumbunt, agnoscunt mutuam copulationem exigere superationem rationis politicae « adversarum nationum compagum », reiectionem cuiuslibet formae dominandi, ad oeconomiam, militiam vel politicam artem pertinentis, et mutationem mutuae diffidentiae in *consociatam operam,* quae sane *actus proprius* est consensionis inter homines et Nationes.

Sententiola Pontificatus Decessoris Nostri rec. mem. Pii XII fuit *Opus iustitiae pax:* pax quidem ut iustitiae fructus. Hodie dici potest, eadem cum subtilitate eademque cum vi inspirationis biblicae (cfr. *Is* **32, 17;** *Gc* **3, 18),** *Opus hominum coniunctionis pax.*

Pax, quam omnes tam vehementer exoptant, comparabitur sane iustitiae socialis et internationalis effectione, sed etiam exercitatione virtutum, quae convictioni favent docentque nos coniunctim vivere, ut coniuncti, dantes et accipientes, mundum aedificemus meliorem.

40. Non est dubium quin solida hominum coniunctio virtus sit *christiana.* Iam in iis quae supra exposuimus, animadverti licebat plures rationes intercedere inter eam et *caritatem,* quae est proprietas, qua discipuli Christi cognoscuntur (cfr. *Io* **13).**

Lumine fidei praefulgente, coniunctio illa se ipsam nititur superare, nititur rationes *speciali modo* christianas plenae donationis gratuitae induere, veniae et reconciliationis Quo fit ut proximus non sit solum ens humanum, praeditum iuribus suis et fundamentali aequalitate coram universis. Fit vero *imago viva* Dei Patris, sanguine Iesu Christi redempta et permanenti actioni Spiritus Sancti subiecta. Proximus ergo amari debet, etsi est inimicus, eodem amore, quo eum Dominus diligit, atque parati simus oportet grave incommodum, etiam su-

premum, subire, scilicet: « dare animam pro fratribus » (cfr. *Io* 3, 16).

Tunc conscientia communis paternitatis Dei, fraternitatis omnium hominum in Christo — qui *filii in Filio* sunt —, praesentiae et actionis vivificantis Spiritus Sancti, faciet ut mundum contueamur *nova iudicandi ratione,* qua eum intellegamus et explanemus. Praeter vincula humana et naturalia, iam admodum valida et arcta, novum ostenditur *exemplar unitatis* hominum generis, ad quod, ad extremum, revocari debet firma hominum coniunctio. Hoc summum *exemplar unitatis,* quae est veluti lux repercussa vitae intimae Dei, unius in tribus Personis, est id quod nos christiani nomine « communionis » appellamus.

Quae quidem communio, proprie christiana, quae diligenter observetur, amplificetur, locupletetur Deo opitulante, est quasi *anima* vocationis Ecclesiae, ex qua sit « sacramentum », sensu supra exposito.

Itaque solida hominum coniunctio conferre debet ad efficiendum id consilium divinum tum ad singulos homines quod attinet tum ad societatem nationalem et internationalem. *Machinationes perversae* et « structurae peccati », de quibus sumus locuti, superari possunt solummodo per exercitationem solidae coniunctionis humanae et christianae, ad quam Ecclesia hortatur et quam constanter promovet. Sic tantum tot egregiae navitatis copiae totam vim suam effundere possunt ad progressionem et pacem provehendam.

Multi Sancti, ab Ecclesia in Caelitum album relati, *mirabilia testimonia exhibent* huiusmodi coniunctionis atque exemplo praelucere possunt in difficilibus rerum adiunctis huiusce temporis. Inter cunctos memorare cupimus sanctum Petrum Claver, qui Carthagine Indiarum servis est famulatus, et sanctum Maximilianum Mariam Kolbe, qui vitam suam obtulit pro captivo sibi ignoto in publicae custodiae campo loci *A uschwitz-Oswiecim.*

VI

41. Ecclesiae praesto non sunt *solutiones technicae* quaestionis incrementi deficientis ut talis. Quod quidem iam Paulus PP. VI in Encyclicis Litteris, quas commemoramus, affirmavit.[69]

Ecclesia enim non systemata vel rationes ordine compositas rerum oeconomicarum et politicarum proponit neque horum alia aliis anteponit, dummodo dignitas hominis recte servetur et promoveatur ac necessarium detur spatium proprio ministerio gerendo in mundo.

Ecclesia vero est « experta in humanitate »;[70] quod quidem eam impellit ad missionem suam religiosam necessario dilatandam ad varios campos, in quibus viri mulieresque opus suum exsequuntur, illam in hoc mundo quaerentes felicitatem, etsi angustam, quae dignitati suae ut personarum humanarum sit consentanea.

Dicatur oportet iterumque dicatur, exemplo sumpto a decessoribus nostris, nequaquam ad quaestionem « technicam » redigi posse id quod — ut veri nominis progressionem — dignitatem hominis ac populorum tangat. Progressio, si in quaestionem technicam coartetur, vera natura sua nudatur atque actus fit *proditionis* respectu hominis et populorum, quibus plena cum effectione debet inservire.

En, cur Ecclesiae *aliquid* sit hodie *dicendum,* perinde atque ante viginti annos ac tempore futuro, de natura, condicionibus, postulatis, finibus germanae progressionis necnon de impedimentis, quae hic obiciuntur. Ecclesia, id agens, munus *evangelizandi* adimplet, quoniam primum adiumentum ad progressionis quaestionem, ad praesentia maxime pertinentem, est

[69] Cfr. *ibid.,* 13; 81: *l.c,* pp. 263 s.; 296 s.
[70] Cfr. *ibid.,* 13: *l.c,* p. 263.

pronuntiatio veritatis de Christo, de Ecclesia, de homine, ad certam ac definitam aliquam condicionem traductae.[71]

Ad hoc assequendum Ecclesia, ut *instrumento,* sociali sua utitur doctrina. In huius aetatis discrimine ut sive solutio quaestionum propositarum sive recta earum constitutio iuventur, multum valeret *accuratior cognitio* et *latior diffusio* « summae principiorum cogitandi, criteriorum iudicandi, normarum agendi, quae eius doctrina exhibentur ***n.***[72]

Ita statim animadverteremus quaestiones, nobis aggrediendas, esse imprimis *morales* et neque enodationem problematum in progressione ut tali vertentium, neque instrumenta ad difficultates huiusce temporis superandas ab hac essentiali ratione posse separari.

Socialis doctrina Ecclesiae *non est* « tertia via » inter *capitalismum* liberalem, qui dicitur, et *collectivismum Marxianum,* ut item aiunt, neque optio, quae fieri possit ut aliae solutiones inveniantur non ita funditus sibi oppositae, sed proprium ac peculiare *genus* efficit. Neque est *ideologia,* sed *accurata enuntiatio* fructuum perdiligentis considerationis, qua perplexae veritates, quae sunt reapse, exsistentiae hominis comprehenduntur, ac quidem in societate et compage internationali, luce fidei ac traditionis ecclesialis affulgente. Eius finis praecipuus eo pertinet ut hae veritates, re existentes, *interpretatione explicentur,* quatenus perspiciatur utrum eae congruant an dissimiles sint normis doctrinae evangelicae de homine deque eius vocatione terrena ad pacem humana transcendentem persequendam; ut christianus sese gerendi habitus recte dirigatur. Doctrina igitur illa non *ideologiae* sed *theologiae* ac quidem theologiae morali accensetur.

Traditio ac diffusio doctrinae socialis pars sunt missionis

[71] Cfr. Allocutio habita ineunte Tertio Coetu Generali Episcoporum Americae Latinae (28 Ianuarii 1979): *AAS* 71 (1979), pp. 189-196.

[72] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de libertate christiana et liberatione *Libertatis Conscientia* (22 Martii 1986), 72: *AAS* 79 (1987), p. 586; PAULUS PP. VI, Ep. Apost. *Octogésima Adveniens* (14 Maii 1971), 4: *AAS* 63 (1971), pp. 403 s.

evangelizandi, quae est Ecclesiae propria. Quoniam vero de doctrina agitur eo pertinente ut *modus se gerendi personarum* recte dirigatur, inde consequenter manat « officium pro iustitia suscipiendum » secundum munus, vocationem, condiciones cuiusque.

Ad exercitationem *ministerii evangelizationis* in re sociali — quod est facies *muneris prophetici* Ecclesiae — pertinet etiam *denuntiatio* maiorum et iniustitiarum. Oportet tamen declarare *annuntiationem* semper maioris momenti esse quam *denuntiationem* et hanc seiungi non posse ab illa quae ei veram firmitatem ac vim summarum causarum exponendarum tribuit.

42. Socialis doctrina Ecclesiae hac aetate, magis quam antea, impellitur ut *prospectui internationali* patescat, congruenter quidem Concilio Vaticano II,[73] pontificiis Litteris Encyclicis recentioribus,[74] maxime vero illis, quas commemoramus.[75] Itaque non est supervacaneum, harum rerum habita ratione, argumenta et normas directorias peculiares, quae Magisterium proxime praeteritis annis denuo pertractavit, iterum perquirere altiusque perspicere.

Volumus autem unum ex his in lumine ponere: *optionem* pauperum et *amorem potiorem* erga eos. Est haec sane optio seu singularis forma primarum partium tenendarum in caritatis christianae exercitatione, quam tota Ecclesiae Traditio testatur; quae ad *vitam uniuscuiusque* christiani refertur, quatenus hic vitam Christi imitatur. Verumtamen pariter ad *officia* nostra *socialia* traducitur, quibus devincimur, ideoque ad vitae nostrae ducendae rationem, ad decisiones consentanee faciendas circa proprietatem usumque bonorum traducitur.

[73] Cfr. Const. past. *Gaudium et Spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, pars II, c. V, sectio II: «De communitate internationali aedificanda» (nn. 83-90).

[74] Cfr. IOANNES PP. XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra* (15 Maii 1961): *AAS* 53 (1961), p. 440; Litt. Enc. *Pacem in terris* (11 Aprilis 1963), pars IV: *AAS* 55 (1963), pp. 291-296; PAULUS PP. VI, Ep. Apost. *Octogésima Adveniens* (14 Maii 1971), 2-4: *AAS* 63 (1971), p. 402-404.

[75] Cfr. Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 3; 9: *l.c,* pp. 258; 261.

His vero temporibus, quoniam amor potior pauperum, una eum deliberationibus inde in nos manantibus,[76] omittere non potest quin ingentes complectatur multitudines fame laborantium, mendicorum, tecto carentium, quibus curatio medica deest, ac praesertim qui spe aetatis futurae melioris sunt destituti; fieri non potest quin harum rerum veritas agnoscatur. Eam ignorare idem valeret ac « diviti epuloni » assimilari, qui confinxit se Lazarum mendicum non cognoscere, qui « iacebat ad ianuam eius » (cfr. *Lc* 16, 19-31).[77]

Vita *nostra cotidiana* hac rerum veritate notetur oportet; item decisiones nostrae in re politica et oeconomica. Pariter *ii qui onus et munus nationum ipsorumque institutorum regendorum gerunt* — dum officio obstringuntur in consilia sua, quae potiora sunt, veram rationem humanam inferendi — ne obliviscatur augescentis egestatis phaenomeno primas tribuere partes. Pauperes enim, pro dolor, nedum imminuantur, numero augentur non solum in regionibus minus excultis, sed etiam — quod non minoris scandali est causa — in iis quae maiore progressione pollent.

Oportet meminisse iterum principii typici doctrinae socialis christianae : bona huius mundi *primitus omnibus destinantur?*[78]

Ius possessionis privatae est quidem *probandum* ac *necessarium,* sed vim principii memorati nullatenus infringit. <c Pignori enim sociali »[79] illa subicitur, id est in iis agnoscitur, quasi

[76] *Ibid.,* 3: *l.c,* p. 258.

[77] Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 47: *l.c,* p. 280; CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de libertate christiana et liberatione *Libertatis Conscientia* (22 Martii 1986), 68: *AAS* 79 (1987), pp. 583 s.

[78] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et Spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 69; PAULUS PP. VI, Litt. Enc. *Populorum Progressio,* 22: *l.c,* p. 268; CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de libertate christiana et liberatione *Libertatis Conscientia* (22 Martii 1986), 90: *AAS* 79 (1987), p. 594; S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theol.,* IP *II",* q. 66, art. 2.

[79] Cfr. Allocutio habita ineunte Tertio Coetu Generali Episcoporum Americae Latinae (28 Ianuarii 1979): *AAS* 71 (1979), pp. 189-196; Allocutio ad quosdam Poloniae episcopos oblata occasione visitationis «ad Limina Apostolorum» (17 Decembris 1987), 6: diurnarium *L'Osservatore Romano,* 18 Decembris 1987.

peculiaris et intima nota, munus sociale, quod in ipso principio addictionis universalis bonorum innititur eoque comprobatur.

Nec neglegenda est, quod attinet ad hoc officium pro pauperibus, *peculiaris illa forma paupertatis,* quae privatio est iurium fundamentalium personae humanae, praesertim privatio iuris ad libertatem religiosam et iuris etiam in re oeconomica incepta ineundi.

43. Sollicitudo animos exstimulans de pauperibus, qui secundum significantia verba sunt « pauperes Domini »,[80] transferatur oportet, in omnibus gradibus, in actus « concretos », adeo ut cum animi firmitate ad continuas reformationes necessarias perveniatur; quarum urgentiores cognoscere atque modi eas ad effectum adducendi e singulis condicionibus locorum pendent. Non tamen licet oblivisci earum, quae statu inaequalitatis internationalis, quem descripsimus, postulantur.

4. *The needs of the hour will continue to require insistence on human dignity* and the foundation of human dignity in the mysteries of Création and Rédemption. The needs of the hour will still require *appeals* to all who hold power to recognize the rights of the oppressed, as well as the role of society and the function of public àuthority in their relationship to the common good and to the whole of God's plan for humanity. But the "hour" which Paul VI in 1974 characterized as "late", now requires more than ever, in addition to prophétie statements and appeals, *the mobilisation of the whole ecclesial community, in the spirit of the Cospel*—which is the spirit of conversion of individuai hearts—with the weapons of the Gospel, to bring about in the power of the Gospel the Christian transformation of society. Needed at this point is indeed a special kind of *Christian éducation that teaches the full scope of Christian libération and justice,* and takes into account the whole saving reali ty of Christ's Death and Résurrection.

In telling us to stand finn in the Christian struggle, Saint Paul specifically describes the weapons of the Gospel. Among these he speaks of "the sword of the Spirit, which is the word of God".[6] This sword, which is capable of "discerning the thoughts and intentions of the heart",[7] is the great weapon at the disposai of the Christian community in its combat with the evils of society. When the community

[6] *Eph* 6:17.
[7] *Heb* 4:12.

of the Church assembles in prayer to reflect on the word of God, *the Holy Spirit himself pours out Ood's love* on his people and gives them that hope which does not disappoint.[8] With this hope and this love, and with reliance on the word of God, it is possible to achieve what human means never can succeed in achieving. Dear Brothers : Jesus assures us: "What is impossible with men is possible with God".[9]

5. Ali the efforts which the Church makes to help promote the Christian transformation of society are within the context of *her obédience to the Gospel of Christ.* They are conditioned by her understanding of evangelization as the proclamation of the gift of salvation given to humanity through the Paschal Mystery of Christ. The Church wishes *all* her members to understand "the profound links that exist between evangelization and human advancement".[10]

Human advancement on its part includes both integrai human development and Christian libération. In this sense Paul VI asked : "How in fact can one proclaim the new commandment without promoting in justice and peace the true, authentic advancement of man?"[11]

The human being who is created and redeemed by God is worthy of a total and radical libération—libération not only from structures that violate human dignity, but libération from sin itself. It is extremely necessary to make sure that when it is a question of dismantling those structures *they are not replaced by other structures that would perpetuate, in a différent form, conditions unworthy o f the children of God,* deny freedoms necessary for Christian libération, and be opposed to the fundamental values of the Gospel. *The triumph o f the Gospel is the universal triumph o f love* over hatred, through the conversion of hearts. In this triumph is found the true Christian transformation of society according to the Gospel. Intransigence, the prospect of inevitable conflict, old and new violence—all this must yield before "the s word of the Spirit, which is the word of God".

The Church in your région is very clearly called at this time *to place all her trust in the word of God* and in the power of him who "is able to do far more abundantly than ali that we ask and think".[12]

6. Regarding *the mission o f the laity* in your locai Churches, I am convinced that the recent Synod of Bishops has furnished you with

[8] Cf. *Rom* 5:5.

[9] *Lk* 18:27.

[10] *Evangelii Nuntiandi,* 31.

[11] *Ibid.*

[12] *Eph* 3:20.

many reflections that will be useful in your pastoral planning. *A heightened realization by the laity of their dignity* and their call to contribute actively to the mission of Christ and his Church has generated a new enthusiasm that is pervading the Church under the action of the Holy Spirit. It is another gift of the Lord, which I pray will be a further help to the Church in Southern Africa, to fulfil the needs of this hour.

In treating of evangelization, Paul VI stated that "the first means of evangelization is the witness of an authentically Christian life".[13] These words become a special challenge in the présent situation to all the Religious of your diocèses. Yes, we must all be convinced that the witness of consecrated love has a supernatural eífectiveness that far surpasses the power of external édification. In this area *Religious have a special part to play, as witnesses to God's love,* in furthering the Gospel message.

Your *priests,* too, together with the *seminarians,* must realize that their contributions to the solutions to ali the problems of freedom and justice must be rooted *in their own conversion o f heart and in their own fidelity of love.* Proclaiming the word of God to the faithful, listening to it in their hearts and applying it to their own lives, they will be ever more effective as peacemakers and reconcilers of God's people.

Dear brother Bishops : your own contribution of *unity among yourselves,* your experiencing together the love of Christ, and your bearing witness to this love are themselves splendid acts of episcopal leadership—a pastoral contribution to the locai Churches over which you preside and which you love and serve.

7. There are many particular problems that are the object of our attention but cannot be adequately commented on at this time. One of these is *the very important question o f Namibia.* Be assured that the Holy See is following this issue in all its détails with deep concern and keen solicitude for the well-being of the people themselves.

My *last word* to you, dear Brothers, is one of *hope.* With great love in our Lord Jesus Christ, I send my message of hope to all your beloved priests, Religious and laity. Remember always that Christ is with you. His Spirit dwells in you, and his word strengthens you. Christ never abandons his disciples, and to all of you he repeats : "Take courage! I have overeóme the world".[14]

[13] *Evangelii Nuntiandi,* 41.

[14] *Jn* 16:33.

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PRO

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 2 Februarii 1988. — Cathedrali Ecclesiae Diniensi, R. D. Georgium Pontier, parochum templi cathedralis Albiensis.

die 10 martii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Gabrielis Matagrin, Episcopi Gratianopolitani, Exc.mum P. D. Ludovicum Dufaux, hactenus Episcopum titularem Acciensem et Auxiliarem archidioecesis Massiliensis.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Ioannis Badré, Episcopi Baiocensis, R. D. Petrum Augustum Pican, e Societate Sancti Francisci Salesii.

die 17 Martii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Francisci Barbu, Episcopi Corisopitensis, R. D. elementum Guillon, e Congregatione Iesu et Mariae, Vicarium episcopalem Corbiliensem.

die 15 Aprilis, — Titulari episcopali Ecclesiae Dianensi, R. D. Marcellum Perrier, e clero dioecesis Tarantasiensis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Claudi Feidt, Archiepiscopi Camberiensis, Maurianensis et Tarantasiensis.

die 20 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Stephani R. D. Petrum Joatton, Vicarium generalem archidioecesis Lugdunensis.

die 21 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Pharaonensi, R. D. Emmanuelem Madureira Dias, e clero dioecesis Eborensis.

die 22 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Zamensi Minori R. D. Alfonsum Cabezas Aristizabal, Congregationis Missionis sodalem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Petri Rubiano Sáenz, Archiepiscopi Caliensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, **29** Aprile **1988,** S. E. il Signor **TERUO KOSUGI**, Ambasciatore del Giappone presso la Santa Sede.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Giovedì, **14** Aprile **1988,** Sua Altezza Reale la Principessa **MAHA CHAKRI SIRIÑDHORN** di Thailandia.

Lunedì, **25** Aprile **1988,** S. E. il Signor **TOMAS DE LA QUADRA SALCEDO**, Presidente del Consiglio di -Stato di Spagna.

Sabato, **30** Aprile **1988,** S. E. il Signor **NOBORU TAKESHITA,** Primo Ministro del Giappone.

Venerdì, **6** Maggio **1988,** le Loro Maestà il Re **JUAN CARLOS** I e la Regina **SOFIA**, Sovrani di Spagna.

Sabato 16 e Domenica 17 Aprile 1988 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Verona, in Italia.

NECROLOGIO

11	aprile	1988.	Mons. Anthony Hitchen, Vescovo tit. di Othona.
20	»	»	Mons. Lodewijk Jansen, Vescovo di Isangi *(Zaire).*
»	»	»	Mons. Evelio Domínguez Eecinos, Vescovo tit. di Acolla.
24	»	»	Mons. Ireneus Wiendud, Arcivescovo emerito di Juba *(Sudan).*

An. et vol. LXXX 6 Iunii 1988 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

SACRA CONSISTORIA

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria secunda, die II mensis Maii, anno **MCMLXXXVIII**, mane, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium secretum* cuius acta ex ordine referuntur :

I - SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO

Precatione « Adsumus » recitata, ad S. R. E. Patres Cardinales S.mus D.nus Ioannes Paulus II hanc allocutionem habuit :

Magnopere quidem delector ipso vestro conspectu hic, Venerabiles Fratres, et hodierno mecum consessu, in quo iterum pro vestra auctoritate dignitateque praebebitis mihi valida sane consilia ac salutaria omnino auxilia in procurandis quibusdam maioris scilicet ponderis negotiis quae universam denique afficiunt Ecclesiam. Oblatam vero sic opportunitatem libens profecto adhibeo ut debitas unicuique vestrum referam gratias de utilissimis adiumentis, sententiis, propositis quae interea non dubitavistis nec cessavistis principi Ecclesiae mihi pastori mente aperta promptaque voluntate exhibere.

Ut in medias continuo ingrediamur res : haec video potissimum hodie mane nobis agenda : ut Venerabilis Fratris Nostri Eminentissimi Camerarii Sacri Collegii nuntiationem perci-

piamus, ut Ecclesiis per orbem vacantibus diligenter prospiciamus et cognoscamus eas de quibus iam rite est hoc temporis spatio provisum, ut vota de nonnullis canonizationibus pridem propositis libere exprimamus: nominatim hisce de Beatis caeli tibus — Rocho Gonzales, Alfonso Rodríguez et Ioanne del Castillo sacerdotibus Societatis Iesu et martyribus, tum super Simone de Roxas presbytero Ordinis Sanctissimae Trinitatis ac fundatore Congregationis Christifidelium vulgo dictae « Ave Maria », de Magdalena Marchionissa de Canossa fundatrice Filiarum ac Filiorum a Caritate, super Maria Rosa Molas et Vallvé fundatrice Sororum a Consolatione necnon Philippina Duchesne virgine e Societate Sororum a Sacro Corde Iesu.

His in causis omnibusque in nostris operibus et inceptis utinam caelitus nobis praesenti subsidio adsistat Beatissimus ille faber et opifex, Iosephus, quem heri amanter in sacra liturgia commemoravimus cuiusque exempla humilitatis et sedulitatis, simplicitatis et paupertatis studere sempre debemus quam plenissime sectari ac nostro in opere complere.

II - NOVUS CARDINALIS COLLEGII CAMERARIUS

Summus Pontifex assensum dedit successioni, de more peractae, rev.mi Ioannis Willebrands, tit. S. Sebastiani ad Catacumbas, in munus Camerarii Collegii Patrum Cardinalium Sanctae Romanae Ecclesiae, quod Iosephus Paupini, presbyter Omnium Sanctorum, per menses quattuordecim sustinuit.

III - NUNTIUS ECCLESIARUM QUAE IAM CONCREDITAE SUNT

Postea Summus Pontifex certiores fecit S. R. E. Cardinales post proxime celebratum sacrum Consistorium centum sexaginta Ecclesiarum sacros Pastores a se per Apostolicas sub plumbo Litteras nominatos fuisse, videlicet:

Patriarchalis unum :
Hierosolymitanum Latinorum, Michaelem Sabbah.

Metropolitanarum quindecim, quos inter :
Sancti Salvatoris in Brasilia, Lucam Moreira Neves;
Philadelphiensem Latinorum, Antonium Bevilacqua.

Archiepiscopalis residentialis unum :
Spoletanum-JSiur sinum, Antonium Ambrosiano.

Archiepiscopalem titularium duo, quos inter :
Midilensem, Beniaminum Stella.

Episcopalium residentialium octoginta sex, quos inter :
Maracayensem, Iosephum Vincentium Henriquez Andueza ;
Placentinum in Hispania Iacobum Martínez Acebes.

Episcopalium titularium quinquaginta, quos inter :
Drusilianensem, Horatium Coelho Cristino ;
Decorianensem, Maximilianum Takuira Matthaeum Mariu.

Praelaturarum territorialium tres, quos inter :
Sanctissimae Incarnationis, Georgium Livieres Banks.

Demum Summus Pontifex assensum dedit :

Electioni canonice factae in Synodo Episcoporum Graecorum Melkitarum Catholicorum : venerabilis fratris Georgii Kwaìter, ad archiepiscopalem Ecclesiam *Sidoniensem Graecorum Melkitarum Catholicorum.*

Electioni canonice factae in Synodo Armenorum : venerabilis fratris Vartan Achkariam, ad titularem episcopalem Ecclesiam *ToJcatensem.*

IV - RELATIO CAUSARUM

Rev.mus Petrus S. Hieronymi a Caritate presb. card. Palazzini, Congr. pro Causis Sanctorum Praefectus, sermonem habuit de vita et miraculis Beatorum Rochi Gonzales, Alfonsi Rodríguez et Ioannis del Castillo, martyrum e Societate Iesu ; Simonis de Roxas ex Ordine Ss.mae Trinitatis; Magdalenae de Canossa; Mariae Rosae Molas et Vallvé; Philippinae Duchesne e Societate sororum a S. Corde Iesu, et acta recensuit quae in causis canonizationis eorundem Servorum Dei eadem Congregatio admittenda et approbanda putavit.

Relatione expleta, beatissimus Pater rev.morum cardinalium sententiam de proposita canonizatione exquisivit.

CONSISTORIUM UNICUM

Consistorio secreto absoluto, vocatis praesentibusque in eadem Aula sacris Praesulibus, abbatibus *nullius,* necnon Romanae Curiae Praelatis, quibus solet intimari, statim initium habuit *Consistorium unicum:*

PERORATIO CAUSARUM CANONIZATIONIS

Ex Advocatis consistorialis aulae duo, pro canonizatione beatorum omnium supra recensitorum de more instíterunt.

Quibus Viris beatissimus Pater per praelatum quemdam Secretariae Papalis sic respondit :

Magnopere quidem oblector ipso meo officio hic ac munere respondendi — Beatissimum Patrem iustis plane rationibus adductum vehementer cupere in Sanctorum Sanctarumque caelitum album referre memoratos Beatos viros ac mulieres quorum documenta constantis fidei flagrantisque in proximos caritatis necnon eximiae curae pro veris hominum necessitatibus luculenter refulgeant in Ecclesia et plurimis etiamnunc prodesse valeant ad roborandam religionis ac pietatis testificationem, tum ad propria Christi Evangelii opera inter maiores usque vitae difficultates fideliter persequenda.

Cum vero sollemnitas rei ipsius et gravitas huius negotii in tota vita historiaque Ecclesiae Dei merito postulet prudentiam maximam ac supernam quandam sapientiam, placet idcirco Suae Sanctitati vestra singillatim hic prius excipere iudicia et matura consilia de cunctis illis memoratis Beatis, quam Ipsemet decretoriam suam proferat sententiam.

Precatur interea ut, quem ad modum antehac est factum certissime et uberrime, ita hi quoque renuntiati aliquando Sancti et Sanctae non modo deprecationem suam adiungant precibus operibusque Ecclesiae militantis in terris, verum doctrinis ac moribus adeo probae et Christianae vitae provehant quam plurimos fideles, quin immo omnes bonae voluntatis homines, in usu verae humanitatis et auctu solidissimarum virtutum.

Ad cardinales et praesules Ss.mus allocutionem ad vota pro canonizatione exquirenda sic habuit :

Quemadmodum res postulat, intento animo perpendimus ea, quae ad illustrandas et comprobandas causas sunt allata.

Verumtamen, ut nostro nomine significatum est, rei gravitas suadet, ut mentem vestram cognoscamus, antequam decretoriam sententiam nostram edicamus.

Quapropter vos oramus, ut, ad gloriam Dei et utilitatem animarum spectantes, circa allatas causas suffragia vestra feratis.

Tunc singuli, servato suo cuiusque ordine, sententiam aperuerunt. Exceptis congregatorum patrum suffragiis, Summus Pontifex haec addidit verba :

Vehementer sane gaudemus, quod vos concordibus suffragiis postulavistis, ut his Beatis Sanctorum Caelitum honores tribuantur; id enim flagrantissimis etiam Nostris votis respondet.

Nihil igitur est, cur a peritorum iudiciis atque e membrorum Congregationis pro Causis Sanctorum sententiis discedamus, quae multis ac gravibus argomentis innituntur.

Quare, nulla mora, iam nunc hos Beatos summis sanctitudinis honoribus dignos iudicantes, eos inter Sanctos annumerandos esse decernimus; quod, iuvante Deo, sollemni ritu faciemus.

Nominatim autem in Sanctorum album referemus:

Rochum Gonzales, Alfonsum Rodríguez et Ioannem dei Castillo, die sexta decima huius mensis;

Simonem de Roxas et Philippinam Duchesne, die tertia mensis Iulii;

Magdalena Marchionissa de Canossa, die secunda mensis Octobris;

Maria Rosa Molas et Vallvé, die undecima mensis Decembris.

Interea, autem, vos omnes hortamur ut Deo preces sine intermissione adhibeatis, ut consilia Nostra Ecclesiae Sanctae prosint atque christianae vitae afferant incrementum.

Statim ac Ss.mus eloquio suo finem imposuit, caeremoniarum Magistro rogante, adstantibus Protonotariis Apostolicis ut iuridica instrumenta de omnibus supra recensitis conficerent, de more mandatum est.

Deinde, benedictione a Summo Pontifice impertita, Consistorium est absolutum.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

IACMELIENSIS

Nonnullis seiunctis territoriis ab Ecclesia Portus Principis, nova constituitur dioecesis Iacmeliensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Expeditioris evangelizationis causa, Venerabilis Frater Franciscus-Volfangus Ligondé, Archiepiscopus Portus Principis, audita conferentia episcopali, a S. Sede petiit ut, latiore territorio suae circumscriptionis diviso, nova iam dioecesis constitueretur, quo fidelium necessitatibus aptiore ratione ac via provideretur. Quapropter, eidem rei suffragante Venerabili Fratre Paulo Romeo, Archiepiscopo titulo Vulturiensi, in Civitate Haitiana Apostolico Nuntio, Apostolica Nostra usi auctoritate, haec quae sequuntur statuimus et decernimus. Ab archidioecesi Portus Principis territorium separamus regionis seu ((département » vulgari sermone Sud-Est nuncupatum, quo novam condimus dioecesim, *Iacmeliensem* appellandam, cuius scilicet fines iidem erunt atque civilis regionis seu « département ». Hi fines ergo novae dioecesis erunt : ab ortu solis Reipublicae Dominicanae limites ; ab occasu ((département du Sud » archidioecesis Portus Principis ; a septentrione « département du Ovest » eiusdem archidioecesis ; a meridie tandem mare Antillarum. Novae Ecclesiae sedem in urbe vulgo Jacmel nuncupata collocamus, templumque paroeciale ibidem situm, Ss. Philippo et Iacobo App. dicatum, ad gradum dignitatemque evehimus Ecclesiae Cathedralis, additis privilegiis et honoribus quibus huius generis Ecclesiae fruuntur. Noviter conditam dioecesim metropolitanae Sedi Portus Principis suffraganeam facimus ad iuris normam. Item quam primum Consultorum Collegium deligatur, qui Episcopo valido sint adiumento. Mensam episcopalem constituent Curiae emolumenta, fidelium stipes, pars bonorum quae novae Sedi e dispertitis archidioecesis Portus Principis bonis proveniunt, ad normam canonis 122 C.I.C. Ad seminarii erectionem dioecesani quod attinet necnon ad sacrorum alumnorum institutionem, serventur praescripta iuris communis, spec-

tatis praeceptis a Congregatione pro Institutione Catholica traditis. Quidam ex seminarii tironibus pariterque sacerdotibus ad studia complenda Romam mittantur in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum. Quae vero ad novae dioecesis regimen spectant, bonorum ecclesiasticorum curationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura et onera ceteraque id genus, haec omnia iure canonico temperentur. Simul autem ac novae dioecesis Iacmeliensis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae censeantur annumerati in cuius territorio beneficium vel officium ecclesiasticum legitime habeant; reliqui vero sacerdotes, clerici atque seminarii tirones, ei in cuius territorio legitimum habeant domicilium. Documenta autem omnia et acta quae ad conditam dioecesim respiciunt, ad eiusdem Curiam episcopalem mittantur, ibique diligenter custodiantur in tabulario rerum religiosarum. Ad ea denique perficienda quae per has iussimus Litteras, Venerabilem Fratrem Paulum Romeo de quo supra diximus legamus, vel quem ipse delegaverit, modo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincerum exemplum ad Congregationem pro Episcopis cito mittatur. Contrariis minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

ffi **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

* **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 215.3.'/0.

LITTERAE APOSTOLICAE

Venerabili Dei Servae Benedictae Cambiagio Frassinello, Fundatrici Instituti Sororum Benedictinarum a Providentia, Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius. Surrexerunt filii eius et beatissimam praedicaverunt; vir eius et laudavit eam. Mulier timens Dominum ipsa laudabitur (Pr 31, 10.28.30). Ad huius sane praeconii rationem, anno 1839, se gessisse videtur Exc.mus Aloisius Tosi, Episcopus Ticinensis. Qui quidem, cum aliquot ante annos Benedictam Cambiagio Frassinello cognovisset in ea admiratus erat fervens studium operum caritatis, spiritualium praesertim, coniunctum cum operositate haud communi, animi fortitudine firma in Dei Providentia fiducia, vehementique desiderio sese proximorum bono dedicandi. Huic mulieri sacer Praesul proposuit, ut educandarum puellarum opus susciperet ; quod consilium ipsa alacri animo amplexa est. Humilitatis spiritu penitus imbuta, Benedicta sollers fuit ad perficiendum consilium sibi a Deo inditum, quo impellebatur, ut mater fieret puellarum pauperum et derelictarum. Imparem quidem huic operi se existimabat, simul tamen honori sibi habebat, quod electa esset « ad opus tam excellens ac sanctum », et adiutrices suas adhortabatur, ut cum laetitia et fidelitate operam suam praestarent. Benedicta Cambiagio Frassinello nata est in pago *Langasco,* in finibus Genuensibus sito, die 2 Octobris anno 1791, et die 4 eiusdem mensis sacro Baptismi lavacro abluta est. Parentes eius, Iosephus et Francisca Ghiglione, optimis christianae vitae exemplis praestabant. Rationibus socialibus compulsi, Ticinum se transtulerunt, quo melius prospicerent rei familiaris condicionibus; in eaque urbe Benedicta aetate adolevit. Ut erat bona indole praedita, in viis Domini alacriter proficiebat. Contigit autem, ut quodam die superna luce potenter illuminata, quiddam caelestium rerum experta sit, unde intellexit se ad religiosam ingrediendam vitam vocari. At parentes huic proposito obstiterunt, et Benedicta, eorum consilium secuta, assensit se matrimonio iungi cum Ioanne Baptista Frassinello, in vico *Roncho* nato, sed in urbe *Yiglebano* domicilium habenti. Hic iuvenis notus erat familiaribus Benedictae propter parvam rei rusticae mercaturam, quam in urbe Ticinensi exercebat. Benedicta, igitur, nuptias inivit die 7 Februarii anno 1816; ac tunc in domum suam

excipere coepit sororem Mariam, cancro intestinorum affectam, cui ut curas praeberet, multa obivit gravia incommoda, quae sereno animo pertulit et semper propter Dei amorem. Duobus annis post matrimonium, Benedicta virum rogavit, ut intimo desiderio suo obsecundare vellet, quod ipsa iam ante nuptias fovebat, nempe se totam Deo dicandi. Ioannes Frassinello assensit uxoris proposito, cum eaque votum castitatis nuncupavit, quod usque ad mortem ambo fideliter servaverunt. Anno 1825, mortua sorore Maria, Benedicta tandem veram vocationem suam ad effectum deducere potuit. Nam, plane concorditer cum viro suo, admissa est inter Ursulinas loci *Capriolo* vulgo nuncupati, in finibus Brixiensibus siti ; Ioannes autem, et ipse ingredi voluit in Ordinem a Somascha appellatum, tamquam frater laicus. Sed post annum circiter, valetudinis causa, Benedicta ad patris domum redire compulsa est. Cum prodigiali modo convaluisset, ipsa sibi proposuit in institutionem incumbere puellarum indigentium et derelictarum urbis, quae sedes erat Universitatis studiorum et in qua Exc.mus Aloisius Tosi Episcopus maxima anxitudine angebatur ob statum derelictionis in quo versabantur puellae populares, a familiaribus neglectae et omnis educationis expertes. Cum pater fortiter obstitisset, qui haud bene de filiae navitate iudicabat, ipsa statim ac ex morbo convaluit, Episcopum adivit, ab eo petens, utrum patri sibi oboediendum esset, an impulsui obtemperandum, quem divinitus sibi inditum censebat. Episcopus iter terendum indicavit, nempe oportere, ut ipsa in harum puellarum bonum vires impenderet; quin immo, cum patrem impedimento esse sciret, operam dedit, ut vir eius e Novitiatu egrederetur, hanc ob causam, ut subsidio legis Benedictam muniret atque adiuvaret, non quidem per communem formam vitae coniugalis, cui sponte ambo iam renuntiaverant, sed, ad imitationem Mariae et Ioseph coniugii, per sanctificationem amoris coniugalis unice dediti Deo et supremis christianae religionis bonis. Sicque die 14 Septembris anno 1826 Ioannes Baptista Frassinello « habitum dimisit ». In Acta Ordinis haec de eo insueta nota relata est : « bene se gessit et cum honore profectus est ». Opus a Benedicta inchoatum mox progressum est, atque sex annorum spatio plus quam centum puellas hospitio excepit, quas secus vagas per vias urbis esse erraturas certo praevidebatur. Hisce popularibus puellis christiana educatio ac formatio impertiebatur, eaedemque instituebatur secundum rationem Scholarum Elementarium, cuius institutionis ipsae usque ad illud tempus erant expertes. Institutio autem tradebatur rationibus studiorum legi scholasticae eius

temporis convenientibus et magistris publice approbatis. Benedicta in urbe et in provincia Ticinensi unica fuit, quae ab Imperatoris Regiis Potestatibus Austriacis insigne obtinuerit ((Fautricis Publicae Institutionis ». Eius educandi modus suavis ac fortis erat, ad modum matris familiae, quae exemplo et perfectione vitae suae confirmat materni muneris exercitium. Institutio scholastica, una cum catechetica institutione ac labore, instrumenta fuerunt, quibus Benedicta utebatur ad puellas suas efficiendas christianae vitae specimina. Si hae numero creverunt, adeo ut plus quam 180 essent, hoc tribuendum quidem est eius inconcussae fiduciae in Divina Providentia positae, sed etiam eius leni ac forti animo matris spiritualis, eius actuoso paupertatis spiritui, eius denique privationibus, quibus sibi vel necessaria negabat. Ita Benedictae Opus incrementa capiebat et magis magisque invalescebat, fruita per decennium circiter favore et laudibus cum civilium tum religiosarum Auctoritatum. At anno 1838, obtrectationibus, calumniis, persecutionibus tam vehementer lacessita est, ut opus atque urbem ipsam derelinquere coacta sit, quae illam antea tantopere extulerat. Benedicta, Dei voluntatem adorans, omnia sua tradidit Episcopo, et profecta est cum quinque sodalibus et fidissimo Ioanne ad Liguriam versus. In animo habebat se conferre Rivarolum, quo aliquot ante annos duo sacerdotes eam invitaverant, sed cum novisset ibi Sorores Sanctae Paulae Frassinetti iam esse, consilium inivit permanendi Ronchi, in viri sui patria; idque accidit mense Iulio anno 1838. Ibi rursus apostolatum suum aggressa est inter incolas loci, novo robore firmans nascentem suam religiosam Familiam — Sororum Benedictinarum a Providentia — nam scholam, orphanotrophium atque ephebeum femínea instituit. Anno 1840 scholam frequentabant quadraginta alumnae, hoc est fere omnes puellae illius loci, qui tunc parvus erat pagus. Benedicta, semper amantissima Dei Providentia innixa, salutarem navitatem suam alebat animo intendens ad primarium propositum operis sui, quod erat : « omnia agere secundum Dei beneplacitum », eripere e mundi periculis « quam plurimas puellas, et quam plurimas sponsas Christi suscitare », media adhibendo simplicissima ac paupérrima, quae ipsi praesto erant, ac magis magisque fovendo evangelicum spiritum plenae deditionis pro Dei Regno. Anno 1847 Venerabilis Serva Dei Iriam misit duas ex sororibus, quae eam Ticino Ronchum erant secutae. Quae quidem, cum patri ac sorori curas adhiberent simul poterant etiam, secundum spiritum Instituti ac favente adiuvanteque Matre Benedicta, curas impendere in puellas civitatis,

eas praesertim quae magis erant neglectae. Temporis occursu; illa religiosa domus libero regimine usa est et ad hunc diem Institutum sui iuris esse pergit. Anno 1851 Benedicta Ticinum revocata est, ibique domum condidit pro puellis periclitantibus; scholam quoque aperuit, orphanotrophium et femineum collegium. Hic etiam, rursus acerrima in eam persecutio orta est, sed ipsa fortiter obstitit. Interim arcessita erat, ut scholam pro puellis institueret in loco Sancto Quirico appellato, et anno 1857 profecta est. In itinere autem in morbum incidit, cumque ipsi Ronchi permanendum fuisset, duas ex suis sororibus Sanctum Quiricum misit; sicque Institutum reliquit, via iam aperta ad eius futuros progressus. Anno 1858, post morbi dolores circiter sex menses sanctissime toleratos, extremum emisit spiritum Ronchi, die 21 mensis Martii, hora quam ipsa iam ante praeviderat. Benedicta, quamdiu vixit, semper aggredi debuit varia difficultatum genera. Fere cotidie abnegandum ipsi fuit sibi suisque consiliis, idque peculiari modo eius fidem eiusque animi constantiam comprobavit; semper enim peregrinata est sub signo Dei voluntatis, et, sicut Abraham, in spem contra spem continenter credens, novarum generationum mater est effecta. Multum aerumnarum multumque laborum stetit Opus ab ea conditum pro christiana educatione et formatione puellarum pauperum atque derelictarum. Attamen familiam ac domum *ipsis* dedit; victum, tutam futuram sortem, artem omnibus procuravit, ut eaedem aliquando uxores ac matres tales exsisterent, quae sibi, societati et Ecclesiae honori esse possent. Ad egregium hoc propositum efficiendum, Benedicta sibi minime pepercit. Nullo abnegationis genere perterrita est; in huiusmodi apostolatum generoso animo se impendit, secum trahens etiam maritum, qui plene adhaesit novae huic amplificatae familiae, sibi ab uxore propositae; ambo autem, propter Regnum Caelorum, novis familiis christianis formandis se totos dedicaverunt. Benedicta, Dei voci obsecuta, qui eam non ad privatam neque ad contemplativam vitam vocabat, sed volebat ut filiarum pauperum et derelictarum « mater, magistra ac ductrix » esset, in similitudinem Christi Boni Pastoris, eius sacrificium imitata est magna cum humilitate, semper sereno animo, plane conscia se hoc modo operam conferre ad salutem iuvenilibus animis procurandam. Ipsa memoriam sui reliquit tamquam mulieris singularis exempli, in eamque aptissime cadunt tum sententia Proverbiorum, tum verba Episcopi supra relata : nam Benedicta mulier fortis exstitit quae tota vita sua numquam non meruit laudes mulieri forti tributas ; quae laudes semper pertinent

ad mulieres quae se ipsas perficere conantur per generosam illam proximorum sollicitudinem suique deditionis, in quibus posita est plena feminei ingenii perfectio : haec enim postulat, ut mulieres vel naturales vel spirituales matres exsistant. Heredes charismatis et pietatis formae suae Fundatricis, bina Instituta, Ronchi et Iriae condita, laudabili sane studio annituntur, ut pretiosa haec sibi tradita bona decursu temporis integra serventur et latius usque progrediantur unde maximus eveniat Dei Ecclesiae proventus. In praesens, Sorores, quae inter filias Benedictae recensentur, operam suam praestant in variis terrarum orbis partibus : scilicet in Italia, in Hispania, in Africa et in America Latina. Processus de beatificatione Benedictae Cambiagio Frassinello initium ceperunt anno 1926, fautore Exc.mo Ioseph Ballerini, Episcopo Ticinensi. Anno 1927, die 21 Martii, Em.mus Cardinalis Carolus Dalmatius Minoretti, Archiepiscopus Genuensis, Decretum subsignavit, quo inchoatus est processus ordinarius apud Curiam Archiepiscopalem Genuensem (1927-1932). Cui processui alii quattuor Processus Rogationales accesserunt, nempe in Dioecesibus Novariensi, Derthonensi, Ticinensi et Mediolanensi, annis 1927-1929. Anno 1934 Sacra id temporis Rituum Congregatio, postquam a tribunali Genuensi transumptum processus acceperat, Decretum emisit, quo facultas data est processum apostolicum instituendi. Item Genuae anno 1935 celebratus est processus « Super non cultu », qui confirmatus est ab Em.mo Cardinali Iosepho Siri anno 1973. Anno autem 1940 Sacra Congregatio Rituum Decretum edidit super scriptis. Die 25 Februarii anno 1956 Sectio Historica eiusdem Congregationis iussa est peragere investigationem et recognitionem documentorum ad parandam *Positionem Historicam,* quae, typis edita anno 1979, a Consultoribus Historicis die 29 Aprilis anno 1980 est excussa et omnino probata. Eadem insequenti anno, die 10 Aprilis, approbata est a Congregatione Ordinaria, et die 4 Maii eiusdem anni emissum est Decretum de Introductione Causae Beatificationis. Die 23 Aprilis anno 1985 Causa habuit votum favorabile Theologorum Consultorum. Die tandem 4 Iunii eodem anno item favorabile votum dederunt Em.mi Cardinales, et die 6 Iulii Nos ipsi vero mandavimus, ut Decretum de Heroicitate Virtutum rite appararetur. Statim post agnitas Virtutes Heroicas, resumptum est studium de miraculo, quod iam initum erat : de mira scilicet sanatione Carolae Garlaschelli, quae accidit in pago vulgo appellato *Albuzzano,* sito in territorio Ticinensi, anno 1926. Processus tredecim sessionibus absolutus est, a die 5 Octobris anno 1985 ad diem

4 Novembris eiusdem anni, in urbe Ticinensi. Congregatio validitatem confirmavit die 17 Ianuarii 1986. Coadunatum deinde est die 10 Iulii eodem anno Consilium Medicorum Congregationis pro Causis Sanctorum, quod sententiam protulit favorabilem, asserendo talem sanationem plenam atque perseverantem, scientiae ope explicari non posse. Agebatur enim de meningoencephalitide tyfosa, de eaque prognosis infausta quoad vitam a medicis lata. Post haec, tum in Congressu Consultorum Theologorum habito die 7 Novembris 1986, tum in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum die 23 Decembris eiusdem anni coadunata, responsum datum est agi de sanatione divinitus patrata per intercessionem Venerabilis Benedictae Cambiagio Frassinello. Nos autem Nostra auctoritate ratam habuimus hanc sententiam atque Decreto consignato die 3 mensis Ianuarii annon 1987 declaravimus sanationem puellae Carolae Garlaschelli a meningoencephalitide typhosa prodigiose factam esse, atque precibus Benedictae Cambiagio Frassinello esse tribuendam. Post haec omnia, est statuta dies ad celebrandam sollemnem beatificationem. Hodie vero, in area ante Petrianam Basilicam patente, hanc sumus inter sacra formulam elocuti: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Caroli Mariae Martini, Archiepiscopi Mediolanensis, Aloisii Gonzaga Langevin, Episcopi Sancti Hyacinthi, Ioannis Badré, Episcopi Baiocensis-Lexoviensis, Iosephi Siri, Archiepiscopi Ianuensis-Bobiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Andreas Carolus Ferrari, Ludovicus Zephirinus Moreau, Petrus Franciscus Jamet et Benedicta Cambiagio Frassinello, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Andreae Caroli Ferrari die secunda Februarii; Ludovici Zephirini Moreau die vicesima quarta Maii; Petri Francisci Jamet die decima secunda Ianuarii; Benedictae Cambiagio Frassinello die vicesima prima Martii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit ». Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Maii, anno **MCMLXXXVII**, Pontificatus Nostri nono.

9 **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI,** *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco Sigilli

In Secret. Status tab., n. 199.882.

HOMILIAE

I

In Vaticana basilica habita ob decretos Ven. Servis Dei fratri Arnaldo, Udalricae Nisch et Blandinae Merten, Beatorum caelitum honores.*

1. ((Abbiamo impresso il sigillo dei nostro Dio sulla fronte dei suoi servi »-[1]

Nella solennità di Tutti i Santi la liturgia ci parla con l'immagine dell'Apocalisse. Ecco, l'angelo che possiede il sigillo di Dio vivente. Ed ecco, una grande folla « di ogni nazione, razza, popolo e lingua », che sta in piedi « davanti al trono e davanti all'Agnello ».[2]

Tutti costoro sono uniti ai cori degli angeli nell'inno di gloria e di ringraziamento. Figli e figlie di tutte le nazioni, generazioni, popoli e lingue annunciano la gioia della salvezza, che hanno trovato per sempre in Dio per opera dell'Agnello.

Infatti, tutti costoro ((sono passati attraverso la grande tribolazione)).[3] E tutti « hanno lavato le loro vesti, rendendole candide col sangue dell'Agnello ».[4]

Oggi il libro dell'Apocalisse ci fa rileggere la verità della loro intera via terrestre : la verità che brilla sulla fronte dei servi di Dio come sigillo dell'eterna salvezza.

Il sigillo della santità !

2. Soltanto Dio può imprimere il sigillo della santità nel cuore dell'uomo. La liturgia della solennità odierna unisce la visione di questo sigillo dell'Apocalisse al Vangelo delle Otto Beatitudini. Ciò che ha il suo definitivo compimento in Dio, tre volte Santo, scende fino alla dimensione della vita umana sulla terra. Diventa la via, su cui Dio stesso è passato come vero uomo.

Diventa la via dei poveri di spirito ... la via degli umili, la via di coloro che sono tristi — di coloro che hanno sete della giustizia — di coloro che sono misericordiosi, puri di cuore, operatori di pace — la via di coloro che soffrono persecuzioni per la giustizia.

* Die 1 m. Novembris a. 1987.

[1] *Ap* 7,2.

[2] *Ibid.* 7, 9.

[3] *Ibid.* 7, 14.

[4] *Ibid.*

È la via, sulla quale Dio stesso è passato come vero uomo. La via su cui è passato il Cristo.

E passando su di essa ha impresso sulla vita umana il sigillo delle Otto Beatitudini. Questo è il sigillo della santità.

3. La Chiesa guarda oggi con adorazione verso Dio, tre volte Santo.

Allo stesso tempo rende grazie per tutti quei suoi figli e figlie, che sono stati segnati dal sigillo delle Otto Beatitudini — il sigillo della Santità che Cristo ha posto accanto a tante vie della vita umana in terra. « Venite a me, voi tutti, che siete affaticati ed oppressi, e io vi ristorerò ».[5]

Che cosa potrebbe esserci di più grande ristoro per la Chiesa, già qui in terra, del riconoscere i frutti della santità negli uomini? Nei suoi figli e figlie che seguono Cristo sulla via delle Otto Beatitudini?

4. Parmi ces disciples du Christ, marqués du sceau de la sainteté, aujourd'hui j'ai la joie de déclarer bienheureux le Frère Arnould, lui" qui se laissait saisir par « le Saint Esprit sanctificateur, unificateur », lui qui disait: « C'est dans le Cœur de Notre-Seigneur qu'il faut aller chercher sur la terre le Saint-Esprit surtout ».

La sainteté s'est formée en lui dans une vie pauvre, dans le travail assumé très jeune pour aider sa famille : jusqu'à son âge adulte, le futur Frère des Ecoles Chrétiennes répond pleinement à sa vocation de chrétien : il poursuit sa formation malgré les obstacles. Il vit intensément sa foi et il sait s'en faire un témoin convaincant, autour de lui. Pauvre, acceptant l'épreuve, il est heureux d'avancer d'un pas ferme vers le Royaume de Dieu.

Avec simplicité, Jules Rèche entre dans la condition de religieux laïc. Devenu Frère Arnould, il épanouit ses qualités naturelles d'éducateur : d'un jugement sûr, il se révèle un exemple d'équilibre : il invite ses élèves à développer leurs connaissances en même temps que de bonnes relations humaines et une vie spirituelle exigeante. Son influence est due autant à sa conscience professionnelle qu'à son dévouement généreux et à la profondeur de sa foi.

Sa manière d'être un « cœur pur » à qui il est donné de ((voir Dieu », c'est une ascèse austère, c'est une vie de prière qui a impressionné ses frères, c'est l'offrande de lui-même en union à la Passion du Christ, c'est sa familiarité avec la Parole de Dieu qui le nourrit, c'est

[5] *Mt* 11, 28.

le bonheur de servir Dieu, c'est l'action de grâce, qu'il appelait une <(vraie prière d'amour ». Selon le témoignage d'un retraitant, « son calme, sa prudence, sa lumière, son silence », Frère Arnould les puisait dans la présence constante du Saint-Esprit en lui. Nous l'invoquons afin que le maître spirituel qu'il fut au siècle dernier soutienne aujourd'hui ses Frères dans leur vie consacrée à l'éducation sous toutes ses formes. Et nous lui demandons d'aider les jeunes à devenir des chrétiens adultes, heureux de se reconnaître les fils de Dieu, en recherchant, selon l'esprit des Béatitudes, la justice et la paix.

5. Auch Schwester Ulrika Nisch aus der Ordensgemeinschaft der Kreuzschwestern von Ingenbohl gehört zu jener »großen Schar aus allen Nationen und Stämmen, Völkern und Sprachen«, die »in weißen Gewändern« vor Gottes Thron stehen. Auch sie kommt »aus der großen Bedrängnis« eines harten und geprüften Lebens, in dem ihre Liebe und Treue zu Christus in einem überragenden Maße aufgeleuchtet sind. Darum trägt sie nun »das Siegel des lebendigen Gottes« auf ihrer Stirn und darf der Gemeinschaft aller Seligen Gottes zugezählt werden.[6]

Wir dürfen Schwester Ulrika Nisch seligsprechen, weil sich an ihr in den einunddreißig Jahren ihres irdischen Weges die Bedingungen der Seligpreisungen des Evangeliums erfüllt haben. Wer ihr Leben kennt, weiß von der großen Armut ihrer Kindheit, ihres Dienens an letzter Stelle, von den Prüfungen ihres kränklichen Leibes und einer zeitweiligen Dunkelheit im Beten. Diese harten Erfahrungen führten Schwester Ulrika zu jener Lauterkeit des Herzen, die in den kleinsten Dingen die gütige Vaterhand Gottes zu erblicken vermag und von ihm jede Stunde des Lebens in kindlicher Dankbarkeit entgegennimmt. Sie war wirklich »arm vor Gott«.[7]

So fand die Liebe Gottes keinen Widerstand in ihrem Denken, Fühlen und Wollen : Sie hatte ein »reines Herz«, dem es schon zu Lebzeiten gegeben war, »Gott zu schauen« in mystischer Vereinigung.[8] Ihre Arbeit und ihre Nachtruhe begleitete ein fortwährendes Gebet; »alles ist ihr zum Gebet geworden«, bezeugt ein Beobachter voller Staunen.

Ganz von Gott erfüllt, wurde Ulrika Nisch immer mehr ein Gefäß

[6] Vgl. *Offb* 7.

[7] Vgl. *Mt* 5, 3.

[8] Vgl. *Mt* 5, 8.

seiner Liebe, die all ihr äußeres Wirken durchdrang und die einfachsten Dienste für die Menschen ihrer Umgebung zu einer Kostbarkeit machten. In ihrer Gegenwart fühlten sich die Menschen »wie im Paradies«. Fürwahr: Sie ist selig, weil sie »keine Gewalt angewandt«, sondern allein der Macht einer »Liebe ohne Haß« vertraut hat.[9]

So konnte Schwester Ulrika barmherzig sein, ohne zu verletzen; sie konnte geben, ohne zurückzufordern; sie konnte reich machen, obwohl sie selbst arm war,[10] Durch Schwester Ulrika bekam ich eine neue Seele«, bekennt eine Frau mit einem harten Lebensschicksal, die sich an der Seite der Ordensschwester wieder für Gott und die Menschen öffnen konnte.

Gerade diejenigen, die bei unserer neuen Seligen wahre, selbstlose Liebe gefunden haben, sind die ersten gewesen, die dieses äußerlich unscheinbare Leben für wertvoll und groß angesehen haben. Sie haben erkannt, daß hier die Bedingungen der Seligpreisungen Jesu erfüllt waren. Der Herr selbst hat Schwester Ulrika Msch das Siegel einer Seligen Gottes aufgeprägt.

6. An die Seite der seligen Schwester Ulrika Msch stellt die Kirche heute noch eine weitere Ordensfrau, die selige Schwester Blandine Merten aus der Kongregation der Ursulinen in Ahrweiler-Calvarienberg. Die beiden neuen Seligen verbindet ihre gemeinsame Berufung auf dem sogenannten »kleinen Weg« zur christlichen Vollkommenheit.

»Der liebende Gott braucht nicht hohe außergewöhnliche Werke; er will nur Liebe«. Dieser Ausspruch von Schwester Blandine bietet uns den Schlüssel zum Geheimnis ihres heiligmäßigen Lebens. Was immer ihr als Schülerin, Lehrerin oder als Ordensfrau aufgetragen wurde, verrichtete sie mit ganzer Hingabe und Gewissenhaftigkeit. Tiefster Beweggrund dafür war ihre Liebe zu Gott und zu den Menschen. Ihre Frömmigkeit und Bescheidenheit, ihre Sanftmut und ihre Reinheit ließen sie ihren Mitmenschen von früher Kindheit an als »Engel« erscheinen.

Schon von ihrem Elternhaus her von tiefer Religiosität geprägt, stellte Schwester Blandine die hl. Eucharistie, das Wort Gottes und das Gebet immer mehr in die Mitte ihres Lebens. Die treue Erfüllung ihrer Berufspflichten als Lehrerin verband sie mit einem unermüdlichen Streben nach persönlicher Heiligkeit. Dieses führte sie dazu,

[9] Vgl. *Mt* 5, 5.

[10] Vgl. *Mt* 5, 7.

ihren Dienst für Gott und für die Menschen durch ein gottgeweihtes Leben im Kloster auf noch vollkommenere Weise verwirklichen zu wollen. Durch ihren Eintritt in die apostolisch tätige Ordensgemeinschaft der Ursulinen glaubte unsere neue Selige der Jugend am besten bei ihrer gottgewollten Entfaltung helfen und sie zu einem Leben aus christlichem Geist anleiten zu können. Diesem Apostolat widmete sie sich auch als Ordensfrau mit dem ganzen Einsatz ihrer Kräfte. Sie selbst liebte es, dabei unbeachtet zu bleiben, wurde jedoch für alle zum Vorbild. In ihrem selbstlosen Dienst für den Nächsten vollzog Schwester Blandine zugleich ihre Hingabe an Gott, dem sie sich bei ihrer ewigen Profeß als Opfer angeboten hatte. Gott hat ihr mutiges Lebensopfer angenommen und sie schon nach elfjährigem Ordensleben durch ergeben ertragenes Leiden im Alter von nur fünfunddreißig Jahren zur Vollendung geführt.

Schwester Blandine hat in ihrem Leben nichts Außergewöhnliches getan ; aber ihre alltäglichen Aufgaben und Pflichten hat sie auf außergewöhnliche Weise erfüllt. Nach ihrem Tod sind ihr heiligmäßiges Leben und Wirken immer heller aufgeleuchtet, so daß die Kirche sie heute den Menschen als Selige feierlich zur Nachahmung vor Augen stellen kann : den Lehrerinnen und Lehrern, den Erziehern, den Ordensfrauen sowie allen Gläubigen, die in täglicher treuer Pflichterfüllung und tätiger Nächstenliebe still und verborgen Christus nachfolgen und so zur christlichen Vollkommenheit streben.

Die beiden neuen Seligen, Schwester Ulrika Nisch und Schwester Blandine Merten, die die Kirche am heutigen Fest feierlich als Glieder jener unzähligen Schar aller Heiligen anerkennt, seien für uns fortan Fürsprecherinnen und Ermutigung, daß auch wir zur Herrlichkeit der Kinder Gottes gelangen.

7. « Del Signore è la terra e quanto contiene, / l'universo e i suoi abitanti

La Solennità di Tutti i Santi riconferma e mette in evidenza in modo particolare la verità delle parole del Salmista.

Sì ! Dio-Creatore dell'universo ha dato all'uomo la terra e il mondo visibile. L'uomo è diventato padrone del creato — e non cessa di esserlo.

Contemporaneamente la stessa terra, questo mondo visibile, è uno

" *Sal* 23 [24] 1.

spazio, in cui si rivela all'uomo la santità come traguardo della vita e senso ultimo della vita in terra.

11 Salmista si chiede :

« Chi salirà il monte del Signore, / chi starà nel suo luogo santo?[12]

La Chiesa gioisce oggi della gloria di Tutti i Santi.

Gioisce della elevazione dei nuovi beati.

Infatti nient'altro, più della santità dei figli e delle figlie degli uomini, rivela quel « sigillo del Dio vivente »,[13] impresso sul volto del creato.

Davvero ! « Del Signore è la terra e quanto contiene » !

Davvero !

Amen !

II

In Petriana basilica habita, ob decretos Ven. Servo Dei Georgio Haydock et Venerabilibus LXXPV" e Magna Britania clericis laicisque Beatorum caelitum honores.*

1. ((Tu sei il re ...?

Tu lo dici : io sono re. Per questo sono nato e per questo sono venuto nel mondo : per rendere testimonianza alla verità

Nell'ultima domenica dell'anno liturgico leggiamo questo dialogo di Cristo con Pilato. Infatti celebriamo oggi la solennità di Cristo Re.

In questo giorno ci è dato pure di compiere il rito della beatificazione di Giorgio Haydock e di 84 martiri inglesi.

Martire è colui che, a somiglianza di Cristo, rende testimonianza alla verità. Più ancora : rende testimonianza alla stessa Verità che è Cristo.

Davanti a Pilato Cristo disse : « Chiunque è dalla verità, ascolta la mia voce ».[2]

Ecco stanno davanti a noi degli uomini, dei quali si può dire veramente che sono stati « dalla verità ». Uomini che « hanno ascoltato la voce » di Cristo : primo ed eterno Testimone della Verità.

[12] *Sai* 23 [24] 3.
" *Ap* 7, 2.

• Die 22 m. Novembris a. 1987.
[1] *Gv* 18, 33. 37.
[2] *Ibid* 18, 37.

2. I martiri inglesi, che stanno oggi al cospetto della Chiesa, hanno confermato la loro testimonianza alla Verità col sacrificio della vita.

Hanno creduto sino alla fine nella Croce di Cristo.

Hanno creduto contemporaneamente nella potenza della sua Risurrezione.

«Tutti riceveranno la vita in Cristo» ... dal quale «verrà... la risurrezione dei morti ».[3]

Quadraginta annis suae Conditoris vitae, Servus Dei Operi suo totum se dedidit, spiritum ostendens alacrem et aptum ad ordinandum, sed semper aequabiliter et cum prudentia se gerens, uti verus rector et spiritalis fautor. Vir fidei multae, vehementis pietatis, ex intima sua cum Deo coniunctione et congruentia cum amore Chrisi lumen hauriebat et vim. In omnibus rebus nihil aliud quaerebat, quam Deum, amorem eius, voluntatem eius, gloriam eius. Dici potest

illum vere ex dicto vixisse quod Operi suo proposuit : « Soli Deo gloria sit in Iesu Christo. Per Mariam et per Sanctum Ioseph ». Verba equidem <(solus Deus », quae persaepe iterare auditus est, praeceptum ei fuerunt quo est tota eius vita excitata, praesertim in durioribus laboribus rebusque adversis : calumniis, falsis interpretationibus, disiunctionibus, morbis. In hoc positum erat eius robur, eius amoris impetus, causa eius constantis serenitatis, plena Providentiae fiducia.

Dei Famulus suam aluit fidem studio et contemplatione verbi Dei, (juod frequenter meditabatur quodque in suis institutionibus illustrare delectabatur ; eandemque ferventi pietate erga Eucharistiam, vitae suae suarumque adorationum centrum ; et insuper sua filii religione erga Deiparam Virginem. Gratus in eam ob multas acceptas gratias per eius preces, eidem sanctuarium consecravit, nomine notatum Domina Nostra Omnium Gratiarum, in insula appellata *Solitude de Martillac* (Garumnae in Gallia). Post id tempus locus est peregrinationum et pietatis Marialis, qui cum proposito congruit Servi Dei, cuius erat consilium, cum illud aedificaret, ut B. Maria Virgo cognosceretur, amaretur et coleretur.

Magnum suum amorem in Ecclesiam significabat adiunctione Summi Pontificis, Episcoporum, humili oboedientia vel minimis eorum praescriptionibus consiliisve.

Corde amantissimus, generosus et tener, idem Servus Dei, inde a conversione sua, Deo adhaesit vi et lenitudine caritatis suae. Qua caritate motus omnino se seunxit a se, ab omni re, quae Deus non esset, et constanter ei coniunctus fuit totusque deditus. Hinc notabilis fuit eius in proximum caritas, delicata, sedula, signum magnae bonitatis. Se ostendebat humanum, indulgentem, semper paratum ad excusandum, ad ignoscendum. Accessu facilis, omnia omnibus se faciebat, adeo ut vulgo appellaretur « Pater bonus ».

Humilis et prudens, comitatem cum fortitudine temperabat, cum violata iura erant tuenda, cum ad virtutem appellandum, sed numquam de bonitate sui propria decedens.

Paupertas una virtutum erat, quas potiores habebat. Parvulos et pauperes praecipue diligebat; quibus dispertiebat paulum illud quod accipiebat, rebus necessariis contentus. Eius vita simplex, pauper, Sui ipsius et rerum terrestrium omnino neglegens, facile de caelo cogitabat, quod anima eius expetebat, firma spe fulta et magna fiducia, castigata exemplo omnibus erat.

Fama sanctitatis qua Petrus Benvenutus Noailles vivus afficiebatur, post eius mortem perduravit. Temporum tamen adiuncta impedierunt usque ad annum 1926, quominus Processus dioecesanus instrueretur. Servatis de iure servandis, Causa est apud Apostolicam Sedem introducta die 23 mensis Iunii, anno 1944. Processus Apostolicus actus est annis 1947-1948, eiusque auctoritas die 12 mensis Septembris anno 1950 agnita est.

Collectis deinde documentis scriptis vitam, virtutes et actuositatem Servi Dei spectantibus, est tandem ad virtutum Servi Dei disceptationem perventum. Et primum quidem, die 10 mensis Novembris anno 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; deinde, die 2 mensis Februarii anni huius 1988, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Eduardo Gagnon. In utroque autem Coetu, proposito dubio num Servus Dei Petrus Benvenutus Noailles virtutes coluisset heroum modo, omnes alarmantes responderunt.

De hisce omnibus rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum appararetur.

Quod cum factum est, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto et Causae Ponente, meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis Servi Dei Petri Benventuti Noailles, sacerdotis, fundatoris Instituti Sororum a S. Familia, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 8 Februarii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. & S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Venerdì, 27 Maggio 1988, S. E. il Signor **RICHARD VON WEIZSÄKER**, Presidente della Repubblica Federale di Germania.

Venerdì, 3 Giugno 1988, S. E. il Dottor **VIRGILIO BARCO**, Presidente della Colombia.

Da Sabato 7 a Giovedì 19 Maggio 1988, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Uruguay, Bolivia, Perù, Paraguay.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 maggio 1988. S. E. mons. Pier Luigi Celata, Arcivescovo tit. di Doclea, Nunzio Apostolico a Malta, *Nunzio Apostolico nella Repubblica di San Marino.*

23 » » S. E. mons. Edward Cassidy, Arcivescovo tit. di Amanzia, *Sostituto della Segreteria di Stato.*

» » » S. E. mons. Angelo Sodano, Arcivescovo tit. di Nova di Cesare, *Segretario del Consiglio per gli Affari Pubblici della Chiesa.*

26 » » P. José Saraiva Martins, C. M. F., elevato alla sede titolare arcivescovile di Tuburnica, *Segretario della Congregazione per l'Educazione Cattolica.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

14 aprile 1988. Il sig. Virgil C. Dechant, *Consultore onorario dello Stato della Città del Vaticano.*

19 aprile 1988. L'E.mo Signor Cardinale Paul Poupard *Presidente del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per la Cultura.*

» » » L'E.mo Signor Cardinale Eugenio de Araujo Sales, *Membro del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per la Cultura « in aliud quinquennium ».*

19 aprile 1988. L'E.mo Signor Cardinale Hyacinthe Thiandoum, Arcivescovo di Dakar, *Membro del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per la Cultura.*

» » » L'E.mo Signor Cardinale Paul Poupard, *Presidente del Comitato Esecutivo del Pontificio Consiglio per la Cultura « in aliud quinquennium ».*

» » » P. Hervé Carrier, S.I., *Segretario del Comitato Esecutivo del Pontificio Consiglio per la Cultura « in aliud quinquennium ».*

23 » » L'E.mo Signor Cardinale Kosalio José Castillo Lara, *Membro della Congregazione per i Vescovi.*

» » » S. E. mons. Justin Francis Rigali, Arcivescovo tit. di Bolsena, *Membro Vescovo soprannumerario della Congregazione per i Vescovi.*

» » » Gli E.mi Signori Cardinali Franjo Kuharió, Carlo Maria Martini, Jean Marie Lustiger, Giuseppe Caprio, *Membri della Congregazione per i Vescovi « in aliud quinquennium ».*

28 » » Gli E.mi Signori Cardinali Joseph Ratzinger, José Lebrum Moratinos, Godfried Danneels, Carlo Maria Martini, Joachim Meisner, *Membri della Congregazione per V Educazione Cattolica « in aliud quinquennium ».*

2 maggio » P. Pierre Duprey, P. A., *Segretario del Segretariato per l'Unione dei Cristiani «in aliud quinquennium)).*

NECROLOGIO

4 maggio 1988. Mons. Bernard Alix, Vescovo emerito di Le Mans.

9 » » Mons. Georg Moser, Vescovo di Rottenburg-Stuttgart *(Germania Occidentale).*

23 » » Mons. Alfonso M. Ungarelli, Vescovo tit. di Azura.

» » » Mons. Mario Di Lieto, Vescovo emerito di Cerignola-Ascoli Satriano *(Italia).*

Recens nuntiatum est Petrum Raimondi episcopum emeritum Crotonensem, die 27 Iulii 1987 de vita decessisse.

An. et vol. LXXX 28 Iunii 1988 N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA DE ROMANA CURIA

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. **PASTOR BONUS** Dominus Christus Iesus (cf. *Io* 10, 11. 14) missionem discipulos faciendi in omnibus gentibus atque praedicandi Evangelium omni creaturae Apostolorum successoribus Episcopis, et singulari ratione Romano Episcopo, Petri successori, ita contulit, ut Ecclesia, Dei Populus, constitueretur atque eiusmodi Populi sui Pastorum munus esset revera servitium, quod « in Sacris Litteris *"diaconia"* seu ministerium significanter nuncupatur ».[1]

Hoc servitium seu *diaconia* eo praesertim tendit, ut in universo ecclesiali corpore *communio magis magisque instauretur,* vigeat atque perpulchros fructus edere pergat. Etenim, sicut Concilium Vaticanum II luculenter docuit, Ecclesiae mysterium per multiplices huiusmodi communionis rationes significatur, Spiritus Sancti suavissimo instinctu: etenim Spi-

[1] Conc. Oec. Vat. II Const. dogm. *Lumen gentium,* 24.

ritus « Ecclesiam, quam in omnem veritatem inducit (cf. *Io* 16, 13) et in communione et ministratione unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit ac dirigit... eamque perpetuo renovat et ad consummatam cum Sponso suo unionem perducit ».[2] Quam ob rem, ut idem Concilium asseverat, « illi plene Ecclesiae societati incorporantur, qui Spiritum Christi habentes, integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta accipiunt, et in eiusdem compage visibili cum Christo, eam per Summum Pontificem atque Episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe professionis fidei, sacramentorum et ecclesiastici regiminis ac communionis ».[3]

Cuiusmodi communionis notionem non modo Concilii Vaticani II documenta in universum edisseruerunt, ac praesertim Constitutio dogmatica de Ecclesia, sed ad illam animum intenderunt etiam Synodi Patres, qui anno **MCMLXXXV**, itemque duos post annos Generales Synodi Episcoporum Coetus celebraverunt: quam in Ecclesiae definitionem coeunt sive ipsum Ecclesiae Mysterium,[4] sive messianici Populi Dei ordines,[5] sive hierarchica ipsius Ecclesiae constitutio.[6] Quae omnia ut una comprehensione describamus, verba sumentes ex eadem memorata Constitutione, Ecclesia est « in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[7] Quam ob rem, huiusmodi sacra communio in tota Christi Ecclesia viget, « quae — ut perbelle scripsit Paulus VI, Decessor noster — vivit et agit in variis communitatibus christianis, Ecclesiis scilicet particularibus, per omnem terrarum orbem dispersis ».[8]

2. Habita igitur ratione huius communionis, universam Ecclesiam veluti conglutinantis, etiam hierarchica eiusdem Ecclesiae constitutio explicatur atque ad effectum deducitur: quae *collegiali simul ac primatiali* natura ab ipso Domino

[2] *Ibid.,* 4.
[3] *Ibid.,* 14.
[4] *Ibid.,* cap. I.
[5] *Ibid.,* cap. II.
[6] *Ibid.,* cap. III.
[7] *Ibid.,* 1.
[8] Const. Ap. *Vicariae potestatis,* vi Ian. MCMLXXVII: *AAS* 69 (1977), p. 6; cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 15.

praedita est, cum « Apostolos ad modum collegii seu coetus stabilis instituit, cui ex iisdem electum Petrum praefecit ».[9] Hic praesertim agitur de speciali illa ratione, qua Ecclesiae Pastores triplex Christi munus participant, docendi scilicet, sanctificandi atque gubernandi: et sicut Apostoli id una cum Petro egerunt, ita haud dissimili modo id Episcopi agunt simul cum Romano Episcopo. Ut Concilii Vaticani II verbis denuo utamur, « Episcopi igitur communitatis ministerium cum adiutoribus presbyteris et diaconis susceperunt, loco Dei praesidentes gregi, cuius sunt Pastores, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri. Sicut autem permanet munus a Domino singulariter Petro, primo Apostolorum, concessum et successoribus eius transmittendum, ita permanet munus Apostolorum pascendi Ecclesiam, ab ordine sacrato Episcoporum iugiter exercendum ».[10] Itaque fit ut « Collegium hoc » — Episcoporum dicimus cum Romano Pontifice coniunctorum — « quatenus ex multis compositum, varietatem et universalitatem Populi Dei, quatenus vero sub uno capite collectum, unitatem gregis Christi » exprimat.[11]

Episcoporum autem potestas atque auctoritas *diaconiae* notam prae se fert, ad ipsius Iesu Christi exemplum accommodatam, qui « non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » *(Mc* 10, 45). Potestas ergo, quae in Ecclesia datur, potissimum secundum serviendi normam et intellegenda et exercenda est, ita ut huiusmodi auctoritas pastorali nota in primis polleat.

Id vero ad singulos Episcopos in propria cuiusque particulari Ecclesia spectat; attamen tanto magis ad Romanum Episcopum pertinet, cuius ministerium Petrianum in universalis Ecclesiae bonum utilitatemque procurandam incumbit: Romana enim Ecclesia praesidet « universo caritatis coetui »,[12] ideoque caritati inservit. Ex hoc potissimum principio processerunt vetusta illa verba « Servus Servorum Dei », quibus Petri Successor denominatur atque definitur.

[9] Const. dogm. *Lumen gentium,* 19.

[10] *Ibid.,* 20.

[11] *Ibid.,* 22.

[12] S. Ignatii Ant., *Epist, ad Romanos,* inscriptio: *Patres Apostolici,* ed; Funk, Tubingae 1901[2], I, 252.

Quam ob causam, Eomanus Pontifex Ecclesiarum etiam particularium negotia, ab Episcopis ad se delata aut utcumque cognita, diligenter perpendere curavit, ut, pleniore rerum experientia exinde adepta, vi muneris sui, Vicarii scilicet Christi totiusque Ecclesiae Pastoris, fratres suos in fide confirmaret (cf. *Lc* 22, 32). Id enim persuasum sibi habebat mutuam inter Episcopos in universo orbe constitutos et Romanum Episcopum communionem, in vinculo unitatis, caritatis et pacis, maximum afferre emolumentum unitati fidei necnon disciplinae in cuncta Ecclesia promovendae atque tuendae.[13]

3. Quibus praemissis, sic intellegitur *diaconia,* quae Petri eiusque successorum propria est, ut necessario referatur ad aliorum apostolorum, eorumque successorum, diaconiam, quae ad aedificandam Ecclesiam in hoc mundo unice intendit.

Haec necessaria ministerii Petriani ratio ac necessitudo cum ceterorum apostolorum munere ac ministerio quoddam signum iam antiquitus postulavit, atque postulare debet, quod non modo ad instar symboli, sed etiam in rerum veritate exstaret. Hanc quidem necessitatem Decessores Nostri, apostolici laboris gravitate perculsi, dilucide impenseque senserunt, sicuti, exempli gratia, Innocentii III verba testantur, qui anno MCXCVIII ad Galliae Episcopos praelatosque haec scripsit, cum ad ipsos suum quendam Legatum mitteret : « Licet commissa nobis a Domino potestatis ecclesiastice plenitudo universis Christi fidelibus nos constituerit debitores, statum tamen et ordinem conditionis humane non possumus ampliare ... Quia vero lex humane conditionis non patitur nec possumus in persona propria gerere sollicitudines universas, interdum per fratres nostros, qui sunt membra corporis nostri, ea cogimur exercere, que, si commoditas ecclesie sustineret, personaliter libentius impleremus ».[14]

Inde quidem perspiciuntur atque intelleguntur sive natura illius instituti, quo Petri successor usus est in sua exercenda missione in universalis Ecclesiae bonum, sive agendi ratio, qua ipsum institutum commissa munera ad effectum deduceret oportuit: Romanam Curiam dicimus, quae in ministerii

[13] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 22, 23, 25.

[14] *Die Register Innocents' III.,* I, Graz-Köln 1964, pp. 515 s.

Petriani adiutorium ab antiquis temporibus adlaborat praestandum.

Nam ut illa, quam diximus, frugifera communio firmior exstaret atque uberius usque proficeret, Romana Curia ad id exorta est, ut scilicet efficacius redderetur muneris exercitium Pastoris Ecclesiae, quod Petro eiusque successoribus ab ipso Christo traditum est, quodque in dies crevit ac dilatatum est. Enimvero Decessor Noster Xystus V in Constitutione apostolica « Immensa aeterni Dei » fatebatur : « Romanus Pontifex, quem Christus Dominus Corporis sui, quod est Ecclesia, visibile caput constituit omniumque Ecclesiarum sollicitudinem gerere voluit, multos sibi tam immensi oneris adiutores advocat atque adsciscit... ut partita inter eos *(sc.* Cardinales) aliosque Romanae Curiae magistratus ingenti curarum negotiorumque mole, ipse tantae potestatis clavum tenens, divina gratia adiutrice, non succumbat ».[15]

4. Revera, ut iam quaedam historiae lineamenta proponamus, Romani Pontifices, iam inde a remotissimis temporibus, in suo ministerio ad universae Ecclesiae bonum procurandum sive singulos viros sive instituta adhibuerunt, qui ex *Romana Ecclesia* deligebantur, siquidem eadem *Ecclesia Beati Petri apostoli* a Decessore Nostro Gregorio Magno nuncupata est[16]

Primum enim presbyterorum diaconorumve, ad eandem Ecclesiam pertinentium, opera usi sunt, qui vel legati munere fungerentur, vel pluribus missionibus interessent, vel Romanorum Pontificum partes in Oecumenicis Conciliis agerent.

Cum autem peculiaris momenti res tractandae erant, Romani Pontifices in auxilium vocaverunt Synodos vel Concilia Romana, ad quae Episcopi, in ecclesiastica provincia Romana suo munere fungentes, arcessebantur; haec vero non modo quaestiones ad doctrinam et magisterium spectantes agebant, sed etiam ad tribunalium instar procedebant, in quibus Episcoporum causae, ad Romanum Pontificem delatae, iudicabantur.

[15] ***Prooemium,*** **par. 1.**
[16] ***Reg.*** **XIII, 42, II, p. 405, 12.**

Ex quo autem tempore Cardinales speciale momentum in Romana Ecclesia adsumere coeperunt, praesertim in Papae electione, quae inde ab anno MLIX ipsis reservata est, iidem Romani Pontifices Patrum Cardinalium collata opera magis magisque usi sunt, ita ut Romanae Synodi vel Concilii munus gradatim deminueretur, donec reapse cessaret.

Quare evenit ut, praesertim post saeculum XIII, Summus Pontifex omnia Ecclesiae negotia una cum Cardinalibus, in Consistorium coadunatis, ageret. Ita factum est, ut instrumentis non stabilibus, videlicet Conciliis seu Romanis Synodis, stabile aliud succederet, quod Romano Pontifici semper praesto esset.

Decessor Noster Xystus V, per iam commemoratam Constitutionem Apostolicam « Immensa aeterni Dei », die XXII mensis Ianuarii anno MDLXXXVIII — qui fuit MDLXXXVII ab Incarnatione D.N.I.C. — Romanae Curiae compagem eius formalem dedit. Seriem XV Dicasteriorum instituendo, eo consilio ut uni Cardinalium Collegio plura subrogarentur collegia, e quibusdam Cardinalibus exstantia, quorum tamen auctoritas ad definitum quendam campum certamque materiem restringeretur; quam ob rem Summi Pontifices huiusmodi collegialium consiliorum viribus maxime frui poterant. Consistorii ideo nativum munus propriumque momentum valde deminuta sunt.

Volventibus tamen saeculis ac rationibus historicis rerumque condicionibus mutantibus, temperamenta quaedam atque immutationes accesserunt, praesertim cum saeculo XIX Cardinalium Commissiones institutae sunt, quarum esset Summo Pontifici adiutricem operam praeter alia Romanae Curiae Dicasteria conferre. Denique, opera et iussu S. Pii X, Decessoris Nostri, edita est Constitutio apostolica « Sapienti consilio », die XXIX mensis Iunii anno MCMVIII, in qua, respectu etiam propositi ecclesiasticas leges in Codicem Iuris Canonici colligendi, haec Ipse scripsit: « Maxime opportunum visum est a Romana Curia ducere initium, ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici Ecclesiaeque operam suam praestare facilius valeat et suppetias ferre perfectius ».[17]

[17] Cf. *AAS* 1 (1909), p. 8.

Cuius reformationis hi praecipui fuerunt effectus: Sacra Romana Rota, quae anno MDCCCLXX munere cessaverat, ea ratione restituta est, ut iudicialia negotia ageret, dum Congregationes, amissa iudiciorum competentia, administrationis instrumenta unice fierent. Praeterea, principium instauratum est, quo Congregationes suo proprio iure, nemini alii attribuendo, gauderent, scilicet ut singulae res a suo quaeque Dicasterio, non vero simul a pluribus, tractari deberent.

Quae quidem Pii X reformatio, postea in Codice Iuris Canonici, anno MCMXVII a Benedicto XV, Decessore Nostro, promulgato, sancita et completa, fere immutata permansit usque ad annum **MCMLXVII**, non multo post Concilium Oecumenicum Vaticanum II peractum, in quo Ecclesia altius sui ipsius mysterium exploravit suumque vividius prospectavit officium.

5. Huiusmodi itaque Ecclesiae de seipsa aucta cognitio sponte novam quandam Romanae Curiae aptationem, nostrae aetati congruentem, secum ferre debuit. Siquidem Sacrosancti Concilii Patres ipsam Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus eximium hucusque praebuisse auxilium agnoverunt, simulque ut eiusdem Romanae Curiae Dicasteria novae ordinationi, temporum, regionum rituumque necessitatibus magis aptatae, subicerentur optaverunt.[18] Hisce igitur Concilii optatis satisfaciens, Paulus VI, Decessor Noster, novam Curiae ordinationem ad effectum alacriter adduxit, data Constitutione apostolica « Regimini Ecclesiae universae », die xv mensis Augusti anno MCMLXVII.

Equidem per hanc Constitutionem Summus ille Pontifex Romanae Curiae structuram, competentiam ac procedendi rationem Dicasteriorum iam exsistentium accuratius determinavit, novaque constituit, quorum esset particularia in Ecclesia pastoralia incepta promovere, dum cetera in iurisdictionis vel gubernationis officia incumbere pergerent; quam ob rem factum est, ut compositio Curiae multiformem universalis Ecclesiae imaginem clarius referret. Inter alia, dioecesanos Episcopos in ipsam arcessivit, simulque internae coordinationi Dicasteriorum prospexit per periodicos conventus

[18] Cf. Decr. *Christus Dominus*, 9.

eorundem Cardinalium moderatorum ad communia problemata collatis consiliis perpendenda. Sectionem Alteram apud Tribunal Signaturae Apostolicae induxit, ad summa eaque principalia fidelium iura aptius tuenda.

Verumtamen, cum antiquorum institutorum reformationem maturiore studio egere plane novisset, idem Summus Pontifex iussit ut, quinque exactis annis a Constitutionis promulgatione, innovatus rerum ordo altius expenderetur, pariterque inspiceretur utrum Concilii Vaticani II postulatis reapse congrueret et christiani populi civilisque societatis necessitatibus responderet, atque, quantum res postularet, in aptiorem reduceretur formam. Cui muneri adimplendo Commissio, seu peculiare Praelatorum corpus, Cardinali praeside., destinata est, ipsaque usque ad eiusdem Pontificis obitum operam actuose navavit.

6. Cum inscrutabili Providentiae consilio ad universalis Ecclesiae pascendae munus vocati simus, iam a Pontificatus primordiis sategimus non solum de re tam gravi Dicasteriorum mentem exquirere, verum etiam ab universo Cardinalium Collegio iudicium postulare. Qui Patres Cardinales, in generali Consistorio bis congregati, rei incubuerunt atque consilia praebuerunt de itinere rationibusque persequendis in Romanae Curiae ordinatione. Cardinales enim cum Romani Episcopi ministerio arctissimo ac singulari vinculo coniunguntur, eidemque « adsunt sive collegialiter agendo, cum ad quaestiones maioris momenti tractandas in unum convocantur, sive ut singuli, scilicet variis officiis, quibus funguntur, eidem ... operam praestando in cura praesertim cotidiana universae Ecclesiae »[19]: ii igitur in primis sciscitandi erant in tanti momenti causa.

Perampla sententiarum rogatio, quam supra memoravimus, apud Romanae Curiae Dicasteria, ut aequum erat, iterum facta est. Generalis consultationis fructus illud exstitit « Schema Legis peculiaris de Curia Romana », cui apparando incubuit Praelatorum Commissio, Patre Cardinali praeside, duos fere annos adlaborans, quodque singulorum Cardina-

[19] *C.I.C.,* **349.**

lium, Ecclesiarum Orientalium Patriarcharum, Episcoporum Conferentiarum per earum Praesides, et Romanae Curiae Dicasteriorum examini subiectum est, atque in plenario Cardinalium Coetu anno MCMLXXXV excussum. Quod attinet ad Episcoporum Conferentias, oportebat ut de Ecclesiarum particularium necessitatibus atque de earum hac in materie exspectationibus optatisque ad Romanam Curiam pertinentibus per vere universalem sententiam certiores fieremus; quae omnia ut plane nosceremus, occasionem potissimum praebuit peropportunam extraordinaria Synodus pariter anno MCMLXXXV celebrata, sicut iam mentionem fecimus.

Denique Commissio Patrum Cardinalium ad hunc finem specialiter condita, ratione habita animadversionum et consiliorum ex multiplicibus consultationibus acceptorum, atque sententia etiam privatorum quorundam virorum cognita, Legem peculiarem pro Curia Romana apparavit, novo Codici Iuris Canonici congruenter aptatam.

Quam quidem peculiarem Legem hac praesenti Constitutione apostolica promulgare volumus, dum quartum nuper exspiravit saeculum a commemorata Constitutione apostolica « Immensa aeterni Dei » Xysti V, atque octogesimus recurrit annus a S. Pii X Constitutione apostolica « Sapienti consilio », viginti denique vix expletis annis ex quo Constitutio apostolica Pauli VI « Regimini Ecclesiae universae » vim suam exserere coepit, quacum haec Nostra arcte coniungitur, quippe quod utraque a Concilio Vaticano II, eadem ducente cogitatione et mente, originem quodammodo ducat.

7. Hae mens atque cogitatio, Concilio Vaticano II congruentes, renovatae Romanae Curiae actuositatem firmant et exprimunt. Quae quidem hisce Concilii enuntiatur verbis: « In exercenda suprema, plena et immediata potestate in universam Ecclesiam, Romanus Pontifex utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum ».[20]

[20] Decr. *Christus Dominus,* 9.

Patet igitur Romanae Curiae munus, etsi ad propriam Ecclesiae constitutionem, iure divino conditam, non pertinet, *indolem* tamen *vere ecclesialem* habere, quatenus ab universalis Ecclesiae Pastore suam et exsistentiam et competentiam trahat. Ea enim in tantum exstat atque adlaborat, in quantum ad ministerium Petrianum refertur in eoque fundatur. Quoniam autem Petri ministerium, utpote « servi servorum Dei », sive erga universam Ecclesiam sive erga totius Ecclesiae Episcopos exercetur, Romana etiam Curia, Petri successori inserviens, ad universam Ecclesiam atque ad Episcopos iuvandos pariter spectat.

Plane inde elucet praecipuam notam omnium singulorumque Romanae Curiae Dicasteriorum esse eius *indolem ministerialem,* sicut iam prolata verba e Decreto « Christus Dominus » declarant, et haec praesertim: « Romanus Pontifex *utitur Romanae Curiae Dicasteriis* ».[21] Perspicue enim indoles instrumentalis Curiae his indicatur, et ipsa veluti instrumentum in manibus Pontificis quodammodo describitur, ita ut nulla vi nullaque potestate polleat praeter eas quas ab eodem Summo Pastore recipit. Ipse enim Paulus VI, iam duobus annis antequam Decretum « Christus Dominus » promulgaretur, scilicet anno **MCMLXIII**, Romanam Curiam definivit instrumentum immediatae adhaesionis et absolutae oboedientiae, quo Summus Pontifex ad suam universalem missionem explendam utitur. Quae notio in Constitutione apostolica « Regimini Ecclesiae universae » passim usurpata est.

Haec indoles ministerialis vel instrumentalis aptissime revera videtur huius valde benemeriti venerandique instituti naturam definire eiusque actionem significare, quae totae in eo consistunt ut auxilium Summo Pontifici eo validius et efficacius praestet, quo magis conformiter ac fidelius eius voluntati sese praebere nitatur.

8. Praeter hanc indolem ministerialem, a Concilio Vaticano II *character,* ut ita dicamus, *vicarius* Romanae Curiae in luce ulterius ponitur, quandoquidem ipsa, ut iam diximus, non proprio iure neque proprio marte operatur: potestatem

[21] *Ibid.*

enim a Romano Pontifice acceptam exercet essentiali quadam et nativa cum Ipso necessitudine, quia huiusmodi potestatis proprium est ut agendi studium cum voluntate illius, a quo oritur, semper coniungat, ea quidem ratione ut eiusdem voluntatis fidelem interpretationem, consonantiam, immo quasi aequalitatem prae se ferat atque manifestet, in Ecclesiarum bonum atque in Episcoporum servitium. Ex huiusmodi indole Romana Curia vim roburque haurit, pariterque officiorum suorum limites ac normarum codicem invenit.

Huius autem potestatis plenitudo in capite seu in ipsa Christi Vicarii persona insidet, qui propterea Curiae Dicasteriis eam committit pro singulorum competentia atque ambitu. Quoniam autem Romani Pontificis munus Petrianum, sicut diximus, ad fratrum Episcoporum Collegii munus suapte natura refertur, ad id simul spectans ut universa Ecclesia singulaeque particulares Ecclesiae aedificentur, constabiliantur atque dilatentur, eadem Curiae *diaconia,* qua Ipse in suo personali munere exercendo utitur, necessario pariter refertur ad personale Episcoporum munus, sive utpote Episcopalis Collegii membrorum, sive utpote particularium Ecclesiarum Pastorum.

Quam ob causam non modo longe abest ut Romana Curia personales rationes ac necessitudines inter Episcopos atque Summum Pontificem quoddam veluti *diaphragma* impediat vel condicionibus obstringat, sed contra ipsa est, atque magis magisque sit oportet, communionis atque sollicitudinum participationis administra.

9. Ratione igitur suae diaconiae, cum ministerio Petriano coniunctae, eruendum est tum Romanam Curiam cum totius orbis Episcopis arctissime coniungi, tum eosdem Pastores eorumque Ecclesias primos principalioresque esse veluti beneficiarios operis Dicasteriorum. Quod eiusdem Curiae etiam compositione probatur.

Etenim Romanam Curiam omnes fere componunt Patres Cardinales, ad Romanam Ecclesiam proprio nomine pertinentes,[22] qui proxime Summum Pontificem in universali Ecclesia

[22] Cf. Const. Ap. *Vicariae potestatis,* vi Ian. MCMLXXVII: *AAS* 69 (1977), p. 6.

gubernanda adiuvant, quique insuper cuncti sive in ordinaria sive in extraordinaria Consistoria convocantur, cum graviora negotia tractanda id suadeant;[23] quo igitur fit ut, necessitates totius Populi Dei plenius cognoscentes, Ecclesiae universae bono prospicere pergant.

Huc etiam accedit quod singulis Dicasteriis praepositi episcopali charactere et gratia plerumque pollent ad unumque Episcoporum Collegium pertinent, itemque eadem etiam erga universam Ecclesiam sollicitudine urgentur, qua omnes Episcopi, in communione hierarchica cum Romano Episcopo suo Capite, devinciuntur.

Cum insuper inter Dicasteriorum membra aliqui cooptentur dioecesani Episcopi, « qui mentem, optata ac necessitates omnium Ecclesiarum Summo Pontifici plenius referre valeant »,[24] per Romanam Curiam collegialis affectus, qui inter Episcopos eorumque Caput intercedit, ad *concretam* applicationem perducitur, idemque ad totum mysticum Corpus extenditur, « quod est etiam corpus Ecclesiarum i).[25]

Qui quidem collegialis affectus inter varia quoque Dicasteria colitur. Omnes enim Cardinales Dicasteriis praepositi certis temporibus inter se conveniunt, vel ipsorum partes agentes cum peculiares quaestiones tractandae sint, ut collatis consiliis de potioribus quaestionibus certiores fiant ad illasque solvendas mutuum adiutorium conferant atque ideo agendi cogitandique unitatem in Romana Curia provideant.

Praeter hos episcopali potestate praeditos viros ad Dicasteriorum navitatem plurimi requiruntur operis adiutores, qui suo labore, haud raro abscondito neque levi vel facili, ministerio Petriano inserviant ac prosint.

Etenim in Romanam Curiam advocantur sive dioecesani ex universo terrarum orbe presbyteri, qui, sacerdotii ministerialis participes, cum Episcopis arcte coniunguntur; sive Religiosi, e quibus maxima pars sunt presbyteri, atque Religiosae Sodales, qui vitam suam ad Evangelii consilia diversimode componunt, ad Ecclesiae bonum augendum atque ad singulare Christi testimonium coram mundo praestandum; sive

[23] Cf. *C.I.C.,* 353.
[24] Decr. *Christus Dominus,* 10.
[25] Const. dogm. *Lumen gentium,* 23.

laici viri atque mulieres, qui ob Baptismi atque Confirmationis virtutem proprio apostolico munere funguntur. Quae plurium virium conspiratio efficit ut omnes Ecclesiae ordines in pastoralem Romanae Curiae operam continuandam efficacius usque adiuvent Summum Pontificem, cum Ipsius ministerio coniuncti. Exinde etiam patet, huiusmodi omnium Ecclesiae ordinum servitium nihil simile in civili societate invenire, atque ipsorum laborem cum animo vere serviendi praestandum esse, ad ipsius Christi diaconiam sequendam atque imitandam.

10. Clare inde elucet Romanae Curiae ministerium, sive in semet ipso consideretur, sive ob ipsius rationes cum universae Ecclesiae Episcopis, sive ob fines, ad quos contendit atque ob concordem caritatis affectum, quo ducatur oportet, quadam *collegialitatis* nota pollere, etiamsi ipsa Curia nulli sit comparanda cuiuslibet naturae collegio; quae nota eam ad inserviendum Episcoporum Collegio informat mediisque ad id idoneis instruit. Quin immo, ipsorum etiam Episcoporum sollicitudinem pro universa Ecclesia exprimit, siquidem Episcopi huiusmodi curam atque sedulitatem « cum Petro et sub Petro » participant.

Quod sane maxime excellit et symbolicam vim prae se fert, cum Episcopi — ut iam supra diximus — vocantur ut singulis Dicasteriis sociam operam praebeant. Praeterea omnibus et singulis Episcopis integrum ius manet et officium ipsum Beati Petri Successorem adeundi, potissimum per visitationes « ad Apostolorum limina ».

Hae visitationes, ob supra exposita ecclesiologica et pastoralia principia, propriam peculiaremque significationem accipiunt. Sunt enim in primis maximi momenti opportunitas, et veluti centrum constituunt supremi illius ministerii, Summo Pontifici commissi: nam Ecclesiae universalis Pastor tunc communicat atque colloquitur cum particularium Ecclesiarum Pastoribus, qui ad ipsum se conferunt ut in eo Cepham videant (cf. *Gal* 1, 18), suarum dioecesium quaestiones coram atque privatim cum Ipso pertractent cum eoque ideo omnium Ecclesiarum sollicitudinem participent (cf. *2 Cor* 11, 28).

Quam ob rem, per visitationes ad limina communio atque unitas in intima Ecclesiae vita maximopere foventur.

Eaedem praeterea Episcopis copiam commoditatemque praebent, ut cum competentibus Romanae Curiae Dicasteriis considerent atque explorent tum studia ad doctrinam actionemque pastoralem attinentia, tum apostolatus incepta, tum difficultates, quae aeternae salutis procurandae missioni, ipsis concreditae, se interponant.

11. Cum igitur Romanae Curiae navitas cum munere Petriano iuncta in eoque fundata, in bonum simul universae Ecclesiae sive Ecclesiarum particularium cedat, ea praeprimis ad explendum *unitatis ministerium* vocatur, quod Romano Pontifici singulariter commissum est, quatenus Ipse divino placito perpetuum atque visibile fundamentum Ecclesiae constitutus est. Quapropter unitas in Ecclesia pretiosus est thesaurus servandus, defendendus, tutandus, promovendus, perpetuo erigendus, omnibus studiose cooperantibus, iis potissimum qui vicissim *visibile principium et fundamentum in suis Ecclesiis particularibus sunt.*[26]

Igitur cooperatio, quam Romana Curia Summo Pontifici praestat, hoc unitatis ministerio fulcitur : haec autem in primis *unitas* est *Fidei,* quae sacro deposito, cuius Petri Successor primus est custos et tutor et a quo munus supremum confirmandi fratres suscipit, regitur et struitur. Est pariter *unitas disciplinae,* quoniam agitur de generali disciplina Ecclesiae, quae in normarum morumque complexu consistit, fundamentalem Ecclesiae constitutionem conformat, atque media salutis eorumque rectam administrationem tuetur, una cum Populi Dei ordinata compagine.

Eadem unitas, quam nullo non tempore regimen Ecclesiae universae tuendam curat a diversis exsistendi et agendi modis pro varietate personarum et culturarum nedum detrimentum patiatur per donorum immensam varietatem, quae Spiritus Sanctus profundit, perenniter ditescit, dummodo ne exinde nisus sese separandi insularum ad instar vel fugae a centro

[26] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 23.

exoriantur, sed omnia in altiorem unius Ecclesiae structuram componantur. Quod principium Decessor Noster Ioannes Paulus I optime commemoravit, cum Patres Cardinales allocutus haec de Romanae Curiae institutis asseveravit : eadem « Christi Vicario id praestant ut apostolico ministerio, cuius Ipse universae Ecclesiae debitor est, certe ac definite fungi possit, atque hac ratione provident ut legitimae agendi libertates sese organico modo explicent, servato tamen necessario obsequio erga illam disciplinae immo etiam fidei unitatem, ad Ecclesiae naturam pertinentem, pro qua Christus antequam pateretur oravit ».[27]

Quo fit ut supremum unitatis ministerium universalis Ecclesiae legitimas consuetudines, populorum mores atque potestatem, quae iure divino ad Ecclesiarum particularium Pastores pertinet, vereatur. Ipse tamen Romanus Pontifex, uti patet, praetermittere non valet quin manus apponat quotiescumque graves rationes pro tuenda unitate in fide, in caritate vel in disciplina id postulent.

12. Munus itaque Romanae Curiae ecclesiale cum sit, cooperationem totius Ecclesiae, ad quam dirigitur, requirit. Nemo enim in Ecclesia ab aliis est seiunctus, immo quisque cum ceteris omnibus unum idemque efficit corpus.

Cuiusmodi cooperatio per illam communionem agitur, e qua exordium sumpsimus, scilicet vitae, caritatis et veritatis, in quam Populus messianicus a Christo Domino est constitutus, ab Eoque ut redemptionis instrumentum assumitur et tamquam lux mundi et sal terrae ad universum mundum mittitur.[28] Sicut ergo Romanae Curiae est cum omnibus Ecclesiis communicare, ita Pastores Ecclesiarum particularium, quas ipsi « ut vicarii et legati Christi regunt »,[29] cum Romana Curia communicare satagant oportet, ut per haec fidentia commercia, firmiore vinculo cum Petri Successore obstringantur.

Quae inter Ecclesiae centrum eiusque, ut ita dicamus, peripheriam mutua communicatio, dum nullius extollit auctori-

[27] Alloc, ad Patrum Cardinalium Collegium, xxx Augusti MCMLXXVIII; *AAS* 70 (1978), p. 703.

[28] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 9.

[29] *Ibid.,* 27.

tatis fastigium, *communionem* inter omnes maximopere promovet, ad instar viventis cuiusdam corporis, quod ex mutuis omnium membrorum rationibus constat atque operatur. Quod feliciter expressit Paulus VI Decessor Noster: « Liquet enim motui ad centrum ac veluti ad cor Ecclesiae respondere opus esse alium motum, qui a medio ad extrema feratur atque quadam ratione omnes et singulas Ecclesias, cunctos et singulos Pastores ac fideles attingat, ita ut ille significetur et ostendatur thesaurus veritatis, gratiae et unitatis, cuius Christus Dominus ac Redemptor Nos effecit participes, custodes ac dispensatores ».[30]

Quae omnia eo pertinent, ut uni eidemque Populo Dei efficacius praebeatur ministerium salutis; ministerium dicimus, quod praeprimis postulat mutuum inter particularium Ecclesiarum Pastores et universae Ecclesiae Pastorem adiutorium, ita ut omnes collatis viribus adnitantur adimplere supremam eam legem, quae est salus animarum.

Nihil omnino aliud, quam ut huic saluti animarum uberius usque consulerent, Summi Pontifices voluerunt, sive Romanam Curiam condendo, sive novis Ecclesiae mundique condicionibus ipsam aptando, sicut e rerum historia patet. Iure igitur merito Paulus VI Romanam Curiam, veluti alterum Hierosolymitanum cenaculum, et sanctae Ecclesiae prorsus deditam sibi effingebat.[31] Nosmetipsi idcirco ediximus omnibus, qui in ipsa operam dant, unicam agendi rationem esse et normam Ecclesiae et erga Ecclesiam alacre praestare servitium.[32] Immo in hac nova de Romana Curia Lege statuere voluimus, ut quaestiones omnes a Dicasteriis tractentur « viis... ac iudiciis pastoralibus, animo intento tum ad iustitiam et Ecclesiae bonum tum praesertim ad animarum salutem ».[33]

13. Iam igitur promulgaturi hájic Constitutionem apostolicam, qua nova Romanae Curiae lineamenta impertiuntur,

[30] Litt. Ap. M. P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* de muneribus Legatorum Romani Pontificis, XXIV Iun. MCMLXIX: *AAS* 61 (1969), p. 475.

[31] Cf. Alloc, ad eos qui sacris Exercitationibus in Palatio Ap.co interfuerunt, XVII Mart. MCMLXXIII: *Insegnamenti di Paolo VI,* XI, 1973, p. 257.

[32] Cf. Alloc, ad Curiam Romanam, xxvin Iun. MCMXXXXVI: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* IX, 1, 1986, p. 1954.

[33] Art. 15.

placet nunc Nobis consilia atque proposita complecti, quibus ducti sumus.

Voluimus in primis ut eiusdem Curiae imago et facies novis responderet nostri temporis postulatis, ratione mutationum habita^ quae post editam Constitutionem apostolicam <(Regimini Ecclesiae universae » sive a Decessore Nostro Paulo VI sive a Nobis factae sunt.

Deinde Nostrum fuit ut Ecclesiae legum renovatio, quae per evulgatum novum Codicem Iuris Canonici inducta est, vel quae in eo est posita ut ad effectum deducatur in recognoscendo Codice Iuris Canonici Orientalis, aliquo modo expleretur atque conficeretur.

Tum in animo habuimus ut antiquitus recepta Romanae Curiae Dicasteria et Instituta magis idonea redderentur ad ipsorum fines consequendos, ad quos instituta sunt, scilicet ad participanda regiminis, iurisdictionis atque negotiorum exsecutionis munera; qua de re factum est ut horum Dicasteriorum agendi provinciae inter ipsa aptius distribuerentur ac distinctius designarentur.

Deinde, prae oculis habentes quae rerum usus hisce annis docuit quaeque semper novis ecclesialis societatis postulatis requiruntur, cogitavimus iuridicam figuram rationemque iterum considerare illorum institutorum, quae merito « post-conciliaria » appellantur, eorum forte conformationem ordinationemque mutando. Quod eo consilio fecimus, ut magis magisque utile fructuosumque ipsorum institutorum munus redderetur, scilicet in Ecclesia promovendi peculiaria pastoralia opera atque rerum studium, quae augescente in dies celeritate Pastorum sollicitudinem occupant eademque tempestivas securasque responsiones postulant.

Denique nova et etiam stabilia incepta ad mutuam operam inter Dicasteria consociandam excogitata sunt, quorum ope quaedam agendi ratio habeatur unitatis notam suapte natura prae se ferens.

Quae ut uno comprehendamus verbo, curae Nobis fuit continenter procedere ut Romanae Curiae constitutio atque agendi ratio tum ecclesiologicae illi rationi, a Concilio Vaticano II pertractatae, magis magisque responderent, tum ad ipsius

constitutionis pastorales propositos fines obtinendos clariore usque modo idonea evaderent, tum ecclesialis civilisque societatis necessitatibus aptius in dies obviam irent.

Siquidem persuasum Nobis est Romanae Curiae navitatem haud paulum conferre, ut Ecclesia, tertio post Christum natum adventante millennio, ortus sui mysterio fidelis perseveret,[34] cum Spiritus Sanctus virtute Evangelii eam iuvenescere facit.[35]

14. Hisce omnibus attentis, opera peritorum virorum adhibita, sapienti consilio et collegiali affectu suffulti Patrum Cardinalium et Episcoporum, diligenter perspectis Romanae Curiae natura et munere, hanc Apostolicam Constitutionem exarari iussimus, spe ducti ut veneranda haec et regimini Ecclesiae necessaria institutio, novo illi pastorali instinctui respondeat, quo praesertim post celebratum Concilium Vaticanum II fideles omnes, laici, presbyteri et praesertim Episcopi aguntur, quo penitius usque audiant atque sequantur ea quae Spiritus dicat Ecclesiis (cf. *Ap* 2, 7).

Quemadmodum enim omnes Ecclesiae Pastores, atque inter ipsos speciali modo Romanus Episcopus, persentiunt se esse « ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » *(1 Cor* 4, 1), atque cupiunt se praeprimis adiutores praebere fidelissimos, quibus Aeternus Pater facile utatur ad salutis opus in mundo prosequendum, ita Romana Curia, in singulis quibusque exercitatis suae magni momenti navitatis orbibus, peroptat ut ipsa quoque eodem Spiritus eodemque afflatu pervadatur: Spiritum dicimus Filii hominis, Christi Unigeniti Patris, qui «venit... salvare quod perierat» *(Mt* 18, 11), cuiusque unicum amplissimumque optatum perpetuo eo contendit, ut omnes homines « vitam habeant et abundantius habeant » *(Io* 10, 10).

Propterea, opitulante Dei gratia ac favente Beatissimae Virginis Mariae, Ecclesiae Matris, auxifio, normas de Romana Curia quae sequuntur statuimus atque decernimus.

[34] Cf. Litt. encycl. *Dominum et vivificantem,* xviii Mai. MCMXXXXVI, 66: *AAS* 78 (1986), pp. 896 s.

[35] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 4.

I
NORMAE GENERALES

DE CURIAE ROMANAE NOTIONE

ART. 1

Curia Romana complexus est Dicasteriorum et Institutorum, quae Romano Pontifici adiutricem operam navant in exercitio eius supremi pastoralis muneris ad Ecclesiae Universae Ecclesiarumque particularium bonum ac servitium, quo quidem unitas fidei et communio populi Dei roboratur atque missio Ecclesiae propria in mundo promovetur.

DE DICASTERIORUM STRUCTURA

ART. 2

§ 1. Dicasteriorum nomine intelleguntur: Secretaria Status, Congregationes, Tribunalia, Consilia et Officia, scilicet Camera Apostolica, Administratio Patrimonii Sedis Apostolicae, Praefectura Rerum Oeconomicarum Sanctae Sedis.

§ 2. Dicasteria sunt inter se iuridice paria.

§ 3. Institutis autem Curiae Romanae accedunt Praefectura Pontificalis Domus et Officium de Liturgicis Celebrationibus Summi Pontificis.

ART. 3

§ 1. Dicasteria, nisi ob peculiarem ipsorum naturam aut specialem legem aliam habeant structuram, constant ex Cardinali Praefecto vel Archiepiscopo Praeside, coetu Patrum Car-

dinalium et quorundam Episcoporum, adiuvante Secretario. Iisdem adsunt Consultores et operam praestant Administri maiores atque congruus Officialium numerus.

§ 2. Iuxta peculiarem naturam quorundam Dicasteriorum, ipsorum coetui adscribi possunt clerici necnon alii Christifideles.

§ 3. Congregationis autem Membra proprie dicta sunt Cardinales et Episcopi.

ART. 4

Praefectus vel Praeses Dicasterium moderatur, id dirigit eiusdemque personam gerit.

Secretarius, cooperante Subsecretario, Praefectum vel Praesidem in Dicasterii negotiis personisque moderandis, adiuvat.

ART. 5

§ 1. Praefectus vel Praeses, Membra coetus, Secretarius ceterique Administri maiores necnon Consultores a Summo Pontifice ad quinquennium nominantur.

§ 2. Expleto septuagesimo quinto aetatis anno, Cardinales praepositi rogantur ut officii renuntiationem exhibeant Romano Pontifici, qui, omnibus perpensis, providebit. Ceteri Moderatores necnon Secretarii, expleto septuagesimo quinto aetatis anno, a munere cessant; Membra, octogesimo anno expleto; qui tamen ratione muneris alicui Dicasterio adscripti sunt, cessante munere, desinunt esse Membra.

ART. 6

Occurrente morte Summi Pontificis, omnes Dicasteriorum Moderatores et Membra a munere cessant. Excipiuntur Romanae Ecclesiae Camerarius et Paenitentiarius Maior, qui ordinaria negotia expediunt, ea Cardinalium Collegio proponentes, quae ad Summum Pontificem essent referenda.

Secretarii ordinario moderamini Dicasteriorum prospiciunt, negotia tantum ordinaria curantes; ipsi vero indigent confirmatione Summi Pontificis, intra tres ab Eius electione menses.

ART. 7

Membra coetus sumuntur, ex Cardinalibus sive in Urbe sive extra Urbem commorantibus, quibus accedunt, quatenus peculiari peritia in rebus, de quibus agitur, pollent, nonnulli Episcopi, praesertim dioecesani, necnon, iuxta Dicasterii naturam, quidam clerici et alii Christifideles, hac tamen lege, ut ea, quae exercitium potestatis regiminis requirunt, reserventur iis qui ordine sacro insigniti sunt.

ART. 8

Consultores quoque nominantur ex clericis vel ceteris Christifidelibus scientia et prudentia praestantibus, ratione universalitatis, quantum fieri potest, servata.

ART. 9

Officiales assumuntur ex Christifidelibus, clericis vel laicis, commendatis virtute, prudentia, usu rerum, debita scientia, aptis studiorum titulis comprobata, ex variis orbis regionibus, quantum fieri potest, selectis, ita ut Curia indolem universalem Ecclesiae exprimat. Candidatorum idoneitas experimentis aliisve congruentibus modis pro opportunitate comprobetur.

Ecclesiae particulares, Moderatores Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae ne omittant adiutricem operam Apostolicae Sedi praebere, sinentes ut eorum fideles aut sodales, si opus fuerit, in Romanam Curiam arcessantur.

ART. 10

Unumquodque Dicasterium proprium habet archivum, in quo documenta recepta atque exemplaria eorum, quae missa sunt, in « protocollum » relata, ordinate, tuto et secundum hodierni temporis rationes custodiantur.

DE AGENDI RATIONE

ART. 11

§ 1. Negotia maioris momenti coetui generali, iuxta cuiusque Dicasterii naturam, reservantur.

§ 2. Ad plenarias sessiones, semel in anno, quantum fieri potest, celebrandas, pro quaestionibus naturam principii generalis habentibus aliisque, quas Praefectus vel Praeses tractandas censuerit, omnia Membra tempestive convocari debent. Ad ordinarias autem sessiones sufficit ut convocentur Membra in Urbe versantia.

§ 3. Omnes coetus sessiones Secretarius cum iure suffragium ferendi participat.

ART. 12

Consultorum atque eorum qui ipsis assimilantur est studio rei propositae diligenter incumbere suamque sententiam, pro more scriptam, de ea exarare.

Pro opportunitate atque iuxta cuiusque Dicasterii naturam, Consultores convocari possunt ut collegialiter quaestiones propositas examinent et, si casus ferat, sententiam communem proferant.

Singulis in casibus alii ad consulendum vocari possunt, qui, etsi in Consultorum numerum non sunt relati, peculiari tamen peritia rei pertractandae commendentur.

ART. 13

Dicasteria, secundum uniuscuiusque propriam competentiam, negotia tractant, quae ob peculiare suum momentum, natura sua aut iure, Sedi Apostolicae reservantur, atque ea quae fines competentiae singulorum Episcoporum eorumve coetuum excedunt, necnon ea quae ipsis a Summo Pontifice committuntur; in studium incumbunt problematum graviorum vigentis aetatis, ut actio pastoralis Ecclesiae efficacius promoveatur apteque coordinetur, debita servata relatione cum Ecclesiis particularibus; promovent incepta pro bono Ecclesiae universalis; ea denique cognoscunt, quae Christifideles, iure proprio utentes, ad Sedem Apostolicam deferunt.

ART. 14

Dicasteriorum competentia definitur ratione materiae nisi aliter expresse cautum sit.

ART. 15

Quaestiones tractandae sunt ad tramitem iuris, sive universalis sive peculiaris Romanae Curiae, atque iuxta normas uniuscuiusque Dicasterii, viis tamen ac iudiciis pastoralibus, animo intento tum ad iustitiam et Ecclesiae bonum tum praesertim ad animarum salutem.

ART. 16

Romanam Curiam fas est adire, praeterquam officiali Latino sermone, cunctis etiam sermonibus hodie latius cognitis.

In commodum omnium Dicasteriorum « Centrum » constituitur pro documentis in alias linguas vertendis.

ART. 17

Quae ab uno Dicasterio praeparantur documenta generalia cum aliis communicentur Dicasteriis, quorum interest, ut textus emendationibus forte propositis perfici possit et, collatis consiliis, etiam ad eorum exsecutionem concordius procedatur.

ART. 18

Summi Pontificis approbationi subiciendae sunt decisiones maioris momenti, exceptis iis pro quibus Dicasteriorum Moderatoribus speciales facultates tributae sunt exceptisque sententiis Tribunalis Rotae Romanae et Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae intra limites propriae competentiae latis.

Dicasteria leges aut decreta generalia vim legis habentia ferre non possunt nec iuris universalis vigentis praescriptis derogare, nisi singulis in casibus atque de specifica approbatione Summi Pontificis.

Hoc autem sollemne sit ut nihil grave et extraordinarium agatur, nisi a Moderatoribus Dicasteriorum Summo Pontifici fuerit antea significatum.

ART. 19

§ 1. Recursus hierarchici a Dicasterio recipiuntur, quod competens sit ratione materiae, firmo praescripto art. **21 § 1.**

§ 2. Quaestiones vero, quae iudicialiter sunt cognoscendae, remittuntur ad competentia Tribunalia, firmo praescripto artt. **52** et **53.**

ART. 20

Conflictus competentiae inter Dicasteria, si qui oriantur, Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae subiciantur, nisi Summo Pontifici aliter prospiciendum placuerit.

ART. 21

§ 1. Negotia, quae plurium Dicasteriorum competentiam attingunt, a Dicasteriis, quorum interest, simul examinentur.

Ut consilia conferantur, a Moderatore Dicasterii, quod res agere coepit, conventus convocetur, sive ex officio sive rogatu alius Dicasterii, cuius interest. Si tamen subiecta materia id postulet, res deferatur ad plenariam sessionem Dicasteriorum, quorum interest.

Conventui praeest Dicasterii Moderator, qui eundem coegit, vel eiusdem Secretarius, si soli Secretarii conveniant.

§ 2. Ubi opus fuerit opportune commissiones « interdicasteriales » permanentes, ad negotia tractanda, quae mutua crebraque consultatione egeant, constituantur.

DE CARDINALIUM ADUNATIONIBUS

ART. 22

De mandato Summi Pontificis pluries in anno Cardinales, qui Dicasteriis praesunt, in unum conveniunt, ut graviores quaestiones examinentur, labores coordinentur, utque notitiae inter eos communicari et consilia capi possint.

ART. 23

Graviora indolis generalis negotia utiliter tractari possunt, si Summo Pontifici placuerit, a Cardinalibus in Consistorio plenario iuxta legem propriam adunatis.

DE COETU CARDINALIUM AD CONSULENDUM REBUS ORGANICIS ET OECONOMICIS APOSTOLICAE SEDIS

ART. 24

Coetus ex quindecim Cardinalibus constat, totidem Praesulibus Ecclesiarum particularium e variis orbis partibus, a Romano Pontifice ad quinquennium nominatis.

ART. 25

§ 1. Coetus ex solito bis in anno convocatur a Cardinali Secretario Status ad res oeconomicas et organicas quoad Sanctae Sedis administrationem perpendendas, auxiliantibus, quatenus opus fuerit, harum rerum peritis.

§ 2. Idem cognoscit etiam de navitate peculiaris Instituti, quod erectum est et collocatum intra Statum Civitatis Vaticanae, ad bona oeconomica sibi commissa custodienda atque administranda, quae ad opera religionis et caritatis sustinenda inserviunt; quod peculiari lege regitur.

DE RATIONIBUS CUM ECCLESIIS PARTICULARIBUS

ART. 26

§ 1. Crebrae relationes foveantur cum Ecclesiis particularibus coetibusque Episcoporum, eorum consilium exquirendo, cum agitur de apparandis documentis maioris momenti, indolem generalem habentibus.

§ 2. Quantum fieri potest, antequam publici iuris fiant, communicentur cum Episcopis dioecesanis documenta gene-

ralia aut quae earundem Ecclesiarum particularium speciali modo intersint.

§ 3. Quaestiones Dicasteriis propositae, diligenter examinentur atque sine mora responsio aut saltem syngraphum rei acceptae, quatenus opus fuerit, mittatur.

ART. 27

Dicasteria consulere ne omittant Pontificios Legatos circa negotia, quae ad Ecclesias particulares, ubi munus exercent, attineant, necnon cum iisdem Legatis captas deliberationes communicare.

DE VISITATIONIBUS AD LIMINA

ART. 28

Iuxta venerandam traditionem et iuris praescriptum, Episcopi, qui Ecclesiis particularibus praesunt, Apostolorum limina, statutis temporibus, petunt eaque occasione relationem super dioecesis statu Romano Pontifici exhibent

ART. 29

Huiusmodi visitationes peculiare in vita Ecclesiae habent momentum, quippe quae veluti culmen efficiant relationum cuiusvis Ecclesiae particularis Pastorum cum Romano Pontifice. Ipse enim, suos in Episcopatu fratres coram admittens, cum illis de rebus agit, quae ad bonum Ecclesiarum et ad Episcoporum pascendi munus pertinent, ipsosque in fide et caritate confirmat atque sustinet; quo quidem modo vincula hierarchicae communionis roborantur et catholicitas Ecclesiae necnon Episcoporum collegii unitas veluti palam ostenditur.

ART. 30

Visitationes ad limina Dicasteria quoque Curiae Romanae respiciunt. Per has enim dialogus proficuus inter Episcopos et Apostolicam Sedem augetur ac profundior fit, mutuae informationes dantur, consilia et opportunae suggestiones ad maius bonum et profectum Ecclesiarum necnon ad disciplinam Ecclesiae communem servandam afferuntur.

ART. 31

Sedula cura apteque visitationes parentur ita ut tres principales gradus quibus constant, videlicet ad Apostolorum Principum sepulcra peregrinatio eorumque veneratio, congressio cum Summo Pontifice, atque colloquia apud Romanae Curiae Dicasteria, feliciter procedant prosperumque habeant exitum.

ART. 32

Hunc in finem, relatio super dioecesis statu Sanctae Sedi sex mensibus ante tempus pro visitatione statutum mittatur. A Dicasteriis, quibus competit, omni cum diligentia examinetur eorumque animadversiones cum peculiari coetu ad hoc constituto communicentur ut brevis synthesis de his omnibus conficiatur, quae in colloquiis prae oculis habenda sit.

DE INDOLE PASTORALI ACTUOSITATIS

ART. 33

Eorum omnium actuositas, qui apud Romanam Curiam ceteraque Sanctae Sedis instituta operantur, verum ecclesiale est servitium, indole pastorali signatum, prouti in universali Romani Pontificis missione participatio, summa cum officii conscientia atque cum animo serviendi ab omnibus praestandum.

ART. 34

Singula Dicasteria proprios fines persequuntur, ea tamen inter se conspirant; quare omnes in Romana Curia operantes id efficere debent, ut eorum operositas in unum confluat et temperetur. Omnes igitur parati semper sint ad propriam operam praestandam ubicumque necesse fuerit.

ART. 35

Etsi quaevis opera in Sanctae Sedis Institutis praestita cooperatio est in actione apostolica, sacerdotes pro viribus in curam animarum, sine praeiudicio tamen proprii officii, actuose incumbant.

DE OFFICIO CENTRALI LABORIS

ART. 36

De laboris exercitio in Curia Romana atque de quaestionibus cum eo connexis videt, iuxta suam competentiam, *Officium Centrale Laboris.*

DE ORDINIBUS

ART. 37

Huic Constitutioni Apostolicae accedit *Ordo servandus* seu normae communes, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Curia ipsa praestituitur, firmis manentibus normis generalibus huius Constitutionis.

ART. 38

Unicuique Dicasterio proprius sit *Ordo servandus* seu normae speciales, quibus disciplina et negotia tractandi rationes praestituantur.

Ordo servandus uniuscuiusque Dicasterii suetis Apostolicae Sedis formis publici iuris fiat.

II
SECRETARIA STATUS

ART. 39

Secretaria Status proxime iuvat Summum Pontificem in Eius supremo munere exercendo.

ART. 40

Eidem-praeest Cardinalis Secretarius Status. Duas sectiones ipsa complectitur, nempe *sectionem de generalibus negotiis* sub directo moderamine Substituti, adiuvante Assessore, et *sectionem de rationibus cum Civitatibus* sub ductu proprii Secretarii, adiuvante Subsecretario. Huic alteri sectioni adest coetus Cardinalium et quorundam Episcoporum.

SECTIO PRIOR

ART. 41

§ 1. Ad priorem sectionem pertinet peculiari modo operam navare expediendis negotiis, quae Summi Pontificis cotidianum servitium respiciunt; ea agere, quae extra ordinariam Dicasteriorum Romanae Curiae aliorumque Apostolicae Sedis Institutorum competentiam tractanda obveniant; rationes cum iisdem Dicasteriis fovere sine praeiudicio eorum autonomiae et labores coordinare; Legatorum Sanctae Sedis officium eorumque operam, praesertim ad Ecclesias particulares quod attinet, moderari. Ipsius est omnia explere, quae Legatos Civitatum apud Sanctam Sedem respiciunt.

§ 2. Collatis consiliis cum aliis competentibus Dicasteriis, eadem curat quae Sanctae Sedis praesentiam et navitatem apud Internationalia Instituta respiciunt, firmo praescripto art. **46.** Idem agit quod ad Institutiones Internationales Catholicas pertinet.

ART. 42

Eiusdem etiam est:

I° componere et mittere Constitutiones Apostolicas, Litteras Decretales, Litteras Apostolicas, Epistulas aliaque documenta a Summo Pontifice ipsi commissa;

2° omnia explere acta, quae nominationes a Summo Pontifice peragendas vel probandas respiciunt in Romana Curia in aliisque Institutis, e Sancta Sede pendentibus;

3° custodire sigillum plumbeum et anulum Piscatoris.

ART. 43

Ad hanc sectionem pariter pertinet:

I° editionem curare actorum et documentorum publicorum Sanctae Sedis in commentario, quod inscribitur *Acta Apostolicae Sedis;*

2° officialia nuntia, quae sive acta Summi Pontificis sive Sanctae Sedis navitatem respiciunt, publici facere iuris per peculiare officium sibi subiectum, vulgo *Sala Stampa* appellatum;

3° invigilare, collatis consiliis cum Altera Sectione, ephemeridi vulgo *L'Osservatore Romano* appellatae, Stationi Radiophonicae Vaticanae atque Centro Televisifico Vaticano.

ART. 44

Per Officium rationarii vulgo *Statistica* appellatum colligit, ordine componit atque palam edit omnia indicia, ad rationarii normas exarata, quae Ecclesiae universae vitam per terrarum orbem respiciunt.

SECTIO ALTERA

ART. 45

Alterius sectionis de rationibus cum Civitatibus peculiare munus est in ea incumbere, quae cum rerum publicarum . Moderatoribus agenda sunt.

ART. 46

Eidem competit:

I° rationes praesertim diplomaticas cum Civitatibus aliisque publici iuris societatibus fovere atque communia negotia tractare, ut bonum Ecclesiae civilisque societatis promoveatur, ope, si casus ferat, concordatorum aliarumque huiusmodi conventionum, et ratione habita sententiae Episcoporum coetuum, quorum intersit;

2° apud Internationalia Instituta et conventus de indolis publicae quaestionibus Sanctae Sedis partes gerere, collatis consiliis cum competentibus Romanae Curiae Dicasteriis;

3° agere, in propria laborum provincia, quae ad Legatos Pontificios attinent.

ART. 47

§ 1. In peculiaribus rerum adiunctis, de mandato Summi Pontificis, haec sectio, collatis consiliis cum competentibus Curiae Romanae Dicasteriis, ea explet quae ad Ecclesiarum particularium provisionem necnon ad earum earumque coetuum constitutionem aut immutationem spectant.

§ 2. Ceteris in casibus, praesertim ubi regimen concordatarium viget, eidem competit, firmo praescripto art. **78,** ea absolvere, quae cum civilibus guberniis agenda sunt.

III

CONGREGATIONES

CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

ART. 48

Proprium Congregationis de Doctrina Fidei munus est doctrinam de fide et moribus in universo catholico orbe promovere atque tutari; proinde ipsi competunt ea, quae hanc materiam quoquo modo attingunt.

ART. 49

Munus promovendae doctrinae adimplens, ipsa studia fovet ut fidei intellectus crescat ac novis quaestionibus ex scientiarum humanive cultus progressu enatis responsio sub luce fidei praeberi possit.

ART. 50

Episcopis, sive singulis sive in coetibus adunatis, auxilio est in exercitio muneris, quo ipsi authentici fidei magistri atque doctores constituuntur, quoque officio integritatem eiusdem fidei custodiendi ac promovendi tenentur.

ART. 51

Ad veritatem fidei morumque integritatem tuendam, curam impendit, ne fides aut mores per errores quomodocumque vulgatos detrimentum patiantur.

Quapropter :

I° ipsi officium est exigendi, ut libri aliaque scripta a Christifidelibus edenda, quae fidem moresque respiciant, praevio competentis auctoritatis examini subiciantur;

2° scripta atque sententias, quae rectae fidei contraria atque insidiosa videantur, excutit, atque, si constiterit ea Ecclesiae doctrinae esse opposita, eadem, data auctori facultate suam mentem plene explicandi, tempestive reprobat, praemo-

nito Ordinario, cuius interest, atque congrua remedia, si opportunum fuerit, adhibet;

3° curat denique, ne erroneis ac periculosis doctrinis, forte in populum christianum diffusis, apta confutatio desit.

ART. 52

Delicta contra fidem necnon graviora delicta tum contra mores tum in sacramentorum celebratione commissa, quae ipsi delata fuerint, cognoscit atque, ubi opus fuerit, ad canonicas sanctiones declarandas aut irrogandas ad normam iuris, sive communis sive proprii, procedit.

ART. 53

Eiusdem pariter est cognoscere, tum in iure tum in facto, quae privilegium fidei respiciunt.

ART. 54

Praevio eius iudicio subiciuntur documenta, ab aliis Curiae Romanae Dicasteriis edenda, quatenus doctrinam de fide vel moribus attingunt.

ART. 55

Apud Congregationem de Doctrina Fidei constitutae sunt Pontificia Commissio Biblica et Commissio Theologica Internationalis, quae iuxta proprias probatas normas agunt quibusque praeest Cardinalis eiusdem Congregationis Praefectus.

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

ART. 56

Congregatio ea cognoscit, quae, sive quoad personas sive quoad res, Ecclesias Orientales Catholicas respiciunt.

ART. 57

§ 1. Eiusdem ipso iure Membra sunt Patriarchae et Archiepiscopi Maiores Ecclesiarum Orientalium necnon Praeses Consilii ad Unitatem Christianorum fovendam.

§ 2. Consultores et Officiales ita seligantur, ut diversitatis rituum, quantum fieri potest, ratio habeatur.

ART. 58

§ 1. Huius Congregationis competentia ad omnia extenditur negotia, quae Ecclesiis Orientalibus sunt propria, quaeque ad Sedem Apostolicam deferenda sunt, sive quoad Ecclesiarum structuram et ordinationem, sive quoad munerum docendi, sanctificandi et regendi exercitium, sive quoad personas, earundem statum, iura ac obligationes. Omnia quoque explet, quae de relationibus quinquennalibus ac visitationibus ad limina ad normam artt. 31, 32 agenda sunt.

§ 2. Integra tamen manet propria atque exclusiva competentia Congregationum de Doctrina Fidei et de Causis Sanctorum, Paenitentiariae Apostolicae, Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae et Tribunalis Rotae Romanae, necnon Congregationis de Cultu divino et Disciplina Sacramentorum ad dispensationem pro matrimonio rato et non consummato quod attinet.

In negotiis, quae Ecclesiae Latinae fideles quoque attingunt, Congregatio procedat, si rei momentum id postulet, collatis consiliis cum Dicasterio in eadem materia pro fidelibus Latinae Ecclesiae competenti.

ART. 59

Congregatio sedula cura item prosequitur communitates Christifidelium orientalium in circumscriptionibus territorialibus Ecclesiae Latinae versantium, eorumque necessitatibus spiritualibus per Visitatores, immo, ubi numerus fidelium

atque adiuncta id exigant, quatenus fieri possit, etiam per propriam Hierarchiam consulit, collatis consiliis cum Congregatione pro constitutione Ecclesiarum particularium in eodem territorio competenti.

ART. 60

Actio apostolica et missionalis in regionibus, in quibus ritus orientales ab antiqua aetate praeponderant, ex hac Congregatione unice pendet, etiamsi a missionariis Latinae Ecclesiae peragatur.

ART. 61

Congregatio mutua ratione procedit cum Consilio ad Unitatem Christianorum Fovendam, in iis quae relationes cum Ecclesiis Orientalibus non catholicis respicere possunt necnon cum Consilio pro Dialogo inter Religiones, in materia quae ambitum eius tangit.

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

ART. 62

Congregatio ea agit quae, salva competentia Congregationis de Doctrina Fidei, ad Sedem Apostolicam pertinent quoad moderationem ac promotionem sacrae liturgiae, in primis Sacramentorum.

ART. 63

Sacramentorum disciplinam, praesertim quod attinet ad eorum validam et licitam celebrationem, fovet atque tuetur; gratias insuper atque dispensationes concedit, quae ad Episcoporum dioecesanorum facultates hac in regione non pertinent.

ART. 64

§ 1. Congregatio actionem pastoralem liturgicam, peculiari ratione ad Eucharisticam celebrationem quod attinet, efficacibus ac congruis mediis promovet;. Episcopis dioecesanis

adest, ut Christifideles sacram liturgiam magis in dies actuose participent.

§ 2. Textibus liturgicis conficiendis aut emendandis prospicit; recognoscit calendaria peculiaria atque Propria Missarum et Officiorum Ecclesiarum particularium necnon Institutorum, quae hoc iure fruuntur.

§ 3. Versiones librorum liturgicorum eorumque aptationes ab Episcoporum Conferentiis legitime paratas recognoscit.

ART. 65

Commissionibus vel Institutis ad apostolatum liturgicum vel musicam vel cantum vel artem sacram promovenda conditis favet et cum iis rationes habet; huiuscemodi consociationes, quae indolem internationalem prae se ferant, ad normam iuris erigit vel eorum statuta approbat ac recognoscit; conventus denique ex variis regionibus ad vitam liturgicam provehendam fovet.

ART. 66

Attente invigilat ut ordinationes liturgicae adamussim serventur, abusus praecaveantur iidemque, ubi deprehendantur, exstirpentur.

ART. 67

Huius Congregationis est cognoscere de facto inconsummationis matrimonii et de exsistentia iustae causae ad dispensationem concedendam. Ideoque acta omnia cum voto Episcopi et animadversionibus Defensoris Vinculi accipit et, iuxta peculiarem procedendi modum, perpendit atque, si casus ferat, Summo Pontifici petitionem ad dispensationem impetrandam subicit.

ART. 68

Ipsa competens quoque est in causis de nullitate sacrae ordinationis cognoscendis ad normam iuris.

ART. 69

Competens est quoad cultum sacrarum reliquiarum, confirmationem caelestium Patronorum et Basilicae minoris titulum concedendum.

ART. 70

Congregatio adiuvat Episcopos ut, praeter liturgicum cultum, preces necnon pia populi christiani exercitia, normis Ecclesiae plene congruentia, foveantur et in honore habeantur.

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

ART. 71

Congregatio ea omnia tractat, quae, secundum statutum iter, ad Servorum t)ei canonizationem perducunt.

ART. 72

§ 1. Episcopis dioecesanis, quibus causae instructio competit, peculiaribus normis necnon opportunis consiliis adest.

§ 2. Causas iam instructas perpendit, inquirens utrum omnia ad normam legis peracta sint. Causas ita recognitas funditus perscrutatur ad iudicium ferendum utrum constet de omnibus quae requiruntur, ut Summo Pontifici vota favorabilia subiciantur, secundum ante constitutos gradus causarum.

ART. 73

Ad Congregationem praeterea spectat cognoscere de Doctoris titulo Sanctis decernendo, praehabito voto Congregationis de Doctrina Fidei ad eminentem doctrinam quod attinet.

ART. 74

Eius insuper est de iis omnibus decernere, quae ad sacras Reliquias authenticas declarandas easdemque conservandas pertinent.

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

ART. 75

Congregatio ea cognoscit quae Ecclesiarum particularium constitutionem et provisionem necnon episcopalis muneris exercitium respiciunt in Ecclesia Latina, salva competentia Congregationis pro Gentium Evangelizatione.

ART. 76

Huius Congregationis est ea omnia agere, quae ad Ecclesiarum particularium earumque coetuum constitutionem, divisionem, unionem, suppressionem ceterasque immutationes spectant. Eius quoque est Ordinariatus Castrenses pro pastorali cura militum erigere.

ART. 77

Omnia agit quae attinent ad Episcoporum, etiam titularium, nominationem, et generatim ad provisionem Ecclesiarum particularium.

ART. 78

Quotiescumque cum rerum publicarum Moderatoribus tractandum est sive ad Ecclesiarum particularium earumque coetuum constitutionem aut immutationem, sive ad earum provisionem quod attinet, nonnisi collatis consiliis cum Sectione de rationibus cum Civitatibus Secretariae Status procedat.

ART. 79

Congregatio in ea insuper incumbit, quae rectum muneris pastoralis Episcoporum exercitium respiciunt, eis omnimodam operam praebendo; eius enim est, si opus fuerit, communi sententia cum Dicasteriis, quorum interest, visitationes apostolicas generales indicere earumque exitus, pari procedendi modo, perpendere et, quae inde opportune decernenda sint, Summo Pontifici proponere.

ART. 80

Ad hanc Congregationem pertinent ea omnia, quae ad Sanctam Sedem spectant circa Praelaturas personales.

ART. 81

Pro Ecclesiis particularibus suae curae concreditis Congregatio omnia procurat quae visitationes ad limina respiciunt; ideoque relationes quinquennales ad normam art. 32 perpendit. Episcopis Romam adeuntibus adest, praesertim ut sive congressio cum Summo Pontifice sive alia colloquia et peregrinationes apte disponantur. Expleta visitatione, conclusiones, eorum dioeceses respicientes, cum Episcopis dioecesanis scripto communicat.

ART. 82

Congregatio ea absolvit, quae ad celebrationem Conciliorum particularium necnon ad Episcoporum Conferentiarum erectionem atque earundem statutorum recognitionem attinent; acta huiusmodi coetuum recipit atque decreta, quae recognitione egent, collatis consiliis cum Dicasteriis, quorum interest, recognoscit.

PONTIFICIA COMMISSIO PRO AMERICA LATINA

ART. 83

§ 1. Commissionis munus est Ecclesiis particularibus in America Latina tum consilio tum opere adesse, studio quoque incumbere quaestionibus, quae vitam ac profectum ipsarum Ec^ clesiarum respiciunt, praesertim ut sive Curiae Dicasteriis, quorum ratione competentiae interest, sive ipsis Ecclesiis in huiusmodi quaestionibus solvendis, auxilio sit.

§ 2. Ipsius quoque est fovere rationes inter ecclesiastica instituta internationalia et nationalia, quae pro Americae Latinae Regionibus adlaborant, et Curiae Romanae Dicasteria.

ART. 84

§ 1. Praeses Commissionis est Praefectus Congregationis pro Episcopis, qui ab Episcopo vices Praesidis agente adiuvatur.

Ipsis adsunt tamquam Consiliarii nonnulli Episcopi sive ex Curia Romana sive ex Americae Latinae Ecclesiis adlecti.

§ 2. Commissionis Membra sive ex Curiae Romanae Dicasteriis sive ex Consilio Episcopali Latino-Americano tum ex Episcopis Regionum Americae Latinae tum ex Institutis, de quibus in praecedenti articulo, seliguntur.

§ 3. Commissio proprios habet Administros.

CONGREGATIO
PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

ART. 85

Ad Congregationem spectat dirigere et coordinare ubique terrarum ipsum opus gentium evangelizationis et cooperationem missionariam, salva Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus competentia.

ART. 86

Congregatio promovet investigationes theologiae, spiritualitatis ac rei pastoralis missionariae, pariterque proponit principia, normas necnon operandi rationes, necessitatibus temporum locorumque accomodata, quibus evangelizatio peragatur.

ART. 87

Congregatio adnititur ut Populus Dei, spiritu missionario imbutus atque sui officii conscius, precibus, testimonio vitae, actuositate et subsidiis ad opus missionale efficaciter collaboret.

ART. 88

§ 1. Vocationes missionarias sive clericales sive religiosas sive laicales suscitandas curat atque missionariorum aptae distributioni consulit.

§ 2. In territoriis sibi subiectis, ipsa pariter curat cleri saecularis atque catechistarum institutionem, salva competentia Congregationis de Seminariis atque Studiorum Institutis, ad generalem studiorum rationem necnon ad Universitates ceteraque studiorum superiorum Instituta quod attinet.

ART. 89

Eidem subsunt territoria missionum, quarum evangelizationem idoneis Institutis, Societatibus necnon Ecclesiis particularibus committit, et pro quibus ea omnia agit, quae sive ad circumscriptiones ecclesiasticas erigendas vel immutandas, sive ad Ecclesiarum provisionem pertinent ceteraque absolvit, quae Congregatio pro Episcopis intra suae competentiae ambitum exercet.

ART. 90

§ 1; Quod vero attinet ad sodales Institutorum vitae consecratae, in territoriis missionum erectorum aut ibi laboran-

tium, Congregatio competentia gaudet in iis, quae ipsos qua missionarios sive singulos sive simul sumptos attingunt, firmo praescripto art. 21 § 1.

§ 2. Huic Congregationi subiciuntur Societates vitae apostolicae pro missionibus erectae.

ART. 91

Ad cooperationem missionalem fovendam, etiam per efficacem collectionem et aequam distributionem subsidiorum, ipsa utitur praesertim Pontificiis Operibus Missionalibus, videlicet eis quae a Propagatione Fidei, a S. Petro Apostolo, a S. Infantia nomen ducunt atque Pontificia Unione Missionali Cleri.

ART. 92

Congregatio proprium aerarium aliaque bona missionibus destinata per peculiare officium administrat, firmo onere reddendi debitam rationem Praefecturae Rerum Oeconomicarum Sanctae Sedis.

CONGREGATIO PRO CLERICIS

ART. 93

Congregatio, firmo iure Episcoporum eorumque Conferentiarum, ea cognoscit, quae presbyteros et diaconos Cleri saecularis respiciunt tum quoad personas, tum quoad pastorale ministerium, tum quoad res, quae ad hoc exercendum iis praesto sunt, atque in hisce omnibus opportuna auxilia Episcopis praebet.

ART. 94

Institutionem religiosam Christifidelium cuiuscumque aetatis et condicionis pro suo munere promovendam curat; opportunas normas praebet, ut lectiones catecheseos recta ratione

tradantur; catecheticae institutioni rite impertiendae invigilat; praescriptam Sanctae Sedis approbationem pro catechismis aliisque scriptis ad institutionem catecheticam pertinentibus, de assensu Congregationis de Doctrina Fidei, concedit; officiis catecheticis atque inceptis ad religiosam institutionem spectantibus et indolem internationalem prae se ferentibus adest, eorum navitatem coordinat iisque auxilia, si opus fuerit, praestat.

ART. 95

§ 1. Competens est ad clericorum vitam, disciplinam, iura atque obligationes quod spectat.

§ 2. Aptiori presbyterorum distributioni consulit.

§ 3. Permanentem clericorum formationem fovet, praesertim quod attinet ad ipsorum sanctificationem et ad pastorale ministerium fructuose exercendum, potissimum circa dignam verbi Dei praedicationem.

ART. 96

Huius Congregationis est tractare ea omnia, quae ad statum clericalem qua talem attinent, omnibus clericis, religiosis non exceptis, collatis consiliis cum Dicasteriis quorum interest, ubi res id requirat.

ART. 97

Congregatio ea agit, quae Sanctae Sedi competunt:

1. sive circa consilia presbyteralia, consultorum coetus, canonicorum capitula, consilia pastoralia, paroecias, ecclesias, sanctuaria, sive circa clericorum consociationes, sive circa ecclesiastica archiva seu tabularía;

2. circa onera Missarum necnon pias voluntates in genere et pias fundationes.

ART. 98

Congregatio ea omnia exercet, quae ad bonorum ecclesiasticorum moderamen ad Sanctam Sedem pertinent, et praesertim ad rectam eorundem bonorum administrationem atque necessarias approbationes vel recognitiones concedit; praeterea prospicit ut clericorum sustentationi ac sociali securitati consulatur.

PONTIFICIA COMMISSIO DE PATRIMONIO ARTIS ET HISTORIAE CONSERVANDO

ART. 99

Apud Congregationem pro Clericis Commissio exstat, cuius officium est curae patrimonii historiae et artis totius Ecclesiae praeesse.

ART. 100

Ad hoc patrimonium pertinent imprimis omnia cuiusvis artis opera temporis praeteriti, quae summa diligentia custodiri et conservari oportet. Ea autem quorum usus proprius cessaverit, apto modo in Ecclesiae musaeis vel aliis in locis spectabilia asserventur.

ART. 101

§ 1. Inter bona historica eminent omnia documenta et instrumenta, quae vitam et curam pastoralem necnon iura et obligationes dioecesium, paroeciarum, ecclesiarum aliarumque personarum iuridicarum in Ecclesia conditarum respiciunt et testificantur.

§ 2. Hoc patrimonium historicum in tabulariis seu archivis vel etiam bibliothecis custodiatur, quae ubique competentibus curatoribus committantur, ne huiusmodi testimonia pereant.

ART. 102

Commissio Ecclesiis particularibus et Episcoporum coetibus adiutorium praebet et una cum iis, si casus ferat, agit, ut musaea, tabularía et bibliothecae constituantur atque collectio et custodia totius patrimonii artis et historiae in toto territorio apte ad effectum adducatur et omnibus, quorum interest, praesto sit.

ART. 103

Eiusdem Commissionis est, collatis consiliis cum Congregationibus de Seminariis atque Studiorum Institutis et de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, adlaborare ut Populus Dei magis magisque conscius fiat momenti et necessitatis patrimonium historiae et artis Ecclesiae conservandi.

ART. 104

Eidem praeest Cardinalis Praefectus Congregationis pro Clericis, eiusdem commissionis Secretario adiuvante. Commissio praeterea proprios habet administros.

CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE

ART. 105

Congregationis munus praecipuum est praxim consiliorum evangelicorum, prout in probatis formis vitae consecratae exercetur, et insimul actuositatem Societatum vitae apostolicae in universa Ecclesia Latina promovere et moderari.

ART. 106

§ 1. Congregatio proinde Instituta religiosa et saecularia necnon Societates vitae apostolicae erigit, approbat aut iudicium fert de opportunitate eorum erectionis ab Episcopo dioecesano faciendae. Ipsi quoque pertinet huiusmodi Instituta et Societates, si necesse fuerit, supprimere.

§ 2. Eidem etiam competit Institutorum et Societatum uniones vel foederationes constituere aut, si oportuerit, rescindere.

ART. 107

Congregatio pro sua parte curat, ut Instituta vitae consecratae ac .Societates vitae apostolicae secundum spiritum Fundatorum et sanas traditiones crescant et floreant, finem proprium fideliter persequantur atque salvificae missioni Ecclesiae reapse prosint.

ART. 108

§ 1. Ea omnia absolvit, quae ad normam iuris pertinent ad Sanctam Sedem de vita et industria Institutorum et Societatum praesertim de constitutionum approbatione, regimine et apostolatu, sodalium cooptatione et institutione eorum iuribus et obligationibus, votorum dispensatione et sodalium dimissione atque etiam bonorum administratione.

§ 2. Ad ordinationem autem studiorum philosophiae et theologiae necnon ad studia academica quod attinet competens est Congregatio de Seminariis atque Studiorum Institutis.

ART. 109

Eiusdem Congregationis est Conferentias Superiorum maiorum religiosorum religiosarumque erigere, earundem statuta approbare necnon invigilare ut ipsarum actio ad fines proprios assequendos ordinetur.

ART. 110

Congregationi etiam subiciuntur vita eremitica, ordo virginum harumque consociationes ceteraeque formae vitae consecratae.

ART. 111

Ipsius competentia amplectitur quoque Tertios Ordines necnon consociationes fidelium, quae eo animo eriguntur ut, praevia praeparatione, Instituta vitae consecratae vel Societates vitae apostolicae aliquando evadant.

CONGREGATIO DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS

ART. 112

Congregatio exprimit atque exercet Sedis Apostolicae sollicitudinem circa eorum formationem, qui ad sacros ordines vocantur, necnon circa promotionem et ordinationem institutionis catholicae.

ART. 113

§ 1. Episcopis adest, ut in eorum Ecclesiis vocationes ad sacra ministeria quam maxime colantur atque in Seminariis, ad normam iuris constituendis ac gerendis, alumni solida formatione tum humana ac spirituali, tum doctrinali et pastorali apte edoceantur.

§ 2. Sedulo invigilat ut seminariorum convictus regimenque rationi institutionis sacerdotalis plene respondeant atque superiores ac magistri exemplo vitae ac recta doctrina ad formandas personas sacrorum ministrorum quam maxime conferant.

§ 3. Eius praeterea est seminaria interdioecesana erigere eorumque statuta approbare.

ART. 114

Congregatio adnititur, ut fundamentalia principia de catholica educatione prout ab Ecclesiae Magisterio proponuntur altius usque investigentur, vindicentur atque a Populo Dei cognoscantur.

Ea pariter curat, ut in hac materia Christifideles sua officia implere possint ac dent operam et nitantur ut etiam civilis societas ipsorum iura agnoscat atque tueatur.

ART. 115

Congregatio normas statuit, quibus schola catholica regatur; Episcopis dioecesanis adest, ut scholae catholicae ubi fieri potest, constituantur, et summa sollicitudine foveantur utque in omnibus scholis educatio catechetica et pastoralis cura alumnis Christifidelibus per opportuna incepta praebeantur.

ART. 116

§ 1. Congregatio vires impendit, ut Universitatum ecclesiasticarum et catholicarum ceterorumque studiorum Institutorum sufficiens copia in Ecclesia habeatur, in quibus sacrae disciplinae altius investigentur necnon humanitatis scientiaeque cultus, habita christianae veritatis ratione, promoveatur et Christifideles ad propria munera implenda apte formentur.

§ 2. Universitates et Instituta ecclesiastica erigit aut approbat, eorum statuta rata habet, supremam moderationem in eis exercet atque invigilat, ut catholicae fidei integritas in tradendis doctrinis servetur.

§ 3. Ad Universitates Catholicas quod attinet, ea agit quae Sanctae Sedi competunt.

§ 4. Cooperationem mutuumque adiutorium inter Studiorum Universitates earumque consociationes fovet iisdemque praesidio est.

IV

TRIBUNALIA

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

ART. 117

Paenitentiariae Apostolicae competentia ad ea se refert, quae forum internum necnon indulgentias respiciunt.

ART. 118

Pro foro interno, tum sacramentali tum non sacramentali, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes aliasque gratias eadem largitur.

ART. 119

Ipsa prospicit ut in Patriarchalibus Urbis Basilicis Paenitentiarii sufficienti numero habeantur, opportunis facultatibus praediti.

ART. 120

Eidem Dicasterio committuntur ea, quae spectant ad concessionem et usum indulgentiarum, salvo iure Congregationis de Doctrina Fidei ea videndi, quae doctrinam dogmaticam circa easdem respiciunt.

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

ART. 121

Hoc Dicasterium, praeter munus, quod exercet, Supremi Tribunalis, consulit ut iustitia in Ecclesia recte administretur.

ART. 122

Ipsum cognoscit:

1° querelas nullitatis et petitiones restitutionis in integrum contra sententias Rotae Romanae;

2° recursus, in causis de statu personarum, adversus denegatum a Rota Romana novum causae examen;

3° exceptiones suspicionis aliasque causas contra Iudices Rotae Romanae propter acta in exercitio ipsorum muneris;

4° conflictus competentiae inter tribunalia, quae non subiciuntur eidem tribunali appellationis.

ART. 123

§ 1. Praeterea cognoscit de recursibus, intra terminum peremptorium triginta dierum utilium interpositis, adversus actus administrativos singulares sive a Dicasteriis Curiae Romanae latos sive ab ipsis probatos, quoties contendatur num actus impugnatus legem aliquam in decernendo vel in procedendo violaverit.

§ 2. In his casibus, praeter iudicium de illegitimitate, cognoscere etiam potest, si recurrens id postulet, de reparatione damnorum actu illegitimo illatorum.

§ 3. Cognoscit etiam de aliis controversiis administrativis, quae a Romano Pontifice vel a Romanae Curiae Dicasteriis ipsi deferantur necnon de conflictibus competentiae inter eadem Dicasteria.

ART. 124

Ipsius quoque est:

I° rectae administrationi iustitiae invigilare et in advocatos vel procuratores, si opus sit, animadvertere;

2° videre de petitionibus Sedi Apostolicae porrectis ad obtinendam causae commissionem apud Rotam Romanam, vel aliam gratiam relative ad iustitiam administrandam;

3° tribunalium inferiorum competentiam prorogare;

4° approbationem Tribunalis quoad appellationem Sanctae Sedi reservatam concedere necnon promovere et approbare erectionem tribunalium interdioecesanorum.

ART. 125

Signatura Apostolica lege propria regitur.

TRIBUNAL ROTAE ROMANAE

ART. 126

Hoc Tribunal instantiae superioris partes apud Apostolicam Sedem pro more in gradu appellationis agit ad iura in Ecclesia tutanda, unitati iurisprudentiae consulit et, per proprias sententias, tribunalibus inferioribus auxilio est.

ART. 127

Huius Tribunalis Iudices, probata doctrina et experientia pollentes atque e variis terrarum orbis partibus a Summo Pontifice selecti, collegium constituunt; eidem Tribunali praeest Decanus ad certum tempus a Summo Pontifice ex ipsis Iudicibus pariter nominatus.

ART. 128

Hoc Tribunal iudicat:

1° in secunda instantia, causas ab ordinariis tribunalibus primae instantiae diiudicatas, quae ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferuntur;

2° in tertia vel ulteriore instantia, causas ab eodem Tribunali Apostolico et ab aliis quibusvis tribunalibus iam cognitas, nisi in rem iudicatam transierint.

ART. 129

§ 1. Idem vero in prima instantia iudicat:

1° Episcopos in contentiosis, modo ne agatur de iuribus aut bonis temporalibus personae iuridicae ab Episcopo repraesentatae;

2° Abbates primates, vel Abbates superiores congregationis monasticae et supremos Moderatores Institutorum religiosorum iuris pontificii;

3° dioeceses ceterasve personas ecclesiasticas, sive physicas sive iuridicas, quae superiorem infra Romanum Pontificem non habent;

4° causas quas Romanus Pontifex eidem Tribunali commiserit.

§ 2. Easdem causas, nisi aliter cautum sit, etiam in secunda et ulteriore instantia agit.

ART. 130

Tribunal Rotae Romanae lege propria regitur.

V

PONTIFICIA CONSILIA

PONTIFICIUM CONSILIUM PRO LAICIS

ART. 131

Consilium competens est in iis, quae ad Sedem Apostolicam pertinent in laicorum apostolatu promovendo et coordinando atque, universim, in iis, quae vitam christianam laicorum qua talium respiciunt.

ART. 132

Praesidi adest coetus praesidialis ex Cardinalibus et Episcopis constans; inter membra Consilii potissimum adnumerantur Christifideles in variis actuositatis provinciis versantes.

ART. 133

§ 1. Eius est incitare et sustinere laicos ut vitam et missionem Ecclesiae modo sibi proprio participent, sive singuli, sive in consociationibus, praesertim ut ipsorum peculiare officium impleant rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuendi.

§ 2. Laicorum cooperationem fovet in cathechetica institutione, in vita liturgica et sacramentali atque in operibus misericordiae, caritatis et promotionis socialis.

§ 3. Idem prosequitur et moderatur conventus internationales aliaque incepta, quae ad apostolatum laicorum attinent.

ART. 134

Consilium ea omnia intra ambitum propriae competentiae agit, quae ad consociationes laicales christifidelium spectant; eas vero, quae internationalem indolem habent, erigit earumque statuta approbat vel recognoscit, salva competentia Secretariae Status; quoad Tertios Ordines saeculares ea tantum curat, quae ad eorum apostolicam operositatem pertinent.

PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM

ART. 135

Consilii munus est per opportuna incepta et navitates operi oecumenico incumbere ad unitatem inter christianos redintegrandam.

ART. 136

§ 1. Curat ut decreta Concilii Vaticani II quae ad rem oecumenicam pertinent, ad usum traducantur.

Agit de recta interpretatione principiorum de oecumenismo eaque exsecutioni mandat.

§ 2. Coetus catholicos tum nationales tum internationales christianorum unitatem promoventes fovet, colligit atque coordinat eorumque inceptis invigilat.

§ 3. Rebus ad Summum Pontificem prius delatis, rationes curat cum fratribus Ecclesiarum et communitatum ecclesialium, plenam communionem cum Ecclesia catholica nondum habentium, ac praesertim dialogum et colloquia ad unitatem cum ipsis fovendam instituit, peritis doctrina theologica probe instructis opem ferentibus. Observatores catholicos deputat pro conventibus christianis atque invitat aliarum Ecclesiarum et communitatum ecclesialium observatores ad conventus catholicos, quoties id opportunum videatur.

ART. 137

§ 1. Cum materia ab hoc Dicasterio tractanda suapte natura saepe quaestiones fidei tangat, ipsum oportet procedat arcta coniunctione cum Congregatione de Doctrina Fidei, praesertim cum agitur de publicis documentis aut declarationibus edendis.

§ 2. In gerendis autem maioris momenti negotiis, quae Ecclesias seiunctas Orientis respiciunt, prius audiat oportet Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus.

ART. 138

Apud Consilium exstat Commissio ad res investigandas atque tractandas, quae Iudaeos sub respectu religioso attingunt; eam eiusdem Consilii Praeses moderatur.

PONTIFICIUM CONSILIUM PRO FAMILIA

ART. 139

Consilium pastoralem familiarum curam promovet, earumque iura dignitatemque in Ecclesia et in civili societate fovet, ut ipsae munera sibi propria aptius usque implere valeant.

ART. 140

Praesidi adest Coetus praesidialis, ex Episcopis constans; in Consilium potissimum cooptantur laici viri mulieresque, praesertim coniugio iuncti, ex variis terrarum orbis partibus.

ART. 141

§ 1. Consilium Ecclesiae doctrinam de familia penitius cognoscendam et apta catechesi divulgandam curat; studia praecipue de matrimonii ac familiae spiritualitate fovet.

§ 2. Idem satagit ut, conspirans cum Episcopis eorumque Conferentiis, humanae socialesque instituti familiaris in variis regionibus condiciones accurate cognoscantur, pariterque incepta, quae rem pastoralem familiarem adiuvant, in communem perferantur notitiam.

§ 3. Adnititur ut iura familiae, etiam in vita sociali et politica, agnoscantur et defendantur; incepta quoque ad humanam vitam inde a conceptione tuendam et ad procreationem responsabilem fovendam sustinet atque coordinat.

§ 4. Firmo praescripto art. 133, navitatem persequitur institutorum atque consociationum, quibus propositum est familiae bono inservire.

PONTIFICIUM CONSILIUM DE IUSTITIA ET PACE

ART. 142

Consilium eo spectat, ut iustitia et pax in mundo secundum Evangelium et socialem Ecclesiae doctrinam promoveantur.

ART. 143

§ 1. Socialem Ecclesiae doctrinam altius pervestigat, data opera ut ipsa late diffundatur et apud homines communitatesque in usum vitae deducatur, praesertim quod spectat ad rationes inter opifices et conductores operis, spiritu Evangelii magis magisque imbuendas.

§ 2. Notitias et inquisitiones de iustitia et pace, de populorum progressione et de hominum iurium laesionibus in unum colligit, perpendit atque exinde deductas conclusiones pro opportunitate cum Episcoporum coetibus communicat; rationes fovet cum catholicis internationalibus consociationibus

aliisque institutis etiam extra Ecclesiam catholicam exstantibus, quae ad iustitiae pacisque bona in mundo consequenda sincere contendunt.

§ 3. Operam impendit ut inter populos sentiendi ratio de pace fovenda formetur, praesertim occasione oblata *Diei Pacis in mundo provehendae.*

ART. 144

Peculiares necessitudines cum Secretaria Status habet, praesertim quotiescumque per documenta vel per enuntiationes in rebus de iustitia et pace publice agendum est.

PONTIFICIUM CONSILIUM « COR UNUM »

ART. 145

Consilium Ecclesiae Catholicae sollicitudinem erga egentes ostendit., ut humana fraternitas foveatur et caritas Christi manifestetur.

ART. 146

Consilii munus est:

I° Christifideles incitare ad evangelicae caritatis testimonium praebendum, utpote ipsam Ecclesiae missionem participantes, eosque in hac cura sustinere;

2° incepta catholicorum institutorum fovere et coordinare, quae egentibus populis adiuvandis incumbunt, ea praesertim quae urgentioribus angustiis et calamitatibus succurrunt, faciliores que reddere institutorum catholicorum necessitudines cum publicis internationalibus consiliis, quae in eodem beneficentiae et progressionis campo operantur;

3° consilia atque mutuae navitatis fraternique auxilii opera studio prosequi atque promovere, quae humano profectui inserviunt.

ART. 147

Huius Consilii Praeses idem est ac Praeses Pontificii Consilii pro Iustitia et Pace, qui curat ut utriusque Instituti actuositas arcta coniunctione procedat.

ART. 148

Inter Consilii membra viri etiam et mulieres cooptantur, qui catholicorum beneficentiae institutorum veluti partes agant quo efficacius proposita Consilii ad effectum deducantur.

PONTIFICIUM CONSILIUM DE SPIRITUALI MIGRANTIUM ATQUE ITINERANTIUM CURA

ART. 149

Consilium pastoralem Ecclesiae sollicitudinem convertit ad peculiares necessitates eorum, qui patrium solum relinquere coacti sint vel eo penitus careant; itemque quaestiones, ad haec attinentes, accommodato studio perpendendas curat.

ART. 150

§ 1. Consilium dat operam, ut in Ecclesiis particularibus efficax propriaque cura spiritualis, etiam, si res ferat, per congruas pastorales structuras, praebeatur sive profugis et exsulibus, sive migrantibus, nomadibus et circensem artem exercentibus.

§ 2. Fovet pariter apud easdem Ecclesias pastoralem sollicitudinem pro maritimis sive navigantibus sive in portibus, praesertim per Opus Apostolatus Maris, cuius supremam moderationem exercet.

§ 3. Eandem sollicitudinem adhibet iis, qui in aëroportibus vel in ipsis aëronavibus officia exercent vel opus faciunt.

§ 4. Adnititur, ut populus christianus, praesertim occasione oblata celebrationis *Diei universalis pro migrantibus atque exsulibus,* conscientiam eorum necessitatum sibi comparet atque proprium fraternum animum erga eos efficaciter manifestet.

ART. 151

Adlaborat ut itinera pietatis causa vel studio discendi vel ad relaxationem suscepta ad moralem religiosamque Christifidelium formationem conferant atque Ecclesiis particularibus adest ut omnes qui exinde extra proprium domicilium versantur, apta animarum cura frui possint.

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE APOSTOLATU
PRO VALETUDINIS ADMINISTRIS

ART. 152

Consilium sollicitudinem Ecclesiae pro infirmis ostendit adiuvando eos qui ministerium implent erga aegrotantes dolentesque, ut misericordiae apostolatus, quem exercent, novis postulationibus aptius usque respondeat.

ART. 153

§ 1. Consilii est Ecclesiae doctrinam diffundere circa spirituales et morales infirmitatis aspectus necnon humani doloris significationem.

§ 2. Ecclesiis particularibus adiutricem operam praebet, ut valetudinis administri spirituali cura iuventur in sua navi-

tate secundum christianam doctrinam explenda, ac praeterea ne iis, qui in hoc ambitu pastoralem actionem gerunt, apta subsidia ad proprium exsequendum opus desint.

§ 3. Idem studii actionisque operi favet, quod sive Consociationes Internationales Catholicae sive alia instituta in hoc campo variis modis navant.

§ 4. Intento animo novitates in legibus et scientiis circa valetudinem prosequitur eo consilio, ut in opera pastorali Ecclesiae earum opportuna ratio habeatur.

PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

ART. 154

Consilii munus in legibus Ecclesiae interpretandis praesertim consistit.

ART. 155

Consilio competit Ecclesiae legum universalium interpretationem authenticam pontificia auctoritate firmatam proferre, auditis in rebus maioris momenti Dicasteriis, ad quae res ratione materiae pertinet.

ART. 156

Hoc Consilium ceteris Romanis Dicasteriis praesto est ad illa iuvanda eo proposito ut decreta generalia exsecutoria et instructiones ab iisdem edendae iuris vigentis praescriptis congruant et recta forma iuridica exarentur.

ART. 157

Eidem insuper subicienda sunt a Dicasterio competenti pro recognitione decreta generalia Episcoporum coetuum ut examinentur ratione habita iuridica.

ART. 158

Iis quorum interest postulantibus, decernit utrum leges particulares et generalia decreta, a legislatoribus infra supremam auctoritatem lata, universalibus Ecclesiae legibus consentanea sint necne.

PONTIFICIUM CONSILIUM PRO DIALOGO INTER RELIGIONES

ART. 159

Consilium fovet et moderatur rationes cum membris coetibusque religionum, quae christiano nomine non censentur, necnon cum iis, qui sensu religioso quocumque modo potiuntur.

ART. 160

Consilium operam dat, ut dialogus cum asseclis aliarum religionum apte conseratur, aliasque rationes cum ipsis fovet; opportuna studia et conventus promovet ut mutua notitia atque aestimatio habeantur, necnon hominis dignitas eiusque spiritualia et moralia bona consociata opera provehantur; formationi eorum consulit, qui in huiusmodi dialogum incumbunt.

ART. 161

Cum subiecta materia id requirit, in proprio munere exercendo collatis consiliis procedat oportet cum Congregatione de Doctrina Fidei, et, si opus fuerit, cum Congregationibus de Ecclesiis Orientalibus et pro Gentium Evangelizatione.

ART. 162

Apud Consilium exstat Commissio ad rationes cum Musulmanis sub religioso respectu fovendas, moderante eiusdem Consilii Praeside.

PONTIFICIUM CONSILIUM PRO DIALOGO CUM NON CREDENTIBUS

ART. 163

Consilium pastoralem Ecclesiae sollicitudinem manifestat erga eos qui Deo non credunt vel nullam religionem profitentur.

ART. 164

Studium promovet atheismi necnon fidei religionisque defectus, eorum causas atque consecutiones inquirendo ad christianam fidem quod attinet, eo proposito, ut apta auxilia pastorali actioni comparentur, operam potissimum ferentibus catholicis studiorum Institutis.

ART. 165

Dialogum instituit cum atheis et non credentibus, quoties hi sincerae cooperationi assentiantur; studiorum de hac materia coetibus per veré peritos interest.

PONTIFICIUM CONSILIUM DE CULTURA

ART. 166

Consilium rationes fovet inter Sanctam Sedem et humani cultus provinciam, praesrtim colloquium cum variis nostri temporis Institutis scientiae et doctrinae provehendo, ut civilis cultus magis magisque Evangelio aperiatur atque scientiarum, litterarum, artiumque cultores se ad veritatem, bonitatem et pulchritudinem ab Ecclesia vocari sentiant.

ART. 167

Consilium structuram habet peculiarem, in qua, una cum Praeside, adsunt Coetus praesidialis aliusque coetus cultorum variarum disciplinarum ex pluribus orbis terrarum regionibus.

ART. 168

Consilium apta incepta ad culturam attinentia per se suscipit; ea, quae a variis Ecclesiae Institutis capiuntur, persequitur atque ipsis, quatenus opus fuerit, adiutricem operam praebet. Collatis autem consiliis cum Secretaria Status attendit ad agendi rationes, quas ad humanum cultum fovendum Civitates et internationalia Consilia susceperint, atque in culturae ambitu praecipuis coetibus pro opportunitate interest et congressiones fovet.

PONTIFICIUM CONSILIUM DE COMMUNICATIONIBUS SOCIALIBUS

ART. 169

§ 1. Consilium in quaestionibus ad communicationis socialis instrumenta attinentibus versatur, eo consilio ut etiam per ea salutis nuntium et humana progressio ad civilem cultum moresque fovendos provehantur.

§ 2. In suis muneribus explendis arcta coniunctione cum Secretaria Status procedat oportet.

ART. 170

§ 1. Consilium in praecipuum munus incumbit tempestive accommodateque suscitandi ac sustinendi Ecclesiae et Christifidelium actionem in multiplicibus socialis communicationis formis; operam dandi ut sive diaria aliaque periodica scripta, sive cinematographica spectacula, sive radiophonicae ac televisificae emissiones humano et christiano spiritu magis magisque imbuantur.

§ 2. Peculiari sollicitudine prosequitur catholicas ephemerides, periodicas scriptiones, stationes radiophonicas atque televisificas, ut propriae indoli ac muneri reapse respondeant, praesertim Ecclesiae doctrinam, prout a Magisterio proponitur, evulgando, atque religiosos nuntios recte fideliterque diffundendo.

§ 3. Necessitudinem fovet cum catholicis consociationibus, quae communicationibus socialibus dant operam.

§ 4. Curat ut populus christianus, praesertim occasione data celebrationis *Diei communicationum socialium* conscius fiat officii, quo unusquisque tenetur, adlaborandi ut huiusmodi instrumenta pastorali Ecclesiae missioni praesto sint.

VI
OFFICIA

CAMERA APOSTOLICA

ART. 171

§ 1. Camera Apostolica, cui praeficitur Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarius, iuvante Vice-C amer ario una cum ceteris Praelatis Cameralibus, munera praesertim gerit, quae ipsi peculiari lege de vacante Sede Apostolica tribuuntur.

§ 2. Sede Apostolica vacante, Cardinali Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario ius est et officium, etiam per suum delegatum, ab omnibus Administrationibus, quae e Sancta Sede pendent, relationes exposcere de earum statu patrimoniali et oeconomico itemque notitias de extraordinariis negotiis, quae tunc forte aguntur, et a Praefectura Rerum Oeconomicarum Sanctae Sedis generales computationes accepti et expensi anni superioris nec non praevias aestimationes pro anno subsequente; has autem relationes et computationes Cardinalium Collegio subiciendi officio tenetur.

ADMINISTRATIO PATRIMONII SEDIS APOSTOLICAE

ART. 172

Huic officio competit bona Sanctae Sedis propria administrare, quae eo destinantur, ut sumptus ad Curiae Romanae munera explenda necessarii suppeditentur.

ART. 173

Eidem Cardinalis praeest, cui Patrum Cardinalium coetus adest, idemque duabus sectionibus, Ordinaria atque Extraordinaria, constat, sub moderamine Praelati Secretarii.

ART. 174

Sectio Ordinaria bona administrat, quorum cura ipsi credita est, in consilium vocatis, si opus fuerit, etiam peritis; et perpendit quae ad statum iuridicum-oeconomicum ministrorum Sanctae Sedis attinent; institutis sub ipsius administratoria moderatione exstantibus invigilat; prospicit ut omnia apparentur, quae ordinaria Dicasteriorum navitas ad proprios fines assequendos requirit; rationes accepti et expensi habet atque pecuniae dandae et recipiendae sive computationem pro anno elapso sive pro subsequenti anno aestimationem conficit.

ART. 175

Extraordinaria Sectio peculiaria bona mobilia administrat, et mobilium bonorum procurationem agit, quae a ceteris Sanctae Sedis Institutis eidem committuntur.

PRAEFECTURA RERUM OECONOMICARUM SANCTAE SEDIS

ART. 176

Praefecturae munus competit moderandi et gubernandi bonorum administrationes, quae a Sancta Sede pendent vel quibus ipsa praeest, quaecumque est autonomia qua forte gaudeant.

ART. 177

Eidem praeest Cardinalis cui adest coetus Cardinalium, quorum unus Praesidis munere fungitur, iuvantibus Praelato Secretario et Ratiocinatore Generali.

ART. 178

§ 1. Perpendit sive relationes de statu patrimoniali et oeconomico sive rationes accepti atque expensi tum annualium sumptuum praeviam tum subsequentem administrationum de quibus agit art. **176,** libros et documenta, si opus fuerit, inspiciendo.

§ 2. Generalem computationem, sive ad praeviam sumptuum aestimationem sive ad rationem expensae pecuniae Sanctae Sedis quod attinet, apparat, eandemque tempore statuto Superiori Auctoritati approbandam subicit.

ART. 179

§ 1. Nummariis administrationum inceptis invigilat; sententiam de operum maioris momenti adumbrationibus fert.

§ 2. Cognoscit de damnis patrimonio Sanctae Sedis quomodocumque illatis, ad actiones poenales vel civiles, si opus fuerit, competentibus tribunalibus proponendas.

VII
CETERA CURIAE ROMANAE INSTITUTA

PRAEFECTURA PONTIFICALIS DOMUS

ART. 180

Praefectura ordinem internum ad Pontificalem Domum spectantem respicit, atque iis omnibus sive clericis sive laicis moderatur, ad disciplinam et servitium quod attinet, qui Cappellani et Familiam Pontificiam constituunt.

ART. 181

§ 1. Summo Pontifici adest sive in Palatio Apostolico sive cum Ipse in Urbem vel in Italiam iter facit.

§ 2. Ordinationi et processui studet Caeremoniarum Pontificalium, extra partem stricte liturgicam, quae ab Officio Liturgicis Celebrationibus Summi Pontificis praeposito absolvitur; praecedentiae ordinem attribuit.

§ 3. Admissiones publicas privatasque coram Pontifice disponit, collatis consiliis, quoties rerum natura id postulet, cum Secretaria Status, qua moderante ea ordinat, quae servanda sunt, cum ab ipso Romano Pontifice coram sollemniter admittuntur supremi populorum Moderatores, Nationum Legati, Civitatum Ministri, Publicae Auctoritates ceteraeque personae atque dignitate insignes.

OFFICIUM DE LITURGICIS CELEBRATIONIBUS SUMMI PONTIFICIS

ART. 182

§ 1. Ipsius est ea quae necessaria sunt ad liturgicas aliasque sacras celebrationes, quae a Summo Pontifice aut Eius nomine peraguntur, parare easque, iuxta vigentia iuris liturgici praescripta, moderari.

§ 2. Magister pontificiarum Celebrationum Liturgicarum a Summo Pontifice ad quinquennium nominatur; caeremoniarii pontificii, qui eum in sacris celebrationibus adiuvant, a Secretario Status pariter ad idem tempus nominantur.

VIII

ADVOCATI

ART. 183

Praeter Romanae Rotae Advocatos et Advocatos pro causis Sanctorum, Album adest Advocatorum, qui habiles sunt, rogatu eorum quorum interest, ut patrocinium causarum apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal suscipiant necnon, in recursibus hierarchicis apud Dicasteria Curiae Romanae, operam suam praestent.

ART. 184

A Cardinali Secretario Status, audita commissione stabiliter ad hoc constituta, candidati in Albo inscribi possunt, qui congrua praeparatione, aptis titulis academicis comprobata, simulque vitae christianae exemplo, morum honestate ac rerum agendarum peritia commendentur. Quibus requisitis forte postea deficientibus, ex Albo expungendi sunt.

ART. 185

§ 1. Ex Advocatis praesertim in Albo adscriptis Corpus Sanctae Sedis Advocatorum constituitur, qui patrocinium causarum, nomine Sanctae Sedis vel Curiae Romanae Dicasteriorum, apud ecclesiastica vel civilia tribunalia suscipere valent.

§ 2. A Cardinali Secretario Status, audita commissione, de qua in art. **184,** ad quinquennium nominantur; graves tamen ob causas, a munere removeri possunt. Expleto septuagesimo quinto aetatis anno, a munere cessant.

IX

INSTITUTIONES SANCTAE SEDI ADHAERENTES

ART. 186

Sunt Instituta quaedam, sive antiquae originis sive novae constitutionis, quae, quamvis ad Curiam Romanam sensu proprio non pertineant, nihilominus ipsi Summo Pontifici, Curiae ,et Ecclesiae universae servitia necessaria aut utilia praestant et cum Apostolica Sede aliquo modo cohaerent.

ART. 187

Inter huiusmodi Instituta eminet Tabularium seu Archivum Secretum Vaticanum, in quo documenta regiminis Ecclesiae adservantur, ut imprimis ipsi Sanctae Sedi et Curiae in proprio opere perficiendo praesto sint deinde vero, ex ipsa concessione Pontificia, omnibus historiae explorandae studiosis, atque fontes cognitionis evadere possint omnium historiae profanae quoque regionum, quae cum vita Ecclesiae saeculis praeteritis arcte cohaerent.

ART. 188

Instrumentum insuper insigne Ecclesiae ad culturam fovendam, servandam, divulgandam a Summis Pontificibus constituta est Bibliotheca Apostolica Vaticana, quae thesauros omne genus scientiae et artis in suis variis sectionibus viris doctis veritatem investigantibus praebet.

ART. 189

Ad veritatem inquirendam et diffundendam in variis scientiae divinae et humanae regionibus ortae sunt in sinu Ecclesiae Romanae variae, quae vocantur, Academiae, inter quas eminet Scientiarum Academia Pontificia.

ART. 190

Hae omnes Institutiones Ecclesiae Romanae reguntur propriis legibus constitutionis et administrationis.

ART. 191

Recentioris originis sunt, quamvis ex parte exemplis praeteritis inhaereant, Typographia Polyglotta Vaticana, Officina libraria editoria Vaticana, Ephemerides diurnae, hebdomadariae, menstruae, inter quas eminet *L'Osservatore Romano,* Statio Radiophonica Vaticana et Centrum Televisificum Vaticanum. Haec Instituta subiciuntur Secretariae Status aut aliis Curiae Romanae officiis iuxta proprias leges.

ART. 192

Fabrica Sancti Petri curare perget ea quae ad Basilicam Principis Apostolorum pertinent sive quoad conservationem et decorem aedificii sive quoad disciplinam internam custodum

et peregrinorum, qui visendi causa templum ingrediuntur, iuxta proprias leges. In omnibus, quae id exigunt, Superiores Fabricae concorditer agant cum Capitulo eiusdem Basilicae.

ART. 193

Eleemosynaria Apostolica opus adiumenti pro Summo Pontifice exercet erga pauperes ac pendet directe ex Ipso.

Decernimus praesentem Constitutionem apostolicam firmam, validam et efficacem esse ac fore, suosque plenos et integros effectus sortiri atque obtinere a die 1 mensis Martii 1989 et ab illis ad quos spectat aut quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime observari contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, coram Patribus Cardinalibus in Consistorio adunatis, in pervigilio sollemnitatis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, die xxvin mensis Iunii Anno Mariali MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

ADNEXUM I

De pastorali momento Visitationis "ad limina Apostolorum" de qua in articulis a 28 ad 32

Pastoralis illa ratio, quae in recognoscenda Apostolica Constitutione de Curia Romana primas partes habuit, id etiam effecit, ut Episcoporum Visitationi « ad limina Apostolorum » maior usque significatio attribueretur, eiusque pastorale momentum aptiore in lumine collocaretur, quod in Ecclesiae vita nostro tempore hae Visitationes consecutae sunt.

1. Sicuti cognitum est, ipsae fiunt, cum omnes Episcopi, qui, cum Apostolica Sede communionis vinculo coniuncti, per terrarum orbem Ecclesiis particularibus in caritate atque in ministerio praesunt, Romam ad Apostolorum limina visitanda statis temporibus petunt.

Ipsae enim Visitationes hinc occasionem praebent Episcopis officiorum suorum conscientiam, qua utpote Apostolorum successores premuntur, augendi et hierarchicae communionis cum Petri successore sensum alendi; hinc centrum et quodammodo caput universalis illius ministerii constituunt, quod Beatissimus Pater exercet, cum particularium Ecclesiarum Pastores, suos in episcopatu fratres, complectitur, cum iisque de rebus agit, quae ad ipsorum ecclesialem missionem sustinendam attinent.

2. Per Visitationes « ad limina » motus ille vel vitalis cursus, inter universam Ecclesiam atque particulares Ecclesias intercedens, fit aliquomodo adspectabilis, qui a theologis definitur veluti quaedam *perichoresis,* vel motibus comparatur, quibus humani corporis sanguis a corde ad extrema usque membra dilatatur atque ab istis ad cor refluit.

Primae cuiusdam Visitationis « ad limina » vestigium atque exemplar in Pauli epistola ad Galatas invenitur, in qua Apostolus suam conversionem atque iter ad paganos a se susceptum narrat, haec verba scribens, etiamsi ipse sciebat se a Christo mortis victore immediate vocatum atque edoctum esse : « Dein-

de... veni Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim » (1, 18) ; « deinde post annos quattuordecim iterum ascendi Hierosolymam ... et contuli cum illis evangelium, quod praedico in gentibus ... ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem » (2, 2).

3. Congressio cum Petri successore, qui veritatis depositum ab Apostolis traditum primus custodit, eo tendit, ut unitas in eadem fide, spe et caritate confirmetur, atque immensum illud spiritualium moraliumque bonorum patrimonium magis magisque cognoscatur atque existimetur, quod universa Ecclesia, cum Romano Episcopo communionis vinculo coniuncta, per terrarum orbem diffudit.

Dum Visitatio « ad limina » agitur, duo coram inter se congrediuntur viri, scilicet Ecclesiae cuiusdam particularis Episcopus atque Romae Episcopus idemque Petri successor, qui ambo suorum officiorum onus, cui derogari non licet, sustinent, sed alter ab altero minime seiunguntur: ambo enim proprio modo repraesentant, atque repraesentare debent, summam Ecclesiae, summam fidelium, summamque Episcoporum, quae quodammodo unicum « nos » in Christi corpore constituunt. In ipsorum enim communione fideles ipsis concrediti inter se communicant, atque universalis Ecclesia Ecclesiaeque particulares inter se pariter communicant.

4. Hasce omnes ob causas, Visitationes « ad limina » *pastoralem illam sollicitudinem* exprimunt, quae in universali viget Ecclesia. Agitur enim de Ecclesiae Pastorum congressione, qui collegiali unitate, in Apostolorum successione fundata, inter se uniuntur. Nam in hoc Collegio omnes et singuli Episcopi ipsius Iesu Christi, Pastoris boni, sollicitudinem manifestant, quam hereditate quadam acceperunt.

Hic sane consistit summa apostolatus ratio, qui in Ecclesia agendus est, quique ad Episcopos una cum Petri Successore maxime pertinet. Etenim unusquisque eorum centrum totius apostolatus, undequaque absoluti, constituit, qui in singulis Ecclesiis particularibus exercetur, cum universali Ecclesiae amplitudine coniunctis. Totus huiusmodi apostolatus, unde-

quaque absolutus, omnium eorum operam atque adiumentum postulat atque complectitur, qui in Ecclesia sive universali sive particulari Christi corpus aedificant, nempe: presbyterorum, religiosorum virorum ac mulierum Deo consecratarum, atque laicorum.

5. Quodsi Visitationes « ad limina » singulari hac ratione considerantur, eae fiunt etiam *peculiare momentum illius communionis,* quae Ecclesiae naturam atque essentiam tam alte contingit, sicut Constitutio dogmatica de Ecclesia optime significavit, praesertim in capitibus II et III. Dum enim hodierno tempore et hominum societas ad mutuam solidioremque communionem inclinatur, et Ecclesia sentit se esse « signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis » *(Lumen gentium,* 1), prorsus necessarium videtur ut continens communicatio inter particulares Ecclesias et Apostolicam Sedem promoveatur atque augeatur, praesertim per pastoralem sollicitudinem inter se participandam quoad quaestiones, rerum usum, problemata, proposita atque navitatis vitaeque consilia.

Quando Pastores Romam conveniunt et inter se congrediuntur, peculiaris ac pulcherrima donorum communicatio fit inter omnia bona, quae sive particularia atque localia sive universalia in Ecclesia sunt, secundum illius catholicitatis principium, vi cuius ((singulae partes propria dona ceteris partibus et toti Ecclesiae afferunt, ita ut totum et singulae partes augeantur ex omnibus invicem communicantibus et ad plenitudinem in unitate conspirantibus » *(Lumen gentium,* 13).

Eadem pariter ratione Visitationes « ad limina » eo tendunt non modo ut nuntia invicem directo tradantur atque recipiantur, sed praesertim etiam ut *collegialis conformatio* in Ecclesiae corpore augescat ac solidetur, per quam peculiaris unitas in varietate efficitur.

Huius autem ecclesialis communicationis motus est duplex. Hinc Episcopi versus centrum et adspectabile unitatis fundamentum coëunt : illam dicimus unitatem, quae sive per uniuscuiusque Pastoris officia et muneris conscientiam atque exercitium, sive per *collegialem* omnium Pastorum *affectum,* in proprios coetus vel Conferentias efflorescit; hinc munus habe-

tur « a Domino singulariter Petro, primo Apostolorum, concessum » *(Lumen gentium,* 20), quod ecclesiali communitati atque missionali propagationi inservit, ita ut nil inexpertum relinquatur quod ad fidei unitatem et communem universae Ecclesiae disciplinam provehendam atque custodiendam conducat, pariterque ut omnes magis magisque conscii fiant, Evangelii ubique terrarum nuntiandi curam in Pastorum corpus potissimum recidere.

6. Ex omnibus principiis, quae supra statuta sunt ad huiusmodi maximi ponderis rerum ordinem describendum, plane deducitur qua ratione apostolicus ille mos « videndi Petrum » intellegatur atque in rem deducatur oporteat.

Primum enim Visitatio « ad limina » *sacram significationem* accipit, dum Sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum Principum, Romanae Ecclesiae pastorum atque columnarum, sepulcra ab Episcopis invisuntur ac veneratione coluntur.

Deinde Visitatio « ad limina » *significationem personalem* indicat, quoniam singuli Episcopi cum Petri successore congr ediun tur atque *os ad os* cum illo loquuntur.

Denique *significatio curialis,* id est *communitatis notam* prae se ferens habetur, cum Episcopi etiam apud Romanae Curiae Dicasteria, Consilia et Officia in colloquium cum eorum Moderatoribus veniunt, quandoquidem Curia quandam efficit « communitatem », quae cum Romano Pontifice arctius coniungitur in ministerii Petriani regione, quae sollicitudinem omnium Ecclesiarum (cf. *2 Cor* 11, 28) respicit.

Aditus, quem Episcopi ad Dicasteria habent, dum Visitationem « ad limina » agunt, duplici ratione notantur :

— ipsis accessus praebetur ad singulas Romanae Curiae compages, immo ad quaestiones, quas illae directo tractant secundum singulas cuiusque rerum provincias, quae illarum iuri tributae sunt, propria adhibita peritia atque exercitatione;

— Episcopi praeterea totius terrarum orbis ambitu, in quo singulae Ecclesiae particulares exstant, in communis pasto-

ralis sollicitudinis quaestiones introducuntur, quae universalem Ecclesiam respiciunt.

Specialem huiusmodi rerum conspectum prae oculis habens Congregatio pro Episcopis, collatis consiliis cum Congregationibus, ad quas id etiam pertinet, « Directorium » edendum curat, per quod Visitationes « ad limina » sive quoad praeteritum sive quoad proximum tempus apte accomodeque apparentur atque procedant.

7. Singuli Episcopi — ratione et vi naturae illius « ministerii » ipsis commissi — vocantur atque invitantur ut « limina Apostolorum » statis temporibus visitent.

Quoniam autem Episcopi in singulis territoriis, nationibus vel regionibus degentes iam sese simul collegerunt atque Episcopales Conferentias nunc constituunt — quae collegialis unio peramplis optimisque rationibus fundatur (cf. *Lumen gentium,* 23) — maximopere congruit ut Visitationes « ad limina » secundum huiusmodi collegiale principium procedant : id enim eloquentissimam sane ecclesialem significationem praebet.

Singula quaeque Apostolicae Sedis instituta, ac praesertim Nuntiaturae ac Delegationes Apostolicae, praeter Romanae Curiae Dicasteria, parata sunt adiutricem operam libentissime navare, ut Visitationes « ad limina » facile habeantur, apte comparentur et bene procedant.

Etenim, ut omnia pressius comprehendamus, quae supra explicata sunt, Visitationis « ad limina » institutum, auctoritate sane grave ob moris antiquitatem atque ob praeclarum pastorale momentum, summae utilitatis instrumentum est, per quod sive Ecclesiae catholicitas sive Episcoporum Collegii unitas atque communio, in Petri successore fundatae, atque per illa sanctissima loca, in quibus Apostolorum Principes martyrium subierunt, significatae, re et veritate exprimuntur; quarum theologicum, pastorale, sociale religiosumque pondus nemo est qui ignoret.

Idem propterea institutum summis viribus praedicandum atque fovendum est, praesertim hoc historiae salutis tempore, quo Concilii Oecumenici Vaticani II doctrina et magisterium maiore usque lumine splendent.

ADNEXUM II

De Apostolicae Sedis adiutoribus uti laboris Communitate de qua in articulis a 33 ad 36

1. Praecipua nota, cuius gratia Constitutio Apostolica a verbis incipiens *Regimini Ecclesiae universae* recognita est, ut necessitatibus accommodantur, quae post ipsam promulgatam exortae erant, haec sane fuit: scilicet ut pastoralis Curiae Romanae natura aequo in lumine collocaretur, atque ex hoc rerum prospectu propria niteret indoles illorum munerum, quae in Apostolica Sede veluti in proprio centro versantur ut eadem apta instrumenta praebeant ad Summi Pontificis missionem, ipsi a Christo Domino concreditam, exercendam.

Per illud enim ministerium, quod Summus Pontifex Ecclesiae praestat, fratres in fide Ipse confirmat (cfr. *Lc* 22, 32), scilicet Pastores et Christi fideles universalis Ecclesiae, ad id unice spectans ut ecclesiastica communio alatur atque protegatur: illam dicimus communionem, in qua « legitime adsunt Ecclesiae particulares, propriis traditionibus fruentes, integro manente primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet (cfr. S, Ignatii M. *Ad Rom.,* Praef. : Funk, I, p. 252), legitimas varietates tuetur et simul invigilat ut particularia, nedum unitati noceant, ei potius inserviant » *(Lumen Gentium,* 13).

2. Huic ministerio Petriano, quod in universum terrarum orbem assiduo labore protenditur, atque hominum et instrumentorum opem in tota Ecclesia requirit, adiutricem operam directa, immo nobiliore ratione ii omnes praestant, qui, variis muneribus addicti, in Romana Curia necnon in variis institutis adlaborant, quibus Apostolicae Sedis compositio ad agendum formatur: sive in episcopali vel in sacerdotali ordine constituti, sive qua Religiosarum Familiarum atque Institutorum Saecularium Deo consecrati viri et mulieres, sive utpote fideles utriusque sexus e laicorum ordine ad haec officia exercenda vocati.

Quam ob rem ex huiusmodi compositione peculiaria quaedam rerum lineamenta et grave officiorum momentum exoriun-

tur, quae nil prorsus aequale habent in ullo alio civilis societatis ambitu, cum qua Romana Curia suapte natura omnimodo comparari nequit: hic propterea principalis innititur ratio illius laboris communitatis ab iis omnibus constitutae, qui, una eademque fide caritateque nutriti, veluti « cor unum et anima una » *(Act* 4, 32), illas memoratas adiutricis operae conformationes efficiunt. Ii igitur qui cooperando Romano Pontifici, ecclesialem communitatem promoventi, universalem Eius missionem quovis titulo vel modo adiuvant, etiam ad consiliorum propositorumque consuetudinem atque vitae normarum constabiliendam communionem vocantur, cui *communitatis* appellatio melius quam ceteris omnibus consortionibus competit.

3. Epistula Summi Pontificis Ioannis Pauli II de laboris significatione^ qui Apostolicae Sedi praebetur, die xx mensis Novembris **MCMLXXXII**, in huiusmodi laboris communitatis proprietatibus illustrandis immorata est. Eius unicam, at diversis muneribus praeditam delineavit naturam, per quam ii omnes hac ratione efficiuntur quodammodo fratres, qui « unicam et continuam participant actionem Apostolicae Sedis » (n. 1) ; ex hac vero consideratione illata est necessitas, ut istiusmodi laboris participes conscii sint « huius peculiaris indolis munium suorum; quae conscientia ceteroqui sollemne semper fuit et laus iis, qui nobili huic servitio se dedere voluerunt » *(ib.).* Epistula insuper addidit: « Haec animadversio tum ecclesiasticos, tum religiosos et laicos contingit; tum qui partes magnae rationis agunt, tum officiales et operosis artibus destinâtes, quibus ministeria auxiliaria delegan tur » *(ib.).*

Illic pariter propria commemorata est natura Sedis Apostolicae, quae, etsi Civitatem sui iuris constituit ut spiritualis eiusdem Sanctae Sedis libertatis exercitium ipsiusque vera et visibilis immunitas (cfr. n. 2) serventur, est « Status nulli alii Civitatum formae comparandus » *(ib.),* ab iisque diversus ; atque huiusmodi condicionis delineati sunt in rerum ordine exitus, praesertim ad oeconomicam rationem quod attinet: etenim Apostolicae Sedi omnino desunt sive tributa, quae ex aliorum Civitatum iuribus manant, sive nummaria navitas reditus bonaque producens. Quam ob causam fit ut « caput primarium sustentationis Sedis Apostolicae efficiatur *ex dona-*

Hortibus voluntariis » (ib.), ratione universalis cuiusdam necessitudinis a catholicorum hominum familia, immo aliunde etiam exhibitae, quae illam caritatis communionem mirum in modum exprimit, cui Apostolica Sedes in mundo praesidet et ex qua vivit.

Ex hac condicione quaedam consequuntur in rerum usu et in cotidiana agendi ratione eorum, qui cum Sancta Sede adiutricem operam coniungunt: nempe ((spiritus par simoniae », ((studium semper animadvertendi veram atque eximiam rationem nummariam eiusdem Sedis Apostolicae necnon nummariae rei originem», «magna Providentiae fiducia» (cfr. n. 3) : atque, praeter omnes hasce dotes, ii qui « Sanctae Sedi serviunt persuasissimum habere debent laborem suum exigere ecclesialem obligationem vivendi ex spiritu verae fidei, ac partes iuridiciales et ad administrationem pertinentes necessitudinis cum Sede Apostolica, in luce peculiari consistere » (n. 5).

4. Laboris remuneratio, quae Sanctae Sedis cooperatoribus sive ecclesiasticis sive laicis debetur secundum proprias eorum vitae condiciones, principalibus doctrinae socialis Ecclesiae normis regitur, a Summorum Pontificum magisterio absolutissime declaratis, iam inde ab editis Litteris Encyclicis Leonis XIII a verbis *Rerum Novarum* incipientibus usque ad Ioannis Pauli II Litteras Encyclicas *Laborem exercens* et *Sollicitudo rei socialis* appellatas.

Sancta Sedes, quamquam oeconomicorum bonorum penuria laborat, gravibus oneribus omnimode respondere nititur, quibus erga suos cooperatores tenetur — illis etiam quaedam rei cotidianae beneficia praestando — ratione tamen habita illius condicionis, Apostolicae Sedi propriae et in Summi Pontificis Epistula explanatae, qua ipsa nulli alii Civitatum formae aequanda est, cum communibus facultatibus redituum comparandorum privetur, nisi eorum qui ab universali caritate manant. Attamen Sancta Sedes sibi est conscia — atque eadem Epistula de hoc perspicue agit — actuosam sociam omnium operam, peculiari autem modo laicorum administrorum, necessariam esse ut rationes et normae, *iura atque officia* protegantur, quae ex « iustitia sociali », recte ad rem deducenda,

in necessitudinibus operatorem inter et conductorem (cfr. n. 4) oriuntur. Ad quae respiciendo, Epistula operam memoravit quam, ad hunc finem spectando, operatorum Societates praestare possunt, sicut « Consociatio Laicorum Vaticanorum Administrorum », tunc temporis recens orta ad sollicitudinis et iustitiae spiritum promovendum per frugiferum inter varios officiorum ordines colloquium. Epistula vero monuit cavendum esse, ne huiusmodi instituta principale consilium detorquerent, quo communitas laboris Petri Sedi praestandi regatur oportet, hisce verbis: « Non est tamen secundum Ecclesiae socialem doctrinam eiusmodi societates ad conflictationem praeter modum vergere aut ad ordinum inter ipsos dimicationem; nec nota politica insignes esse debent aut servire, aperte vel clam, causae alicuius factionis aut aliorum entium proposita spectantium valde diversae naturae » (n. 4).

5. Eodem autem tempore Summus Pontifex suam certam declaravit fidem, eiusmodi Consociationes — cuiusmodi est illa, quae supra commemorata est — « in ineundis quaestionibus ad laborem pertinentibus et in utiliter atque continuo disserendo cum Institutis competentibus, ante oculos esse habituras quoquo modo peculiarem Sedis Apostolicae naturam » (n. **4).**

Quoniam autem laicis Civitatis Vaticanae administris cordi praesertim fuit, ut operum conformatio et omnia ad laboris quaestionem attinentia aptius usque temperarentur, Summus Pontifex disposuit ut « opportuna instrumenta exsecutoria » appararentur « ut, per accommodatas normas et structuras, foveatur profectus communitatis laboris iuxta exposita principia » (cfr. ***ib.).***

Huic Supremi Ecclesiae Pastoris sollicitudini nunc respondet institutio « Officii Laboris apud Apostolicam Sedem » (compendiariis litteris U.L.S.A. appellati), quod per Litteras Apostolicas Motu Proprio datas promulgatur una cum instrumento, quo eiusdem Officii describuntur ac singillatim exponuntur compositio, auctoritas, munera, regendi et consulendi organa cum propriis normis ad aequum, efficacem celeremque ipsius processum fovendum; idem praeterea Officium, cum nunc noviter erectum sit, accommodum navitatis tempus

« ad experimentum » exigit, ut sive collata praecepta agendique modi comprobentur, sive eius momentum re et veritate recognoscatur. Quae Apostolicae Litterae Motu Proprio datae atque novi Officii Laboris disciplina simul in vulgus eduntur una cum promulgata Constitutione Apostolica de Curiae Romanae renovatione.

6. Laboris Officii praecipuus praevalensque finis — praeter alios, ad quorum assecutionem idem ad rem effectum est — huc potissimum spectat ut in variis adiutorum Sedis Apostolicae ordinibus, laicorum praesertim, illa promoveatur ac servetur laboris communitas, cuius nota omnes insigniri debent, qui ad honorem onusque inserviendi ministerio Petriano vocati sunt.

Iterum iterumque explicandum est, hosce adiutores ad peculiarem Ecclesiae conscientiam in se ipsis fovendam atque colendam teneri, quae eos ad munera sibi commissa adimplenda, quantacumque sint, aptiores usque reddat: munera dicimus, quae prorsus non sunt cuiusdam dati et accepti rationes, sicut illae, quae cum institutis in civili societate exstantibus intercedere possunt, sed ministerium efficiunt ipsi Christo praebitum, qui « non venit ministrari, sed ministrare » *(Mt* 20, 28).

Omnes ergo Sanctae Sedis cooperatores, sive ecclesiastici sive laici, velut ob honoris laudem comparandam, atque sincero animo proprii muneris coram Deo et hominibus conscii, sibi proponere debent ut suam sacerdotum et Christi fidelium vitam in exempli modum agant, sicut a Dei mandatis, ab ecclesiasticis legibus et ab actis Concilii Vaticani II, praesertim illis quae a verbis incipiunt *Lumen Gentium, Presbyterorum ordinis* atque *Apostolicam actuositatem,* proponitur. Attamen hoc liberum est consilium, quo plena conscientia quaedam assumuntur onera, quorum momentum non modo in singulos, sed etiam in illorum familias, immo in ipsum laboris communitatis ambitum recidit, quem Sanctae Sedis cooperatores efficiunt.

« Quaerendum nobis est "cuius spiritus simus" (cfr. *Lc* 9, 55 Vulg.) » : ita Summus Pontifex in extrema Epistula scribit; ideo singuli atque omnes, propriam qua hominum et qua chri-

stianorum sinceritatem quaerendo, tenentur ad illa promissa vinculaque fideliter servanda, quibus libera voluntate obstricti sunt cum ad operam Sanctae Sedi praestandam sunt adlecti.

7. Quo praesentior consiliorum et normarum ratio habeatur, quae Summus Pontifex per memoratam Epistulam, ad Cardinalem a Publicis Ecclesiae negotiis missam, de laboris significatione Apostolicae Sedi praebendi significavit, ipsius integrum exemplum infra editur: ea enim fundamentum et signum habenda est omnis illius necessitudinis, quae intra laboris communitatis ambitum, Apostolicae Sedi adiutricem operam navantis, ad simul agendum atque ad consensionem tuendam habeatur oportet.

EPISTULA
SUMMI PONTIFICIS
IOANNIS PAULI II
DE LABORIS SIGNIFICATIONE
QUI APOSTOLICAE SEDI PRAEBETUR

VENERABILI FRATRI

AUGUSTINO S.R.E. CARDINALI CASAROLI

STATUS SECRETARIO

1. Apostolica Sedes, in suo munere exercendo, efficaci et perutili opera utitur peculiaris communitatis* ex iis constantis — viris et mulieribus, sacerdotibus, religiosis, laicis — qui, in eius dicasteriis et officiis, Ecclesiae universae operam navant.

Huius communitatis membris negotia mandata sunt et munia, quorum quodque suum spectat propositum suamque dignitatem habet, ratione habita tum rerum substantiae momentique explicati laboris, tum personae quae illum exsequitur.

Ex hac communitatis notione adhibita pro iis qui Romanum Episcopum adiuvant in suo Pastoris universalis Ecclesiae ministerio, Nobis licet ante omnia definire *unicam in diversis muneribus naturam.* Omnes enim qui ad haec explenda vocantur, unicam et continuam participant actionem Apostolicae Sedis, eam videlicet « sollicitudinem omnium Ecclesiarum » (cfr. *2 Cor* 11, 28), quae inde a priscis temporibus servitium Apostolorum incitabat, quaeque hodie praecipua est praerogativa Successorum Sancti Petri in sede Romana. Multum interest quotquot Sedis Apostolicae operum quoquo modo participes sunt, huius peculiaris indolis munium suorum sibi esse conscios; quae conscientia ceteroqui sollemne semper fuit et laus iis, qui nobili huic servitio se dedere voluerunt.

Haec animadversio tum ecclesiasticos et religiosos tum laicos contingit, tum qui partes magnae rationis agunt, tum officiales et operosis artibus destinatus, quibus ministeria auxiliaria delegantur. Contingit prorsus eos et qui recte proximeque Apostolicae Sedi serviunt, utpote cum suam navent operam apud ea Corpora, cui nomen est « Sancta Sedes », et qui in ministeriis sunt Vaticanae Civitatis, quae Apostolicae Sedi tam arcte coniungitur.

In recentibus Litteris Encyclicis a verbis ((Laborem exercens » incipientibus praecipuas commemoravimus veritates de « evangelio laboris » deque doctrina catholica ad laborem humanum pertinente, semper sane in Ecclesiae traditione valida. Ad has veritates oportet se conformet peculiaris haec communitas quae *sub umbra Petri* operatur, tam cum Sede Apostolica coniuncte.

2. Ut apte haec principia rebus ipsis inserantur, necesse est reminisci eorum veram significationem et simul *propriam* Sedis Apostolicae *naturam.* Haec — etsi, ut iam supra diximus, ei tam arcte coniungitur ens Vaticanae Civitatis Status dictum — indole caret germanorum Statuum, qui in certas societates publice dominantur. Ceterum Vaticanae Civitatis Status sui iuris est, sed non omnes habet peculiares communitatis politicae notas. Hic Status nulli alii Civitatum formae comparanda est: exsistit enim ut convenienter tueatur Sedis Apostolicae spiritualis libertatis exercitium, id est tamquam

instrumentum, quo tuta reddatur eiusdem. Sedis vera et visibilis libertas tum in regimine exercendo pro Ecclesia universa, tum etiam in actione pastorali explicanda pro toto genere humano; propriam non habet societatem pro cuius servitio constitutus sit, nec in formis actionis socialis consistit, quae efficiunt plerumque cuiusvis alterius Status structuram et ordinationem. Praeterea, qui Sedem Apostolicam adiuvant, vel Vaticanae Civitatis Status regimini cooperantur, ipsius cives non sunt, perpaucis exceptis, nec igitur iura et onera habent (praesertim vectigalia), quae fere ex eo oriuntur, quod quis in dicione est alicuius Status.

Sedes Apostolica — cum ob valde maioris momenti causas fines angustos transcendat Vaticanae Civitatis Statum, adeo ut in omnem orbem terrarum munus suum extendat — operositatem oeconomicam Status cuiuslibet propriam nec explet nec potest explere; ab eius institutionis propositis et fructus bonorum oeconomicorum et redituum amplificatio excluduntur. Praeter proventus Vaticanae Civitatis Status proprios et exiguos reditus — constantes ex eo quod reliquum est pecuniarum occasione Pactionum Lateranensium obtentarum uti compensationem Statuum Pontificiorum et bonorum ecclesiasticorum, quae Statui Italico obvenerant — caput primarium sustentationis Sedis Apostolicae efficitur *ex donationibus voluntaras* catholicorum totius mundi et, forte, aliorum hominum bonae voluntatis. Hoc consentaneum est traditioni quae ab Evangelio proficiscitur (cfr. *Lc* 10, 7) et ab Apostolorum doctrina (cfr. *1 Cor* 9, 11. 14). Secundum hanc traditionem — quae multiformis per saecula fuit ad structuras oeconomicas quod attinet diversis temporibus praevalentes — affirmandum est Sedem Apostolicam posse et debere collationibus ultroneis frui fidelium aliorumque hominum bonae voluntatis, cum non oporteat aliis fruatur opibus, quae videri possint eius singulari naturae minus convenientes.

3. *Collationes* quas supra commemoravimus constantem et animum mo ven tem necessitudinem cum Apostolica Sede cumque eius opera significant. Tantae necessitudine quam gratissimo animo prosequimur, ipsa Apostolica Sedes, singula eius Corpora et qui in his laborant, respondere debent officii

conscientia exaequata collationum naturae, quae solum et semper adhibendae sunt iuxta intentiones et voluntates largitorum: vel pro proposito generali Sedem Apostolicam eiusque operum summam sustentando vel pro specialibus consiliis (missionalibus, beneficis, etc.), cum haec denuntiata sint.

Officii conscientia et probitas erga eos qui, auxilio suo, Sedem Apostolicam adiuvant et quodam modo pastoralem eius sollicitudinem communicant, ostenduntur per integram fidelitatem erga officia et munera delegata, sicut et per diligentiam, sedulitatem et per habitum professionis, unde discernendi sunt quicumque eiusdem Sedis Apostolicae navitatem participant. Oportet insuper recte animatos esse, ut prudenter administrentur, ex iis ad quae spectant, et bona corporea quae offeruntur, et ea omnia quae his bonis illa Sedes comparat vel servat, additis tutela et auctu praestantis hereditatis Sedis Petri in regionibus religioso-culturalibus et artis.

In usu opum haec proposita contingentium, Sedes Apostolica et qui cum ea directe et proxime cooperantur, eminere debent non solum *spiritu par simoniae,* verum etiam *studio semper animadvertendi* veram atque exiguam rationem nummariam eiusdem Sedis Apostolicae necnon nummariae rei originem. Eiusmodi interiores habitus, ut par est, insiti esse debebunt, per eorum aptam formationem, in religiosorum et ecclesiasticorum animis; sed ne laicis quidem deesse debent, qui libero assensu suo comprobaverunt se cum et pro Sede Apostolica laborare.

Insuper, ii omnes, quibus peculiaria onera iniuncta sunt in regendis Corporibus, officiis et ministeriis Sedis Apostolicae, sicut et variis muneribus addicti, hunc par simoniae spiritum cum constanti cura coniungent ut numerosa negotia efficientiora reddantur per congruam dispositionem laboris, positi hinc in plena observantia personarum et praesentis auxilii, quod quisque fert pro suis facultatibus et muniis ; hinc in usu structurarum et instrumentorum technicorum aptorum, quo opera explicata melius in dies servitii Ecclesiae universae necessitatibus respondeat. Omnia adhibentes quae experientia, scientia et technologia docent, omnes curabunt ut bona humana et nummaria maiore cum efficacia tractentur, profusionem vitando et con-

quisitionem utilitatum singularium, privilegiorum non excusatur um, simul bonas necessitudines humanas provehendo in omni parte et iustum Sedis Apostolicae commodum.

Ad has curas adiungenda est magna *Providentiae fiducia,* quae per bonorum donationes non sinet opes deficere, quibus Sedis Apostolicae proposita possint obtineri. Si opum penuria impediat quominus aliquod fundamentale consilium ad effectum adducatur, speciali modo compellanda erit munificentia populi Dei, eum certiorem faciendo de non satis notis necessitatibus. Plerumque tamen oportebit acquiescere in iis, quae Episcopi, sacerdotes, Instituta religiosa et fideles sponte offerunt, quoniam ipsi iustas necessitates videre vel perspicere sciunt.

4. Inter eos qui Sedi Apostolicae cooperantur multi sunt ecclesiastici, quibus in caelibatu viventibus impensa pro familiis non est praestanda. Merces ad eos spectat muneribus quae explent conveniens talisque, quae decoram sustentationem provideat et sinat eos status sui officia exsequi simulque iis satisfacere oneribus, quibus interdum gravari possunt, subveniendi videlicet parentibus suis vel aliis propinquis, qui eis sustinendi sunt. Nec neglegenda sunt ea, quae rectus eorum usus socialis postulat, praesertim et ante omnia officium succurrendi indigentibus: quod officium, ob eorum evangelicam vocationem, magis ecclesiasticos et religiosos impellit, quam laicos.

Merces etiam laicorum, qui Sedi Apostolicae serviunt, consentanea esse debet muniis explicatis, onere simul considerato, ab eis suscepto, sustinendi familias suas. Magnae curae et iustitiae spiritu igitur videndum est quae sint eorum verae materiales necessitates et familiarum, non exceptis iis quae ad filiorum educationem et ad oeconomicam cautionem ad senectuti cavendum pertinent, ut eisdem convenienter consuli possit. Hac in re normae fundamentales in catholica doctrina inveniuntur *ds remuneratione laboris.* Normae proximae ad adiuncta iudicanda possunt ex observatione experientiarum et consiliorum civilis societatis depromi, et praesertim societatis Italicae, ex qua conducuntur et in qua, quoquo modo, omnes fere vivunt laici qui Sedi Apostolicae serviunt.

Ad hunc sollicitudinis et iustitiae spiritum fovendum, vice fungentes eorum qui intra Sedem Apostolicam laborant, poterunt suum praestare officium operatorum Societates, sicut Consociatio Laicorum Vaticanorum Administrorum recenter orta, quae intra Sedem Apostolicam indole propria praeditae sunt, inceptum sunt doctrinae sociali Ecclesiae congruens, quae eas iudicat aptum subsidium esse ad tutam reddendam *iustitiam socialem* in necessitudinibus operatorem inter et conductorem. Non est tamen secundum Ecclesiae socialem doctrinam eiusmodi societates ad conflictationem praeter modum vergere aut ad ordinum inter ipsos dimicationem; nec nota politica insignes esse debent aut servire, aperte vel clam, causae alicuius factionis aut aliorum entium proposita spectantium valde diversae naturae.

Confidimus eiusmodi Consociationes, sicut ea est quam supra memoravimus — doctrinae socialis Ecclesiae principia sequentes — utile opus esse explicaturas in communitate laboris concorditer operante cum Sede Apostolica. Pro certo etiam habemus easdem, in ineundis quaestionibus ad laborem pertinentibus et in utiliter atque continuo disserendo cum Institutis competentibus, ante oculos esse habituras quoquo modo peculiarem Sedis Apostolicae naturam, sicut dictum est in prima huius Epistulae parte.

Quod ad ea attinet, quae exposuimus, Eminentia Tua opportuna instrumenta exsecutoria praeparabit ut, per accommodatas normas et structuras, foveatur profectus communitatis laboris iuxta exposita principia.

5. In Litteris Encyclicis a verbis « Laborem exercens » incipientibus monuimus dignitatem operatoris propriam exprimendam esse per specialem necessitudinem cum labore ei concredito. Ad hanc necessitudinem — quae ipsa per se multis modis fieri potest pro suscepti laboris genere — pervenitur subiective cum Operator, quamvis operam exerceat « remuneratam », eam tamen exercet ut « propriam ». Cum hic agatur de labore in ambitu Sedis Apostolicae exanclato ideoque fundamentali proprietate insignito, quae est supra memorata,

haec necessitudo ardentem illam participationem postulat ((sollicitudinis omnium Ecclesiarum», quae propria est Cathedrae Petri.

Qui itaque Sanctae Sedi serviunt persuasissimum habere debent laborem suum exigere ecclesialem obligationem vivendi ex spiritu verae fidei, ac partes iuridiciales et ad administrationem pertinentes necessitudinis cum Sede Apostolica, in luce peculiari consistere.

Concilium Vaticanum II multa nos docuit de ratione, qua omnes christiani, ecclesiastici, religiosi et laici, possunt — et debent — hanc ecclesialem sollicitudinem ad se revocare.

Oportere igitur videtur ut, praesertim ab iis qui Sedi Apostolicae cooperantur, *personalis* exacuatur conscientia, imprimis christianorum sedulitatis universalis simulque vocationis propriae cuiusque, sive episcopi, sive sacerdotis, sive religiosi, sive laici. Responsiones enim ad hodiernas difficultates in laboris humani provincia quaerendae sunt in finibus iustitiae socialis; sed sunt etiam quaerendae in interiore congruentia cum labore, quem quisque debet perficere. Patere videtur laborem — qualiscumque is est — sub potestate Sedis Apostolicae explicatum, id modo omnino singulari postulare.

Praeter altiorem congruentiam interiorem, hic labor, ut sit utilis et serenus, poscit mutuam observantiam, fraterna sodalitate nisam humana et christiana, ab omnibus et pro omnibus qui in illum incumbunt. Tum solum iustitia potest se aperire uti veram iustitiam, cum huic *fraternae sodalitati* coniungitur (id est amori erga hominem in veritate praebito). Quaerendum nobis est .« cuius spiritus simus » (cf. *Lc* 9, 55 Vulg.).

Hae quaestiones, quas postremo memoravimus, non possunt aeque enuntiari verbis iuridicialibus et ad administrationem pertinentibus. Hoc tamen non eximit inquisitione et nisu necessariis — et quidem in Sedis Apostolicae ambitu — ad efficientem reddendum illum humani laboris spiritum, qui a Domino nostro Iesu Christo proficiscitur.

Dum tibi, Venerabilis Frater, has cogitationes considerandas propronimus, pro futuro studio quod eaedem postulant,

ut ad effectum adducantur, dona invocamus auxilii divini copiosa, tibique ex pectore Nostram impertimus Benedictionem, quam libenter etiam concedimus iis omnibus, qui bene meritam operam suam Sedi Apostolicae insumunt.

Ex Aedibus Vaticanis, die xx mensis Novembris, anno MCMLXXXII.

IOANNES PAULUS PP. II

INDEX

I
NORMAE GENERALES

II
SECRETARIA STATUS
(aa. 39-17)

III
CONGREGATIONES

IV

TRIBUNALIA

V

PONTIFICIA CONSILIA

VI

OFFICIA

VII

CETERA CURIAE ROMANAE INSTITUTA

VIII

IX

ADNEXUM I

ADNEXUM II

An. et vol. LXXX 25 Iulii 1988 N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città dei Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

Ob expletum Millennium a Baptismo Regionis Rus' Kioviensis.

I

1. **EUNTES IN MUNDUM UNIVERSUM,** *docete omnes gentes, haptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (cfr. *Me* **16, 15**; *Mt* 28, 29).

Ecclesia catholica, e sepulchro sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Romae, Deo Uni et Trino grati animi sensus cupit significare, quod haec Salvatoris verba ad ripas Borysthensis fluminis ante mille annos sunt impleta, ac quidem Kioviae, in urbe praecipua regionis Rus', cuius incolae — vestigia secuti Olgae principis dominae et Vladimiri viri principis — per sacramentum Baptismi in Christum sunt « inserti ».

Exemplo ducti Pii XII, Decessoris Nostri rec. mem., qui nongentesimam quinquagesimam anniversariam memoriam Baptismi regionis Rus' sollemniter celebravit,[1] hisce Litteris laudis praeconium tribuere et gratias agere cupimus ineffabili Deo, Patri, Filio et Spiritui Sancto, quod *ad fidem et gratiam filios ac filias multorum populorum ac nationum vocavit,* qui hereditatem christianam Baptismi Kioviae collati susceperunt. Qui quidem imprimis ad Nationes Russicam, Ucrainam, Bie-

[1] Cfr. Epistula ad Cardinalem Eugenium Tisserant, Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Secretarium (12 m. Maii 1939): *AAS* 31 (1939), pp. 258-259.

lorussicam in regionibus orientalibus Continentis Europaeae pertinent. Simul vero, per Ecclesiae ministerium, quae in Baptismo Kioviae dato initium sumpsit, ea hereditas Urales montes est supergressa et ad multos populos Asiae septentrionalis, usque ad litora Oceani Pacifici et etiam ulterius pervenit. Pevera « in fines orbis terrae verba eorum » exierunt (cfr. *Rom* 10, 18).

Gratias igitur referentes Spiritui, qui die Pentecostes descendit, de tanta amplitudine hereditatis christianae, quae anno Domini DCCCCLXXXVIII initium cepit, ante omnia mentem in mysterium salvificum ipsius Baptismi intendere volumus. Hoc — quemadmodum Christus Dominus docet — est sacramentum regenerationis « ex aqua et Spiritu » *(Io* 3, 5), quo homo, Dei filius adoptivus factus, in regnum aeternum inducitur. Sanctus Paulus de « baptismo » loquitur « in mortem » Redemptoris ut cum Eo « suscitemur » ad novitatem vitae in Deo (cfr. *Rom* 6, 4). Sic igitur gentes Slavicae orientales, quae magnam dicionem principis regionis Rus' Kioviensis incolebant usque ad Novogardiam *(Novgorod),* in sancti Baptismi aquam se immergentes, sese concrediderunt — ubi iis venit plenitudo temporis *(Gal* 4, 4) — consilio salvifico Dei. Perlatus ergo est ad eos nuntius « magnalium Dei » atque, ut olim Hierosolymis, etiam iis Pentecostes illuxit (cfr. *Act* 2, 37-39). In Baptismi aquam demersi, « ablutionem regenerationis » perceperunt.

Quam significans est, in ritu Byzantino, vetus precatio ad aquam baptismi benedicendam, quae secundum theologiam orientalem eadem esse putari consuevit ac Iordanis fluminis aqua, in quam Redemptor hominis est ingressus ut Baptismum paenitentiae acciperet, sicut peragebant Iudaeae incolae et Hierosolymitae universi (cfr. *Mc* 1, 5): « Da ei... Iordanis benedictionem, fac illam incorruptionis fontem, sanctitatis munus, peccatorum solutionem (...) Tu, omnium Domine, aquam redemptionis renuncia illam, sanctificationis aquam, carnis et spiritus expiationem, vinculorum relaxationem, delictorum remissionem, animarum illuminationem, regenerationis lavacrum, spiritus renovationem, adoptionis gratiam, incorruptionis indumentum, vitae fontem... Appare, Domine, etiam in hac et baptizandum in ea transmuta, ut veterem hominem ...

deponat, et novum, qui secundum imaginem creantis eum renovatur, induat: ut similitudini mortis eius per baptismum complantatus, resurrectionis particeps fiat: et dono Spiritus Sancti tui custodito ..., bravium supernae vocationis accipiat, et primogenitis descriptis in caelis annumeretur ».[2]

Qui procul fuerant, iam illo ambitu vitae per Baptismum continebantur, in quo Sanctissima Trinitas — Pater, Filius et Spiritus Sanctus — se dat homini et cor novum in eo creat, a peccato mundatum et capax obtemperandi, filii in modum, aeterno amoris consilio. Populi illi et singuli eorum homines, simul in ambitum magnae familiae Ecclesiae sunt introgressi, in qua partes agere possunt in Eucharistia celebranda, verbum Dei audire eique testimonium perhibere, amore fraterno coniuncti vivere et inter se bona spiritualia communicare. Id symbolice significabatur veteribus ritibus sancti Baptismi, cum modo baptizati, vestibus albis induti, e baptisterio processionem efficientes, ad coetum fidelium se conferebant, qui in ecclesia cathedrali erant congregati. Eiusmodi, processio erat simul introitus liturgicus et symbolum Corporis Christi.[3]

2. Hac mente ducti et hoc animi sensu moti participare cupimus celebrationes et gaudium ob millennium transactum a Baptismo regionis Pus' Kioviensis. Hunc eventum memoramus secundum cogitandi rationem, quae propria est Ecclesiae Christi, id est *in spiritu fidei.* Qui quidem eventus summi fuit momenti. Verba Domini in Ieremia : « In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te in misericordia » **(31, 3),** omnino impleta sunt quod attinet ad illas novas gentes eorumque terras. Regio Rus' Kioviensis in peculiarem compagem salutis introivit et ipsa facta est compages eiusmodi. Baptismus ei collatus origo fuit novae uberisque sanctitatis. Evasit momentum significans missionalis officii Ecclesiae, nova magnique ponderis veluti

[2] Preces benedictionis aquae baptismalis, cuius vetustissima testificatio invenitur in cod. Vat. Barberino Graeco 336, p. 201. Cfr. etiam in *Trebnik* (editio synodalis, Moscuae 1906, pars II, f. 209v-220, cfr. f. 216) sollemnis benedictio aquae Baptismi die Epiphaniae.

[3] Cfr. *Tipico della Grande Chiesa,* ed. J. Mateos in « Orientalia Christiana Analecta » 116, Roma 1963, pp. 86-88. Haud minor fuit splendor Baptismi ritus Romae, sicut ostendunt *Ordines Romani* Aetatis Mediae Superioris.

statio in Christianismi progressione: universa Ecclesia catholica hunc eventum respicit atque spiritualiter laetitiam heredum illius Baptismi participat.

Gratias agimus Deo misericordi, Deo uni in Sanctissima Trinitate, Deo vivo, Deo patrum nostrorum; gratias agimus Deo, Patri Iesu Christi et Christo ipsi, qui in Sacramento Baptismi Spiritum Sanctum donat spiritui humano. Gratias agimus Deo de consilio Eius salvifico, amoris pleno, gratiam Ei habemus *pro oboedientia, quam Ei* populi, Nationes terrarum et Continentium *exhibuerunt.* Liquet obtemperationem illam certis quibusdam condicionibus historicis, geographicis, humanis fuisse subiectam. Studiosorum est omnes rationes politicas, sociales, culturales, oeconomicas perscrutari altiusque perspicere, quae per acceptionem fidei christianae sunt effectae. Verum est: novimus et confirmamus fructus provenire in omnibus campis exsistentiae humanae, cum Christus per fidem excipitur et experientia fit praesentiae suae in communitate et in vita unius cuiusque. Etenim nexus, quo quis cum Christo coniungitur, non est vitae appendix quaedam neque ornatus supervacue adiectus, sed eius certa atque definita veritas.

Summa cum veneratione inclinamur, post mille annos exactos, hoc intuentes mysterium, eiusque altitudinem ac vim meditamur, imprimis in iis qui Baptismi regionis Rus' « principes receptores » fuerunt, ac deinde in singulis et omnibus, qui eorum vestigia sunt secuti, per Baptismum- potentiam sanctificantem Paracliti accipientes.

II

3. « Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere » *(Gal* 4, 4).

Plenitudo temporis a Deo manat, sed homines eam praeparant eaque venit pro hominibus et per homines. Hoc dicendum est de « plenitudine temporis » in universali dispensatione salutis, quae eadem condicionibus humanis subicitur et propriam habet « concretam » historiam. Verumtamen idem affirmandum est de temporis momento, quo singuli populi ad portum fidei salvificae appulerunt : de « plenitudine » dicimus « temporis ». Etiam millennium expletum a Baptismo et con-

versione regionis Rus' suam habet historiam. Cursus inductionis Christianismi in singulos populos et Nationes res est implicata, et multum postulat temporis. In regione Rus' inductio illa praeparata est inceptis, quae ab Ecclesia Constantinopolitana saeculo **ix** sunt inita.[4] Saeculo deinde x volvente, fides christiana in regionem illam opera missionariorum coepit penetrare, qui non solum ex urbe Byzantio advenerant sed etiam e terris occidentalium Slavorum finitimorum — qui liturgiam lingua Slavica celebrabant secundum ritum a Sanctis Cyrillo et Methodio institutum — necnon e terris occidentis Latini. Quemadmodum antiqua chronica Nestoris, quae appellantur « Povest' Vremennykh Let », affirmant, anno DCCCCXLIV ecclesia christiana, Eliae prophetae dedicata, Kioviae fuit.[5] Hoc in ambitu, iam praeparato, princeps domina Olga libere ac publice circiter annum DCCCCLV baptismum suscepit, semperque postmodum promissionibus baptismalibus se praebuit fidelem. Eam, cum Constantinopolim anno DCCCCLVII viseret, Proiectus patriarcha modo quodam prophetico salutavit : « Benedicta es tu inter mulieres Russas, quia lucem amasti ac tenebras depulisti. Ideo te benedicent filii Russi usque ad ultimam generationem ».[6] Verum ei datum non est gaudium ut filium nomine Svjatoslav christianum videret. Hereditas vero eius spiritualis a Vladimiro nepote est resumpta, qui auctor fuit collationis Baptismi anno DCCCCLXXXVIII ; qui fidem christianam accepit et conversionem populi regionis Rus', eamque firmam et permansuram promovit. Vladimirus, et ad fidem nove conversi, pulchritudinem liturgiarum vitaeque religiosae Ecclesiae Constantinopolitanae persentiebant.[7] Quapropter nova Ecclesia regionis Rus' ex urbe Constantinopoli prompsit totum veluti patrimonium Orientis christiani omnesque thesauros eius proprios in re theologica, liturgica, spirituali, in vita ecclesiali et arte.

[4] Cfr. Epistula Encyclica qua patriarcha Photius, anno 867, nuntiat gentem *Rhos* nuncupatam Episcopum accepisse: *ep.* I, 13: *PO* 102, 736-737; cfr. etiam *Les regestes des actes du patriarcat de Constantinople I. H* (Les regestes de 715 à 1043), V. Grumel, Paris 1936, n. 481, pp. 88-89.

[5] *Povest' Vremennykh Let,* ed. D. C. Likhacev, Moscuae-Leninopoli 1950, pp. 235 s.

[6] PHILARES GUMILEVSKYI, *Vitae Sanctorum,* t. Iulii, Petroburgi 1900, p. 106 (Lingua Russica).

[7] Cfr. ad hoc narrationem in *Povest' Vremennykh Let,* quam supra memoravimus.

Indoles tamen Byzantina huiusce hereditatis ab initio ***in** novam formam rationemque* est traducta: lingua cultusque humanus Slavorum facta sunt novus ambitus eorum quae usque adhuc modo Byzantino erant expressa in ipsa urbe principe Imperii Orientis et in omnibus partibus, per saecula cum illa coniunctis. Ita verbum Dei et gratia cum illo conexa ad Slavos orientales ratione iis propiore pervenerunt, quod attinet ad cultum humanum et rem geographicam. Slavi illi, verbum accipientes omni cum oboeditione fidei, id eodem tempore exprimere voluerunt cogitandi rationibus sibi propriis proprioque sermone. Sic peculiaris illa « Slavica culturae inductio » quoad Evangelium et Christianismum est effecta, quae cum praeclaro opere Sanctorum Cyrilli et Methodii conectitur, qui ex urbe Constantinopoli Christianismum, Slavis accommodatum, Magnae Moraviae et, per discipulos suos, populis Paeninsulae Balcanicae attulerunt.

Sic igitur Sanctus Vladimirus et incolae regionis Rus' Kioviensis Baptismum ab urbe Constantinopoli, maxima sede Orientis christiani, acceperunt et, per eam, novella Ecclesia penetravit in ambitum ditissimi illius veluti patrimonii Byzantini, eius hereditatis fidei, vitae ecclesialis, animorum culturae. Eiusmodi patrimonium statim patuit amplae multitudini Slavorum orientalium atque facilius in proprium eorum usum potuit converti, quia ab initio eius transmissio opera amborum Sanctorum Fratrum Thessalonicensium provehebatur. Sacra Scriptura ac libri liturgici e sedibus culturalibus religiosis Slavorum advenerunt, qui linguam liturgicam ab illis inductam acceperant.

Vladimirus, pro prudentia sua et perspicientia, sollicitudine de Ecclesiae populique bono motus, in liturgiam, loco linguae Graecae, linguam palaeoslavicam induxit « quam efficax instrumentum effecit ad veritates divinas iis tradendas, qui eo utebantur sermone ».[8] Quemadmodum in Epistula Encyclica *Slavorum apostoli*[9] scripsimus, Sancti Cyrillus et Methodius, quamvis conscii essent maioris praestantiae — quoad cultum humanum ac theologiam — hereditatis Graecae-Byzantinae,

[8] Ep. Enc. *Slavorum Apostoli,* 12: *AAS* 77 (1985), p. 793.
[9] Cfr. *ibid.,* nn. 11-13: *AAS* 77 (1985), pp. 791-796.

quam secum portaverant, ausi sunt tamen, in bonum gentium Siavicarum, alia uti lingua atque etiam alia ingeniorum cultura ad fidem annuntiandam.

Hoc sane modo lingua palaeoslavica in Baptismo regionis Rus' effecta est instrumentum magni momenti, imprimis ad evangelizationem pertinens, ac deinde ad ipsam singularem progressionem futuri illius veluti patrimonii culturalis earum gentium; quae progressio in multis partibus thesaurus vitae cultusque humani totius hominum generis evasit.

Oportet enim firmiter asserere, si fidem habere volumus veritati historicae, secundum mentem amborum Sanctorum Fratrum Thessalonicensium una cum lingua Slavica in regionem Rus' invectum esse morem Ecclesiae Byzantinae, quae tum temporis adhuc plena communione cum Ecclesia Romana coniungebatur. Quae traditio postmodum modo singulari et fortasse non iterabili processit, utpote innixa in cultu humano domestico atque etiam adiuta necessitudinibus cum finitimis populis occidentis.

4. Plenitudo temporis igitur, quod ad Baptismum attinet populi regionis Rus', venit sub finem primi millennii, cum *Ecclesia erat indivisa.* Deo gratias simul agere debemus de hoc eventu, qui aetate nostra auspicium est atque spes. Deus voluit ut *mater Ecclesia, visibiliter in unitate composita,* in sinum suum, iam Nationibus ac populis refertum, atque tempore missionalis propagationis sive in oriente sive in occidente, reciperet hanc novam filiam suam, ad ripas fluminis Borystenis ortam. Erat tum Ecclesia orientis et Ecclesia occidentis, quarum utraque secundum traditiones proprias theologicas, disciplinares, liturgicas erat progressa, conspicuas quidem exhibens discrepantias, sed *exstabat plena communio* inter orientem et occidentem, Romam inter et Constantinopolim, inter quas mutuae intercedebant rationes. Fuit Ecclesia indivisa orientis et occidentis, quae Ecclesiam Kioviensem recepit atque adiuvit. Princeps domina Olga iam ab Ottone I imperatore petierat et acceperat anno DCCCCXCI episcopum, « qui ostenderet eis viam veritatis », id est Adalbertum Trevirensem, monachum, qui reapse Kioviam se contulit, ubi vero paganitas

perdurans impedivit ne missionem suam exsequentur.[10] Vladimirus vir princeps, quippe qui animadverteret hanc unitatem Ecclesiae et Europae exsistere, necessitudinem iungebat non solum cum Constantinopoli, sed etiam cum occidente et Roma, cuius episcopus communioni totius Ecclesiae praesidebat. Secundum « Chronica Mkonis » legationes susceptae sunt inter Vladimirum et Summos Pontifices Ioannem XV (qui illi dono misisse fertur quasdam reliquias Sancti Clementis Papae, aperte se referens ad missionem Sanctorum Cyrilli et Methodii, qui reliquias illas Chersone Romam portaverant) et Silvestrum PP. II.[11] Bruno Querfurtensis, ab ipso Silvestro II missus ad praedicandum, titulo sibi tributo *archiepiscopi gentium,* circiter annum MVII Vladimirum visit, qui *rex Russorum* appellabatur.[12] Postea etiam Sanctus Gregorius PP. VII principibus Kioviensibus nomen regium adiecit epistula die xvn mensis Aprilis anno MLXxv missa «Demetrio (Isjaslaw), regi Ruscorum et reginae uxori eius », qui filium Jaropolk piae peregrinationis causa iusserant se conferre ad *limina Apostolorum* atque consecuti sunt ut regnum ipsorum sub protectionem Sancti Petri reciperetur.[13] Dignum sane est commemorare Romanum Pontificem agnovisse suis legibus vivendi *potestatem,* quam principis Vladimiri dicio est adepta; qui propter Baptismum anno DCCCCLXXXVIII susceptum, etiam quod ad publicam rem pertinet Civitatem suam solidavit, eius progressionem provehendo et faciendo ut populi intra fines illius temporis incolentes atque etiam intra futuros in unum corpus coalescerent. Propter hoc opus propheticum, unde in Ecclesiam est ingressus atque dicionem suam, ut principis, in numerum nationum christianarum ascribendam curavit, nomen meruit Sancti et Patri Nationum, quae posteriore aetate ex illa principis dicione originem duxerunt.

[10] Hoc referunt quidam fontes Germanici: ita *Lamperti Monaci Hersfeldensis opera,* ed. O. Holder-Egger 1894, p. 38.

[11] Cfr. *NiJconowskaja Letopis* ad 6494, in « Polnoe sebranie russkich letopisej », IX St. Petersburg 1862, p. 57.

[12] Cfr. *Petri Damiani Vita beati Romualdi,* c. XXVII: *PL* 144, 978 (editio critica I. Tabacco in « Fonti per la storia d'Italia », 94, Roma 1957, p. 58).

[13] Cfr. *Gregorii VII registrum,* II, 74, ed. E. Caspar, in « Epistulae selectae in usum scholarum ex Monumentis Germaniae Historicis separatim editae», t. II, editio altera 1955, pp. 236-237.

Kiovia ergo, propter Baptismum facta est veluti compitum praecipuum, ubi variae cultus humani formae inter se occurrebat, facta est terra, unde religio etiam in occidentem se insinuabat, quemadmodum cultus quibusdam Sanctis Caelitibus in Ecclesia Latina adhibitus testatur, atque temporum cursu sedes magni momenti vitae ecclesialis et propagationis missionalis in campum amplissimum vim proferens suam : ad occidentem versus usque ad montes Carpates, a ripa meridiana fluminis Borysthenis usque ad Novogardiam et a litoribus septentrionalibus fluvii Volgae — ut iam diximus — usque ad oras Oceani Pacifici atque ulterius. Ut paucis dicamus, ope novae sedis vitae ecclesialis, quae Kiovia inde a tempore, quo Baptismum suscepit, est facta, Evangelium et gratia fidei ad eas gentes et regiones pervenerunt, quae hodie cum patriarchatu Moscuensi coniunguntur, ad Ecclesiam orthodoxam quod attinet, et cum Ecclesia catholica Ucraina, cuius plena communio cum sede Romana in urbe Brest fuit renovata.

III

5. Itaque Baptismus regionis Rus' Kioviensis initium fuit diuturni cursus historici, quo *imago singularis Byzantina-Slavica Christianismi* effingebatur et progrediebatur, in vita sive Ecclesiae sive societatis et Nationum, quae in ea, per labentia saecula atque etiam nostra aetate, fundamentum habent propriae identitatis spiritualis.

Per subsequentium rerum cursum, cum procellosis eventibus identitas illa continenter vehementerque afficiebatur, ipsum Baptisma et cultus humanus christianus — qui ex Ecclesia universali haustus erat et nativa ubertate spirituali alebatur et progrediebatur — vires sunt effectae, quibus evenit ut vita eius esset superstes.

Vladimirus Baptismum recepit, se ipsum, una cum populo suo, potentiae Christi salvificae aperiens, congruenter verbis Actuum Apostolorum : « non est in alio salus, nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri » (4, 12). Hoc recipiens nomen, quod « est supra omne nomen», et missionarios Ecclesiae commonens ut hoc nomen

cordibus Slavorum regionis Rus' Kioviensis insinuarent, ut « omnis lingua confiteretur Dominum Iesum Christum, in gloriam Dei Patris » (cfr. *Phil* 9, 11), id ipsum ille habuit etiam elementum quoddam maximi momenti ad progressionem humanam et civilem efficiendam, quae tantum obtinet pondus ad vitam et profectum cuiusque Nationis et cuiusque Civitatis. Quapropter ad opus aviae Sanctae Olgae consilium se revocavit, quod stabile reddidit atque mansurum.

Baptismus Vladimiri Magni et, subsequenti tempore, regionis eidem subiectae, magnam vim habuit ad totam progressionem spiritualem eius partis Europae et Ecclesiae, perinde ac ad totum *cultum humanum et civilem Byzantinum-S avicum.*

Susceptio Evangelii non fuit solum inductio novi et pretiosi elementi in compagem certae illius animorum culturae; fuit potius immissio seminis, quod esset germinaturum ac processurum in terra, in quam iactum erat, eamque transformaturum, pro sua ipsius progressione; quod quidem semen, capax effectum est ut *novos* ederet *fructus.* Haec est dynamica virtus Regni caelorum : id enim « simile est... grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. Quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, maius est holeribus et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius » *(Mt* 13, 31-32).

Hoc modo illud patrimonium spirituale Ecclesiae Byzantinae, quod in regionem Rus' Kioviensem opera linguae Slavicae, factae linguae liturgicae, est invectum, paulatim incrementis est auctum intra fines patrimonii culturalis illorum locorum, et necessitudinibus cum regionibus christianis finitimis, atque gradatim ad necessitates et mentis habitum populorum in magna illa principis dicione habitantium est accommodatum.

6. Usus linguae Slavicae ut instrumenti evangelizationis ad nuntium Christi transmittendum et ad mutuam fovendam comprehensionem, *egregiam vim habuit ad eius ipsius propagationem et progressionem.* Ea inde incitabatur ut intrinsecus transformaretur et gradatim excoleretur, ita ut lingua fieret litteraria, quam dicunt, ideoque unum e praecipuis elementis,

quae de cultu humano alicuius Nationis modo decretorio statuuntur, itemque de eius identitate eiusque vigore spirituali. In regione Eus' hic cursus ut cum maxime fuit diuturnus atque uberem copiam fructuum attulit. Hoc sane modo Christianismus occurrit hominibus affectantibus veritatem, sapientiam et progressionem, in propria autonomia innixam, quatenus suberat inspiratio evangelica et dynamica vis revelationis.

Propter hereditatem Cyrillianam-Methodianam ibi oriens et occidens inter se sunt congressi, ibi bona animi hereditate accepta cum novis se coniunxerunt. Elementa hereditatis christianae in vitam et cultum humanum illarum Nationum penetraverunt. Inde manavit vis creatrix litterarum, philosophiae, theologiae, artis, et forma effecta est omnino singularis cultus humani Europaei, quin immo cultus humani, qui simpliciter dicitur. Etiam nunc ratio universalis quaestionum attinentium ad singulos homines et societatem, quae litteris et arte harum Nationum continentur, in mundo admirationem habet constantem. Ea e christiano iudicio de vita oritur et crescit, in hoc ipso certum quiddam habet quo referatur, quod pertinet ad modum cogitandi et loquendi de homine, de eius quaestionibus, de eius sorte.

Ad hoc commune patrimonium, ad hoc commune bonum, Slavi orientales saeculorum cursu *operam propriam et singularem contulerunt,* praesertim quoad vitam spiritualem et devotionem ipsorum propriam. Hanc operam collatam Ecclesia Romana eadem reverentia et amore prosequitur, quibus in locuples fertur patrimonium orientis christiani. Slavi orientales elaboraverunt historiam, spiritualitatem, traditiones liturgicas ususque disciplinares sibi propria, congruenter traditioni Ecclesiarum orientis, necnon aliquas formas theologice meditandi de veritate revelata, quae, licet ab illis, quae in occidente vigent, discrepent, tamen simul eas complent.

7. Hoc ipsum a Concilio Vaticano II attente est consideratum. Etenim, missis aliis rebus, Decretum de Oecumenismo hoc affirmat: « Praetermittendum pariter non est Ecclesias orientis ab origine habere thesaurum, ex quo plura in rebus

liturgicis, in traditione spirituali et in ordine iuridico Ecclesia occidentis deprompsit ».[14] Atque ad recogitandum incitant, Stimuli instar, etiam ea quae in Decreto Concilii asseruntur de ubertate liturgiae et traditione spirituali Ecclesiae orientis: ((Omnibus quoque notum est quanto cum amore Christiani orientales liturgica Sacra peragant, praesertim celebrationem eucharisticam, fontem vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, qua fideles cum episcopo uniti accessum ad Deum Patrem habentes per Filium Verbum incarnatum passum et glorificatum, in effusione Sancti Spiritus, communionem cum Sanctissima Trinitate consequuntur "divinae consortes naturae" *(2 Pt* 1, 4) effecti. Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit et per concelebrationem communio earum manifestatur ».[15]

Praeterea, ad traditiones theologicas Christianorum orientis quod attinet, haec affirmatur : « agnoscendum est eas eximio quodam modo in Sacris Scripturis radicatas esse, vita liturgica foveri et exprimi, viva apostolica traditione scriptisque Orientalium Patrum ac spiritualium auctorum nutriri, ad rectam vitae institutionem, immo ad christianam veritatem plane contemplandam tendere ».[16]

Spiritualitas Slavorum orientalium, quae peculiare est testimonium fecundae occursionis inter spiritum humanum et mysteria christiana, non desinit salutarem vim habere ad conscientiam Ecclesiae universae. Speciali mentione digna est peculiaris indoles eorum devotionis, qua in Passionem Christi feruntur, affectio animorum, qua mysterium doloris, cum efficientia rédemptrice Crucis coniuncti, prosequuntur. Ut haec spiritualitas vigesceret, fortasse aliquid effecit memoria mortis innocentis filiorum Vladimiri, Boris et Gleb, qui a fratre Svatopolk sunt interfecit.[17]

Haec vero spiritualitas plenissime exprimitur laude quae « suavissimo » (sladcajsi) Domino nostro Iesu Christo adhibetur in mysterio doloris et « kenosis », quibus se subiecit in incarnatione et morte Cruci affixus (cfr. *Phil* 2, 5-8). Simul vero

[14] **Decretum *Unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, 14.**
[15] ***Ibid.,* 15.**
[16] ***Ibid.,* 17.**
[17] **Cfr. *Acta Sanctorum,* Septembris 2, Venetiis 1756, pp. 633-644.**

ea in liturgia illuminatur luce Christi resuscitati, quam splendor Transfigurationis in monte Thabor aliquomodo anticipavit, quaeque plene manifestata est gloria diei resurrectionis (voskresie-nie), mundo vero revelata a Spiritu Sancto, qui super Apostolos descendit, forma indutus linguarum tamquam ignis die Pentecostes. Haec experientia iis incessanter quasi portio tribuitur, qui Baptismum suscipiunt. Quomodo non memoremus, in hac rerum hominumque complexione, christianos, qui in illis regionibus vitam degerunt et agunt, quique in morte et resurrectione Christi, toties, horum mille annorum cursu, vim invenerunt et fulcimentum ut testimonium fidelitatis erga Evangelium perhiberent non solum cottidiana vitae cohaerentia sed etiam cruciatibus magnanimiter susceptis, nec raro *supremo mortis discrimine?* Quae quidem ratio <(kenosis » Christi, secundum mentem Ecclesiae Kioviensis, altius descendit in corda Slavorum orientalium, atque pro iis evasit fons magni vigoris in multiplicibus acerbitatibus, quae in eorum itinere occurrerunt.

8. In opere solidandae Ecclesiae et « cultus humani inductionis », ad Christianismum quod attinet, inter Slavos orientales — perinde ac in universa Ecclesia orientis — inaestimabile fuit *momentum ac vis vitae monasticae.* Kiovia satis mature inclaruit celebri illo « Pecerskaja Lavra » (monasterio cryptarum) condita a sanctis Antonio (t 1073) ac Theodosio (t 1074).

Non fortuito igitur evenit ut monachus, maxime ille qui « starec » (gradis natu) appellabatur, haberetur ductor spiritualis sive a magni nominis scriptoribus Russis, sive a simplicibus ruricolis. Monasteria sedes evaserunt vitae liturgicae, spiritualis, socialis atque etiam oeconomicae. Principes, summam potestatem obtinentes, ad monachos se convertebant ut ad consiliarios, iudices, rei diplomaticae peritos et magistros.

Verba « cultus » et « culturae » ex eadem promanant radice. Etiam inter Slavos Orientis cultus christianus effecit ut ingeniorum cultura in omnibus suis rationibus et formis extraordinario modo progrederetur.

Ars quidem religiosa altissima spiritualitate permeatur et sublimi quadam inspiratione mystica. Quis in orbe terrarum hodie non novit celebratas et veneratas leonas Ecclesiarum

orientalium, splendidas illas ecclesias cathedrales Sanctae Sophiae Kioviae et Novogardiae, quae a saeculo xi repetuntur, ecclesias et monasteria tam singularis notae in regione illius terrae? Litterae Kiovienses maximam partem sunt religiosae. Novi hymni et cantica ecclesialia a formis nativis traditionis musicae quodammodo manant. Nec praetereundum est primas scholas in regione Rus' saeculo ipso xi esse exortas. Haec omnia, licet tam breviter memorata, efficiunt testimonium indelebile rerum religiosarum et culturalium singulariter florentium, quae a Baptismo regionis Rus' Kioviensis ortum duxerunt.

Quam apte igitur Concilium Vaticanum II animadvertit: « Ecclesia ... nihil bono temporali cuiusvis populi subtrahit, sed e contra facultates, copias moresque populorum, quantum bona sunt, fovet et assumit, assumendo vero purificat, roborat et elevat ».[18]

IV

9. Baptismus regionis Rus' collatus est, ut iam asseruimus, *tempore, quo iam duae formae Christianismi exstiterant:* altera *orientalis* coniuncta cum Byzantio, altera *occidentaHs* coniuncta cum Roma, dum *Ecclesia pergebat esse una et indivisa.* Haec quidem consideratio nos, millennium Baptismi a populis Slavicis orientalibus Kioviae suscepti celebrantes, non potest non etiam vehementiore desiderio accendere ut plena communio in Christo harum Ecclesiarum sororum perficiatur atque novae vestigationes suscipiantur novaque incepta ineantur ut et unitas foveatur. Haec enim anniversaria memoria non solum est recordatio quaedam historica atque occasio elucubrationes scientificas componendi, et faciendi aestimationes, sed est etiam, ac quidem potissimum, incitatio ad convertendam affectionem nostram pastoralem a temporibus praeteritis ad aetatem futuram; ad augendum desiderium nostrum unitatis et ad ingeminandas orationes nostras.

Ita est: utraque Ecclesia, Catholica et Orthodoxa, quae nunc magis quam antea sibi statuerunt iterum invenire communionem circum mensam eucharisticam — non obstantibus

[18] Constitutio dogmatica *Lumen Gentium* de Ecclesia, 13.

difficultatibus, quae, e falsis opinionibus ortae, per saecula eas tenuerunt — peculiari cum animorum attentione et spe, hoc volvente millennio, omnes filios et filias spirituales Sancti Vladimiri in tuen tur.

Altera ex parte paulatim rediens consensio inter Romam et Constantinopolim, necnon inter Ecclesias, quae cum hisce sedibus plena communione coniunguntur, — et quomodo mentem non subeunt multiplices congressiones utriusque partis, in quibus ubertas consiliorum praebetur cum copiosa permutatione donorum spiritualium cuiusque, quae traditiones tam diversae et fecundae aluerunt? — tandem vim habebit praestabilem, praesertim his diebus, ad heredes orthodoxos et catholicos Baptismi Kioviensis. Fortasse memoria illius eventus, unde vita nova eorum in Spiritu Sancto originem sumpsit, conferet ad festinandum, Deo opitulante, tempus plenae illorum reconciliationis, tempus «osculi pacis », vicissim dandi quasi fructus decisionis maturae, quae orta est in libertate et bona voluntate e spiritu primigenio, quo Ecclesia indivisa ducebatur, quae ingenio christiano Sanctorum Cyrilli et Methodii erat insignis. Quantam utilitatem totus Populus Dei perciperet, si heredes orthodoxi Baptismi Kioviensis, renovata conscientia communionis, quae fuit initio, permoti, eius veluti provocationem accipere scirent atque christianis temporis nostri nuntium oecumenicum, inde manantem, eloqui, eos excitantes ad maturandos gradus ad metam plenae unitatis, quam Christus voluit! Id, praeterea, egregiam vim haberet etiam ad illum cursum animorum iungendorum in re civili, quod magna spe illos replet, qui per orbem terrarum pacifico convictui dant operam.

10. Ratio universalis et peculiaris sunt duo veluti fontes pariter essentiales in vita Ecclesiae: communio et differentia, traditio ac tempora nova, veteres terrae christianae et populi novi, qui ad fidem veniunt. Ecclesia una esse valuit simulque dissimilis. Unitatem probans ut primum principium (cfr. *Io* 17, 21 s), illa fuit pluriformis in singulis partibus orbis terrarum. Quod quidem peculiari modo ad Ecclesiam occidentalem et ad Ecclesiam orientalem refertur, antequam paulatim in se seiungerentur. Ad hoc tempus quod attinet, Concilium Vaticanum II haec affirmat : « Ecclesiae Orientis et

Occidentis per non pauca saecula suam propriam vitam, fraterna tamen communione fidei et vitae sacramentalis coniunctae, secutae sunt, Sede Romana moderante communi consensu, si dissensiones circa fidem vel disciplinam inter eas orirentur ».[19]

Verum etiam cum plena communio esset infracta, utraque Ecclesia integrum depositum fidei apostolicae fundamentali ratione servavit. Universalitas et pluriformitas non desierunt, quamvis essent contentiones, dona inaestimabilia sibi mutuo impertire.

Huius veritatis conscium, Concilium Vaticanum II, ad rem oecumenicam quod spectat, *novi temporis initium* fecit, propter quod de fructibus proventuris bene licet sperare. Decretum Concilii de Oecumenismo, quod iam pluries est memoratum, documento est egregiae existimationis et amoris, quibus Ecclesia catholica uberem hereditatem Orientis christiani prosequitur, cuius singularem naturam, differentiam et simul legitimam rationem in lumine ponit. Ait enim, missis aliis: « a primis iam temporibus Ecclesiae Orientis disciplinas proprias a Sanctis Patribus atque Synodis, etiam oecumenicis, sancitas sequebantur. Cum autem unitati Ecclesiae minime obstet, immo decorem eius augeat et ad missionem eius implendam non parum conferat quaedam morum consuetudinumque diversitas, ut supra memoratur ... Sacra Synodus ad omne dubium tollendum, declarat Ecclesias Orientales, memores necessariae unitatis totius Ecclesiae, facultatem habere se secundum proprias disciplinas regendi, utpote indoli suorum fidelium magis congruas atque bono animorum consulendo aptiores **n.**[20]

Ex hoc Decreto eruitur dilucide autonomiam, qua quoad disciplinam Ecclesiae Orientales fruuntur, non manare e privilegiis ab Ecclesia Romana concessis, sed a lege ipsa, quam huiusmodi Ecclesiae a temporibus apostolicis tenent.

11. Dum colloquium seri tur, quod iam explicatur et con stanter progreditur, inter Ecclesias et Communitates ecclesiales, impendente iam sollemni illo millennio Baptismi regionis Rus' — qui quidem eventus nos magno desiderio revocat ad Ecclesiam indivisam, complectentem omnes Ecclesias particulares

[19] **Decretum *Unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, 14.**

[20] ***Ibid.*, 16.**

sive Orientis sive Occidentis, quique eventus monet de vehementi oratione Christi in Cenáculo pro unitate omnium credentium (cfr. *Io 17,* 20), — oportet meminisse *plenam communionem esse donum* neque solum fructum nisuum et citationum mere humanorum, licet haec sint pernecessaria et multarum rerum condiciones.

Peccatum intravit in mundum propter hominem, sed « multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in multos abundavit » *(Rom* 5, 12-15). Perseverantia vero « in doctrina apostolorum et communicatione, in fractione panis et orationibus » *(A,et* 2, 42), est donum Dei, quia est novus modus quo homo exsistat. Est plenum « esse in unum » in Sanctissima Trinitate. Primus fons eiusmodi communionis est gratia Baptismi: per Baptismum enim ingredimur in unitatem Ecclesiae in toto orbe terrarum diffusae, in unitatem a Christo concupitam et fundatam, quae, quamvis discrepantiae et difficultates essent, quoad substantiam vigere perrexit per priora decem saecula; ingredimur in illam unitatem, de qua nos hodie Baptismus regionis Rus' admonet. Omnes Christiani ad eam redeant atque communitatem efficiant hominum qui, plena communione cum Christo coniuncti, hunc thesaurum suum cunctis membris totius hominum generis offerant. Id ipsum a Spiritu Sancto efflagitamus, qui est innumerabilium munerum dator, per quae singuli et communitates humanae communionem cum Christo introeunt. In Eo, in Spiritu Sancto, vita Ecclesiae altitudinem et quasi quasdam mensurae rationes inexspectatas consequitur. Peculiare est traditioni orientali ut praesentia Paracliti eiusque donorum persentiatur atque de ea vivatur; cuius traditionis alta doctrina pneumatologica thesaurus est pretiosus pro universa Ecclesia.

Hac sane luce praefulgente, videmus proficere necessitudines multiformes, differentes et fructuosas, quibus, hoc tempore Concilium subsecuto, commune nostrum studium actuosae oboeditionis voluntati Dei, in eius Spiritu exceptae, est manifestatum.

Copiosa illa experientia plenae communionis, habitae per primum millennium, sed per tot saecula deinde oblitteratae ab utraque parte, sit nobis nostrisque nisibus oecumenicis lux, hortamentum, propositum, ad quod cetera referantur.

V

12. Dum viam Oecumenismi percurrit, Ecclesia catholica obtutum defigit *in missione sanctorum Fratrum Thessalonicensium,* ut in Epistula Encyclica *Slavorum Apostoli* diximus.

In eorum missione peculiaris « prophetismus oecumenicus » est significans, quamvis ambo tempore sint operati, in quo Christianitas erat indivisa. Eorum missio in Oriente originem cepit, sed eius progressio in lumine posuit vincula, quibus cum Roma, cum Petri Sede iungebantur. Illorum perspicientia apostolica « koinoniae » in Ecclesia altius in dies intellegitur hac aetate, qua augescens desiderium exardescit unitatis omnium Christianorum et colloquii oecumenici. Illae praesenserunt necessarium esse ut novae Ecclesiae — respectu habito differentiarum ac disceptationum in dies crescentium — servarent et solidarent plenam et visibilem communionem unius Ecclesiae Christi. Illae quidem ortae sunt veluti in agro proprietatem exhibente variorum populorum et ad eas pertinentium regionum culturalium, verumtamen simul oportuit servarent inter se unitatem essentialem, secundum voluntatem divini Conditoris. Quo quidem factum est ut Ecclesia e missione Sanctorum Cyrilli et Methodii exorta, in semet ipsa quasi insculptum portaret peculiare sigillum illius vocationis oecumenicae, quam ambo sancti Fratres tam impense impleverunt. Hoc sane spiritu ducente, etiam Ecclesia Kioviensis — ut iam diximus — est enata.

Paene in Pontificatus Nostri initio gavisi sumus, anno nempe **MCMLXXX,** *Sanctos Cyrillum et Methodium,* iuxta Sanctum Benedictum, *Patronos Europae* renuntiare.

Europa est christiana in ipsis suis radicibus. Duae formae magnae traditionis Ecclesiae, occidentalis et orientalis, duae formae cultus humani inter se complent ut « duo pulmones » unius corporis.[21] Haec scilicet est veterum temporum eloquentia. Haec est hereditas populorum, qui Continentem nostram incolunt. Licet affirmari utrumque rerum cursum, orientalem et occidentalem, factum esse eodem tempore primam magni nominis formam inductionis culturae, ad fidem quod attinet,

[21] Cfr. Litt. Enc. *Redemptoris Mater,* 34: *AAS* 79 (1987), p. 404.

intra quarum ambarum rerum fines una et indivisa plenitudo, a Christo Ecclesiae concredita, historice est ostensa. In variis cultus humani formis Nationum Europaearum, sive in oriente sive in occidente, in musica, in litteris, in artibus effectivis, in architectura, necnon in modo cogitandi, communis quidam quasi sucus decurrit, qui ex unico fonte hauritur.

13. Simul vero *eiusmodi hereditas* fit, sub exitum saeculi xx, quasi quaedam provocatio, dilationem non patiens, quod ad unitatem attinet Christianorum. Sincerum quoddam desiderium unitatis in animis hac aetate adest, quae quidem postulat ut pacificus convictus in populis habeatur, qui in bonum omnium cedit. Haec est appetitio, quae conscientiam civium movet remque politicam et oeconomicam permeat. Christiani oportet conscii sint originum religiosarum et moralium huiusmodi pro vocationis : Christus «est... pax nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvit, inimicitiam » *(Eph* 2, 14). Deus « reconciliavit nos sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis » *(2 Cor* 5, 18). Haec res, hoc opus Christi nostro tempore peculiari modo in vehementi desiderio quasi repercutitur, quo homines unitatem et fraternitatem universalem affectant. Studium unitatis pacisque, studium eo pertinens ut repagula auferantur et conflictationes dirimantur — perinde ac ipsa commemoratio aetatum praeteritarum Europae — signum fit concitans temporis nostri.

Non habetur pax vera, nisi innitatur in processu coniunctionis, in quo unusquisque populus eligere possit, in libertate et veritate, vias suae progressionis. Ex altera parte, huiusmodi processus fieri nequit, si deest consensio de unitate primigenia et fundamentali, quae variis formis ostenditur, quae sibi non opponuntur, sed sese complent, quarum altera alterius indiget, atque vicissim se expetunt. Quapropter omnino persuasum est Nobis viam ad veram pacem ducentem recte dirigi posse modo incomparabili in mentibus, in cordibus, in conscientiis hominum per praesentiam et ministerium illius signi pacis quod, ipsa sua natura, est Ecclesia Christo oboediens et constans in vocatione sua.

Fiduciam ergo firmam significamus in omnibus conatibus humanis, qui eo spectant ut occasiones contentionum et con-

flictationum tollantur, viam ineundo pacificam colloquii patientis, pactionum, mutuae benignitatis et reverentiae.

Sollicitudo peculiaris de pace in toto orbe terrarum est munus vocationis Europae, quae orta est super fundamenta christiana. In multis partibus eiusdem orbis deest pax aut gravibus periculis obicitur. Quocirca necessaria est constans et concors cooperatio Continentis Europaeae cum omnibus Nationibus ad pacem et bonum fovendum, cuius summum ius unusquisque homo habet et quaevis humana communitas.

VI

14. Mysteria et eventus, quae breviter hisce in Litteris memoravimus, si ratione habita praeceptionum Concilii Vaticani II et in prospectu historico millennii aspiciuntur et considerantur, causa nobis fiunt gaudii et solacii in Spiritu Sancto.

Si respectus habetur momenti, quod proprium est Baptismi regionis Rus' Kioviensis in historia evangelizationis cultusque humani, probe intellegitur cur considerationem totius Ecclesiae catholicae in illum voluerimus intendere, omnes fideles exhortantes ut preces fundant communes. Ecclesia Romana, aedificata super fundamentum fidei apostolicae Petri et Pauli, laetatur de hoc millennio atque de cunctis fructibus, per hominum aetates perceptis; de fructibus videlicet fidei et vitae unitatis ac testificationis, usque ad persecutionem ac martyrium ductae, congruenter nuntio Christi ipsius. Nostra vero participatio spiritualis sollemnium, quae ob millennium fiunt, ad universum pertinet Populum Dei: ad fideles et Pastores, qui vivunt et operantur in illis terrae partibus, lavacro Baptismi sanctificatis. In huius festivitatis gaudio cum omnibus coniungimur, qui Baptismum ante mille annos a maioribus suis acceptum originem arbitrantur propriae identitatis religiosae, culturalis, nationalis; coniungimur cum cunctis heredibus huius Baptismi, praetermittentes constitutae religionis professionem, Nationem, loca habitationis; coniungimur cum omnibus fratribus et sororibus orthodoxis et catholicis; potissimum coniungimur cum cunctis dilectis filiis et filiabus Natio-

num Russicae, Ucrainae, Bielorussicae; cum iis, qui in solo patrio degunt, necnon cum iis qui in America, in Europa occidentali aliisque orbis partibus vitam agunt.

15. Peculiari sane ratione haec est festivitas Ecclesiae orthodoxae Russicae, cuius sedes primaria est Moscuae quamque nos « Ecclesiam sororem » appellare gaudemus. Ea ipsa magna ex parte hereditatem antiquae regionis Rus' christianae accepit, se iungens Ecclesiae Constantinopolitanae eique fida manes. Haec Ecclesia, perinde ac ceterae Ecclesiae orthodoxae, vera habet sacramenta, praecipue vero — vi successionis apostolicae — Eucharistiam et Sacerdotium quibus arctissima necessitudine cum Ecclesia catholica coniungitur.[22] Atque una cum Ecclesiis, quas memoravimus, studiose suscipit conatus « servandi fraternas illas in fidei caritatisque communione necessitudines, quae inter Ecclesias locales, ut inter sorores, vigere debent».[23]

Praegrandi hoc tempore, historia digno, Communitas catholica preces participat et meditationem « magnalium Dei » (cfr. *Act* 2, 11), atque Ecclesiae sorori, mille annorum spatium emensae, osculum pacis, per Episcopum Romanum, mittit ut ostensionem vehementis desiderii perfectae illius communionis, quam Christus voluit quaeque in natura Ecclesiae continetur.

Celebrationes — millennii oblata occasione — omnium heredum Baptismi Vladimiri atque participatio Nostra — quae e cordis desiderio erumpit —- eorum gaudii et gratiarum actionis, omnibus afferent — in Nobis intime est persuasum — lumen novum, quod in tenebras difficilium saeculorum praeteritorum valeat penetrare: lumen dicimus ipsum, quod e Mysterio paschali, e matutino Paschatis et Pentecostes, semper renascitur et ad nos pervenit.

16. Peculiaris declaratio coniunctionis nostrae et participationis, qua ferimur in millennium Baptismi regionis Rus', atque etiam vehementis desiderii eo pertinentis ut ad plenam perfectamque perveniatur communionem cum Ecclesiis sororibus orientalibus, expressis verbis in Encyclicis Litteris *Re-*

[22] Cfr. Decretum *Unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, 15.
[23] *Ibid.*, 14.

demptoris Mater profertur : « Licet tristes eventus separationis adhuc experiamur, quae postea est facta ... asseverare possumus nos coram Beata Matre Christi sentire nos veros fratres et sorores esse, intra Populum illum messianicum, qui vocatur ut una sit familia Dei in terra ».[24]

Verbum incarnatum, quod Ea genuit, in omne tempus eiusdem in Corde manet, ut praeclara Icona *Znamenie* ostendit, quae Virginem orantem exhibet, in cuius corde Verbum Dei est incisum. Oratio Mariae peculiari modo potentiam Dei attingit; ea est adiumentum et vis ordinis superioris ad Christianorum salutem. « Cur ergo non omnes simul Eam intuemur ut Matrem nostram communem, quae pro unitate familiae Dei orat quaeque "praecedit", longum ducens agmen testium fidei in unicum Dominum, Filium Dei, in eius virginali utero conceptum de Spiritu Sancto? ».[25]

Exoptamus Fratribus et Sororibus in fide ne hoc *mille annorum patrimonium* Evangelii, Crucis, Resurrectionis et Pentecostes desinat esse futuris generationibus « via, veritas et vita » (cfr. *Io* 14, 6).

Cuius rei gratia ex imo pectore preces fundimus ad Sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Amen.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxv mensis Ianuarii, in festo Conversionis S. Pauli Apostoli, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

[24] Litt. Enc. *Redemptoris Mater* 50: *AAS* 79 (1987), p. 429.
[25] *Ibid.*, 30: *AAS* 79 (1987), p. 402.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Petrinae Morosini honores Beatorum tribuuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismum, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei : "Possumus" » *(Me* 10, 38). Multi fideles, divina gratia fulti, generosa alacritate se paratos ostenderunt ad Christum sequendum in via crucis et cum eo passionem communicandam usque ad vitae supremum sacrificium. In hos ascribi posse censemus iuvenem laicam Petrinam Morosini, quae a pueritia non solum in diligentem exsecutionem evangelicorum mandatorum incubuit et in apostolatus caritatisque opera, sed exoptavit sanguinis effusione testificari suam erga Dominum fidelitatem, quem maxime amabat. Assuefatta non huius mundi sensui se accommodare sed plene Dei voluntatem facere (cf. *Rom* 12, 2), tempore discriminis non dubitavit mortem malle, quam suam mulieris dignitatem offendere sacramque sui corporis naturam, templi Dei vivi (cf. *2 Cor* 6, 16). Pro certo enim habebat se, in paucis correptam, in multis bene dispositum iri (cf. *Sap* 3, 5), seseque victricem visuram bona Domini in terra viventium *(Ps* 26, 13). Coniugum Rochi Morosini et Sarae Noris filiorum maxima natu, orta est in pago communiter Fiobbio appellato, in dioecesi Bergomensi sito, die **VII** Ianuarii anno **MCMXXXI ;** postridie baptismo accepto est spiritaliter renata et Ecclesiae, mystico Christi corpori, aggregata. In familia mature cognoscere coepit legem Domini et Spiritu ambulare (cf. *Cal* 5, 16). Praesertim pia mater, adhuc vivens, eam praecipuas christianas veritates docuit et deprecationis, incommodorum, paupertatis, laboris studium evidenti cum exitu. Die x mensis Ianuarii anno **MCMXXXVII** sacramentum accepit Confirmationis et die v mensis Iunii anno **MCMXXXVIII** primum Panem Eucharisticum gustavit. Sedulo et fructuose ludum elementarium frequentavit et, quamvis facultatibus praedita esset, non ultra perrexit, quia eius opera ad exiguam rem familiarem sustinendam erat necessaria. Artem ideo didicit vestificae et quindecim annos nata mercede arcessita est, uti operaría, in gossypii officinam, in propinquo sita oppido Albino, quo cotidie pedibus ibat, laetans se utilem esse caris suis, hos honeste sustentando. In loco ubi laborabat semper eminuit

diligentia, urbanitate, modestia et fidei atque caritatis spiritu, aestimationem sibi comparans et observantiam superiorum aliorumque operariorum, in quos utiliter valebat exemplo praesertim. Affirmari licet eam cum simplicitate et natura id explicare, quod Concilium Oecumenicum Vaticanum II post aliquot annos docuit : « Ii vero, qui laboribus saepe duris incumbunt, oportet ut humanis operibus seipsos perficiant, concives adiuvent, totamque societatem et creationem ad meliorem statum promoveant, verum etiam ut Christum, cuius manus fabrilibus se exercuerunt et qui semper cum Patre ad salutem omnium operatur, in actuosa caritate imitentur, spe gaudentes, alter alterius onera portantes, atque ipso suo quotidiano labore ad altiorem ascendant sanctitatem etiam apostolicam » (Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen Oenium,* 41). Ad labores officinae gossypii libenter addebat et ex consuetudine labores domesticos ; namque non tempus terebat in ludis et iocis puellarum propriis, sed, magna cum officii conscientia illud quam optime collocabat in cura fratrum et sororum minorum natu, quibus veluti altera mater fuit, sedula et benevola; opera apostolica paroeciae insuper participabat. Tanta sedulitas, animo cum laeto semper exercita, ex vitae visione christiana oriebatur, quam putabat servitium amoris esse erga proximum, similiter ac Dei Filii exemplum, qui « non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret ainmam suam redemptionem pro multis» *{Me* 10, 45). Occasionem igitur non praetermittebat, unde proximum adiuvaret, quantum posset, et ultra progrediebatur, sui ipsius iacturam faciens pro ceteris ; quod quidem evidentius apparet, si consideratur illam prompte et sine lamento distulit se Domino consecrare in Instituto religioso, cum animadvertit familiam suam, tum potissimum egentem, non posse sibi praecidere eius auxilium eiusque mercedem. Eius electiones contentionesque semper fide simplici et forti directae sunt, quas frequentatione sacrorum liturgicorum, Communione cotidiana, Evangelii meditatione, deprecatione assidua, pietate erga Virginem Mariam alebat et cuiusvis speciei peccati fuga. Dei amore flagrans, humiliter eius verbis oboediebat, eius sequebatur vias et nitebatur per omnia ei placere. Ut progressus faceret in cognitione et in amore Illius, qui eius cor allexerat, indefatigate colebat vitalem cum Christo coniunctionem, memor eorum, quae ipse dixit: « Manete in me et ego in vobis ... Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere ... Manete in dilectione mea» *(Io* 15, 4-5. 9). Intellexit posse se sanctam se facere nec tamen in conventum ingredi, et, in

mundo manens, tota Dei esse voluit: quam ob rem sedecim annorum, prudenti moderatore spiritus suadente, votum privatum castitatis nuncupavit; quam virtutem carissimam habuit. Postea vota addidit oboedientiae et paupertatis. Terrestrium inanium neglegens, paupere veste se induebat et paulo quod habebat contenta erat, in Domino et in providentia spem collocans. Filia lucis cum esset (cf. *1 Thess* 5, 5), vehementer sensit suum esse Christi lucem diffundere coram hominibus (cf. *Mt* 5, 16) testimonio virtutum et apostolatus. Dictum est : « Laici officium et ius ad apostolatum obtinent ex ipsa sua cum Christo Capite unione. Per Baptismum enim Corpori Christi mystico inserti, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti roborati, ad apostolatum ab ipso Domino deputantur » (**CONC. OEC. VAT**. II, Decretum de apostolatu laicorum *Apostolicam Actuositatem,* 3). Serva Dei non in vacuum gratiam Dei recepit (cf. *2 Cor* 6, 1), sed, Spiritu adiuvante, eam multiplicavit pro Ecclesia, cuius semper membrum fidelissimum fuit. Partem habuit Actionis Catholicae paroecialis, in qua est iuncta munere Delegatae ((Minimarum » et ((Beniaminarum », quas studio et peritia formabat. Partem etiam habuit Coetus Missionarii, « Zelatricum » Seminarii Bergomensis, Apostolatus piacularis, Filiarum Mariae et Tertii Ordinis Franciscani, ex cuius spiritalitate magna cum cura vixit. Quolibet auxilium suum tulit actionis, deprecationis et voluntariae castigationis, laeta operam navare animarum saluti et Regni Dei propagationi. Peculiariter colebat Sanctam Mariam Goretti, martyrem pudicitiae, cuius exemplum sequi exoptabat, maximum Domino amoris testimonium dando effuso sanguine. Multis tempestatibus et pluribus personis dixerat : « Quam gratum mihi esset sicut Maria Goretti interire ! ». Tam animosa, nobilis et sancta appetitio est exaudita. Die iv mensis Aprilis anno **MCMLVII**, ut consueverat, multo mane diem inchoaverat Eucharistia accepta; dein ad gossypii officinam ierat opus factura. Dum primo tempore postmeridiano pedibus domum redibat, se ad eam admovit in loco aliquantum nemoroso, per quem solita erat percurrere, iuvenis quidam, qui eam sua turpia proposita non celavit. Serva Dei, sibi persuasum habens nullum esse thesaurum divinae gratiae parem et summum malum esse peccatum, nulla interposita dubitatione, firmiter recusavit ; quin, de bono iuvenis spiritali sollicita, conata est eum ad meliora adducere consilia, christianam doctrinam memorans et peccati gravitatem ei significans : sed frustra. Lacessita, omnibus viribus se defendit. Mortifere et crebro lapide icta cervicem, perrexit verba fidei et heroicae caritatis efferre, dum veternosa facta

est. Denuo lux splendebat in tenebris et Christi amor de morte triumphabat. Postea a familiaribus inventa in loco immolationis est eique Unctio infirmorum ministrata, ac in valetudinarium Bergomense deducta est, ubi, animo non recepto, exstincta est die vi mensis Aprilis. Qui eius probitatem, bonitatem et pietatem noverant, statim de martyrio locuti sunt. Haec persuasio crevit, volventibus annis confirmata; unde, habito ((Nihil bostat » a Sancta Sede, Episcopus Bergomensis dominus Iulius Oggioni, Causam iniit canonizationis Processu Cognitionali (annis **MCMLXXX-MCMLXXXIIII**. De vita et praesertim de morte Servae Dei sententias suas dixerunt primum Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum (die **XI** mensis Novembris anno **MCMLXXXVI)** et, dein, Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum (die **XVI** mensis Iunii anno **MCMLXXXVII**) ; in utraque sede affirmatum est iuvenem Petrinam Morosini mortem obiisse, ut virginitatem suam defenderet, ante aliquot annos Deo consecratam, ideoque eius sacrificium verum habendum esse martyrium. Coram Nobis pronuntiatum est Decretum super Martyrio die in mensis Iulii anno **MCMLXXXVII.** Post haec statuta est dies sollemnis Beatificationis. Hodie igitur, in Basilica Vaticana Sancti Petri, inter sacra haec sumus elocuti : « Nos, vota fratrum nostrorum Iacobi Jullien, Archiepiscopi Rhedonensis, Ioannis Melis Fois, Episcopi Galtellinensis-Norensis, Clementis Gaddi, Archiepiscopi emeriti Bergomensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Marcellus Callo, Antonia Mesina et Petrina Morosini, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Marcelli Callo die decima nona Martii ; Antoniae Mesina die decima septima Maii ; Petrinae Morosini die sexta Aprilis, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quae autem per has Litteras decrevimus, volumus et nunc et in perpetuum firma esse, rebus quibuslibet contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Octobris anno **MCMLXXXVII**, Pontificatus Nostri nono.

& AUGUSTINUS Card. **CASAROLI,** *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
in Secret. Status tab.,* n. *212.840.

II

Venerabili Servae Dei Blandinae Merten Beatorum honores tribuuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Multum facit, qui multum diligit. Multum facit, qui rem bene facit. Benefacit, qui communitati magis quam suae voluntati servit »(*De Imitatione Christi,* I, XV, 2). Videtur nobis brevis et integra vita Venerabilis Servae Dei Blandinae Merten, religiosae professae e Congregatione Sororum S. Ursulae de Calvarienberg-Ahrweiler, posse egregie his verbis colligi, excerptis e libro qui ei carissimus fuit. A iuventute intellexerat Deum caritatem esse et manentem in caritate in Deo manere Deumque in eo (cf. / *Io* 4, 16). Et quoniam « quanto saniores sumus a tumore superbiae, tanto sumus dilectione pleniores» (S. Augustinus, *De Trinitate* 8, 8, 12), Venerabilis Serva Dei summa cura studuit exercitium amoris erga Deum et proximum exornare virtutibus simplicitatis et humilitatis. Quod ad hoc attinet scripsit : <(Amor in aurum omnia hominum opera mutat. Misericors Deus non eget operibus extraordinariis aut resonantibus ; solum vult amorem. In Cantico Canticorum scriptum est : « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno capillorum tuorum » (cf. *Ct* 4, 9). Quid est capillo minus et levius? Significatae hoc esse oculis Eius praestantiorem ét gratiosorem vel minimam quamque operam, quam cum amore facimus? Utique, Is in anima electa nihil nimis parvum existimat. Venerabilis Serva Dei, decem filiorum nona, orta est in oppido lingua vernacula Düppenweiler dicto, in finibus dioecesis Trevirensis in Germania, die 10 Iulii anno 1883 a Ioanne Merten et Catharina Winter, qui verbo et plus etiam fidei suae constantia, eam educaverunt ad suavitatem liturgiae et precationis necnon caritatis in proximum. Baptismatis aquis renata est die 12 eiusdem mensis et vocata Maria Magdalena. Tredecim annos nata primum Eucharistico Pane alta est et sacramentum Confirmationis accepit. Diligenter et utiliter ludos elementarios frequentavit pagi in quo nata est (1889-1897), excellens iner aequales in pietate, in urbanitate et in agendi rationis bonitate. Ab anno 1899 ad annum 1902 alumna fuit scholae privatae ludi magistris instituendis in loco MarienauVallendar appellato ubi aestimata est maxime ob indolem seriam, modestam, obque conscientiam et constantem munerum executionem. Etiam tum virtutum humanarum et christianarum lux in vultu eius plendebat et locum illuminabat, in quo hospitium ei praebebatur. Studiis peractis, ad docendum se dedit, primum in oppido, cui nomen Oberthal (anno

1902), deinde in locis appellatis communiter Morscheid (annis 1903-1907) et Grossrosseln (annis 1907-1908). Sciens inter rationes institutoriam peculiare momentum scholam habere (cf. **CONC. OEC. VAT**. II Decl. de educatione christiana *Gravissimum Educationis,* 5), suum explevit officium cum animi ardore seseque totam dedens, illud putans missionem utque apostolatum explicans. Vocatio ad pueros educandos ((peculiares mentis et cordis dotes, diligentissimam praeparationem, continuam renovationis et adaptationis promptitudinem expostulat » *(Ibid.).* His dotibus praedita est haud dubie Venerabilis Serva Dei, quae non solum sibi comparavit professionis usum et apte scientiam hominum tradidit, sed suum esse duxit etiam humanam et religiosam alumnorum formationem provehere, quos tenere amabat, eos scientiam Dei docens tum institutione, tum exemplo vitae suae. Hinc facta est exemplar verae magistrae catholicae estque a superioribus, a collegis, a discipulis et a populo observata, qui praeter scholae singulare studium, ardentem eius spiritum fidei et deprecationis admirabantur, necnon amorem in Eucharistiam et in Virginem Mariam, vitae paroecialis industriam societatem, liberalitatem erga pauperes, perfectam continentiam, serenitatem et laetitiam animi, humanitatis multitudinem, sobrietatem et sinceritatem loquendi, mundi inanium neglectionem. In hoc quasi horto, fructibus iam tam copioso, vocationis germen ortum est ad vitam consecratam, quam Maria Magdalena grato cum animo accepit et diligenti alacritate coluit. Omnibus rebus relictis, die 22 Aprilis anno 1908, intravit uti probanda in Ursulinas loci Calvarienberg-Ahrweiler. Nomen cepit Sororem Bladinam a Sacratissimo Corde Iesu statuitque « sponsa heroica » Domini fieri. Die 3 Novembris anno 1910 vota temporanea nuncupavit, deinde addicta est muneri docendi in schola superiore pro puellis Ursulinarum Saravipontanarum. Ibi, paulo post, pulmonum morbum contraxit; qua re est Treviros missa eique est officium delegatum magistrae et custodis educandarum. Aliis etiam est iuncta humilioribus muniis, quae sollerter, cum simplicitate spirituque cum supernaturali explevit, cupiens per onmia Deo placere. Die 4 Novembris anno 1913 professionem perpetuam fecit. Postea confessa est : « Eo die me Divino Redemptori devovi et pro certo scio Illum sacrificium proba visse ». Hic devotionis spiritus anima fuit eius vitae consecratae et modus quo suprema evangelica praecepta explicavit (cf. *Mt* 22, 37-40). Ob Dei amorem se ipsam abnegavit, cotidie crucem portavit suam et celeri gradu est Magistrum secuta (cf. Lc 9, 23) in via sacrificii, occultationis, immolationis, contemplationis et actionis. Corde libero, viva fide et laeta spe illustrato et roborato, Domini

et superiorum est obsecuta voluntati, nec aliud oblectamentum invenit, quam caelestis Sponsi amori respondere. Scripsit enim : ((Volo meam oblationem cotidie iterare nec umquam meam ipsius facere voluntatem ... Cotidie magis volo effodere et mergi et dissolvi in divini amoris abysso et in Providentia, adeo ut mei obliviscar et in solo Domino restituar ». Animam suam alebat divinarum veritatum contemplatione, deprecatione continua, ardenti pietate erga altaris Sacramentum et Sacrum Iesu Cor, ex quo vim hauriebat ut sine intermissione in via perfectionis progressus faceret. « Cor Iesu — aiebat — speculum est animarum piarum, in quo cotidie se referunt et possunt notare utrum ei similes sint an non. Illud optimus est meditationis liber, consiliator sapientissimus et amantissimus, maximum solacii robur et durissimum levamen ». Cum humilitate plenaque cum fidelitate Regulas observavit sui Instituti et vota religiosa ; voluit omnium famula esse, semper ad alienas necessitates attenta semperque felix animorum et corporum fovere proximi bonum, praesertim alumnorum et Sororum: etiam de peccatoribus deque non credentibus curabat pro iisque deprecabatur, optans totum mundum scienter redemptionis bona communicare. Quoniam ((viam crucis Deus electis assignat : quo magis enim eos amat, eo magis cruciatibus onerat » (S. Teresia a Iesu, *Iter perfectionis,* 18, 1), Sorori Blandinae non defuerunt spiritus angustiae et graves corporis dolores. Phthisis, quae iam valetudinem eius debilitabat, in peius mutata est anno 1916, unde necessario stabiliter est valetudinario recepta Sororibus aegrotis curandis. Ultimum vitae temporis spatium egit in continuo amoris colloquio cum Deo, cui se totam obtulit in suavis odoris sacrificium. Nec solitudo, nec dolores nec aegritudines ei risum et pacem interiorem abstinerunt; quin haec existimavit gemmas inaestimabilis pretii, pro quibus Providentiae gratias agebat. « Dolor — dicebat — ab omnibus rebus materialibus et terrenis abalienat, animam effert et firmat et schola est optima amoris. Insuper ad Iesum ducit et cum Eo arte coniungit. Quam dulcis est mors, cum in terra Eum tantum amavimus, qui noster erit iudex ». Cal variam ascendit religioso et forti cum spiritu, et ivit obviam Sponso cum lampada accensa et manibus plenis turis. Pie et tranquille defecit nomen Iesu insurrans die 18 mensis Maii anno 1918, proximo ante sollemnitatem Pentecostes. Fama sanctitatis, qua viva floruit et mortua, non intermisit et procedente tempore increbruit; qua re episcopus Trevirensis Causam canonizaionis iniit celebratione processus ordinarii informativi (1954-1962). Die 4 Decembris anno 1980 Ipsi Nos Causae introductionem permisimus, vacationem simul dantes instruendi pro-

cessus apostolici super virtutibus in specie. Postea rite disceptatum est, exitu faventi, de virtutibus a Sorore Blandina exercitis et, die 9 mensis Iunii anno 1983 coram Nobis editum est Decretum super virtutibus. Ad Beatificationem obtinendam apud Curiam Archiepiscopalem Vindobonensen anno 1985 actus est processus cognitionalis de sanatione, mira habita, Sororis Irimbertae Puntigam, a « melanoma nodulare ulcerato ad 3° distale della gamba destra, in soggetto di 69 anni, con metastasi in transito (satellitosi) e metastatizzazione massiva di linfonodi regionali inguino-crurali ; stadio clinico III, a/b secondo la classificazione M. D. Anderson Hospital ; microstadiazione istologica del 5° livello di Clark ». Sanationem, quae facta est prima hebdomada Novembris anno 1969 et deprecationi Servae Dei tributa, approbarunt Consilium Medicorum, Congressus Consultorum Theologorum et Congregatio Patrum Cardinalium et Episcoporum. Die 8 Maii hoc anno sivimus edi Decretum, quo professi sumus hanc sanationem subitaneam, perfectam et stabilem esse miraculo effectam et, qua talem, deprecationi Venerabilis Servae Dei Blandinae Merten tribuendam. Dein dies est statuta sollemnis Beatificationis. Hodie igitur, in Vaticana Basilica Sancti Petri haec sumus inter sollemnia locuti : <(Nos, vota fratrum nostrorum Iacobi Ménager, Archiepiscopi Remensis, Ansgarii Saier, Archiepiscopi Friburgensis, Hermanni Iosephi Spital, Episcopi Trevirensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de consulto Congregationis pro Causis Sanctorum, Auctoritatt Nostra Apostolica, facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Arnoldus Rèche, Ulrica Francisca Nisch et Blandina Maria Magdalena Merten, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum, die ipsorum natali : Arnoldi Rèche die vicesima tertia Octobris ; Ulricae Franciscae Nisch die octava Maii; Blandinae Mariae Magdalenae Merten die decima octava Maii, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ». Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma esse volumus et nunc et in posterum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die i mensis Novembris, anno **MCMLXXXVII**, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 210.761.

III

Fit facultas Episcopo Gorzoviensi sacram coronandi imaginem B. M. V. « Dominae patientis auditionis », quae in paroecia Rokitno eiusdem dioecesis pie colitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quam iucunda omnino cum animi recordatione, quam suavi simul cum pietatis adiectione ad locum simulacrum cultum revolvimur hodie Beatissimae Virginis Mariae in paroecia Rokitno, dioecesis ipsius Gorzoviensis, ubi tot iam annos a tam multis ac magnis fidelium multitudinibus totque sacris ministris et Nostris in Episcopatu Fratribus tanto quidem religionis verae ardore fideique solidae fervore percolitur, sicut etiam a Nobis haud semel, imago Virginis Immaculatae illa quam tum historiae fama tum doctorum studia pluribus de causis venerabilem sane esse commonstrant, quin immo et caelestibus gratiarum signis prodigiosam ! Quem ad modum vero laetitiae singulari Decessori Nostro immortalis memoriae Paulo VI fuit Deiparam Virginem loci Rokitno caelitem apud Deum ^destinare communitatis Gorzoviensis Patronam, ita profecto summe nunc ipsum Nos iuvat alium optabilem deferre honorem decoremque ad eam « Dominam patientis exauditionis » Rokitnensem hoc feliciter vertente Anno Mariali, unde maiora usque sanctitatis ac salutis beneficia longe lateque a piis percipiantur peregrinatores ac fidelibus non illius modo regionis, verum totius Nostrae patriae aliarumque pariter nationum. Precibus videlicet obsequi festinamus Venerabilis Fratris Iosephi Michalik, sacrorum ipsius Gorzoviensis Antistitis, qui tot aliorum pastorum adsensus optatis necnon suorum decessorum in munere Ordinarii omnium, a Nobis expetere non dubitavit ut memoratam Mariae Iesu Matris effigiem pretioso diademate redimire sibi Nostro liceret nomine auctoritateque, ut gratus animus et populi fidelis sedulo orantis amor declararetur in primis regionis Vielkopolskae, Lubuskae et Pomeraniae occidentalis erga Virginem Rokitnensem quae simul fidem traditam simul nationem praesenti tuita esset auxilio. Utpote qui quam vehementissime cupiamus ut saecularis iam pietas in eandem imaginem magis excitetur magisque per loca, consiliis rite cum Congregatione pro Cultu Divino collatis, de plenitudine potestatis Nostrae apostolicae hasce ipsas per Litteras probato quem

diximus Episcopo Gorzoviensi facultatem facimus libentes ut venusto illi simulacro Beatae Virginis Matris « patientis exauditionis » apud paroeciam Rokitno magni pretii ipse aliquando pro Nobis coronam imponat Nostrosque inibi sensus propalam explicet et inculcet, dum liturgicus ritus ac formula praescripta diligenter adservantur. Contrariis quibuslibet rebus neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die xxn mensis Ianuarii, anno **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

ffi **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI,** ***a publicis Ecclesiae negotiis***

Loco ©Sigilli
In Secret. Status tab., n. 210.530.

IV

Sinitur Episcopus Lublinensis coronandi simulacrum B. M. V. « Dominae Nostrae Plorantis », quae pie servatur in cathedrali aede S. Ioannis.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Complura inter sacella illa ac monumenta Marialia, quibus et merito Nostra patria Polonia catholica gloriatur et peculiari universam per Ecclesiam honore collustratur, Lublini quoque novimus Nos haud secus ac noveramus semper ipsa in cathedrali aede Sancti Ioannis sacra sanctuarium reperiri inibique simulacrum Beatissimae Virginis Mariae a Christifideli regionis eiusdem pic tu m exornatumque affabre, quod ob prodigiosum qui memoriae proditus est eventum nuncupari consuevit Dominae Nostrae Plorantis. Quoniam vero sine ulla quidem intermissione recentioribus hisce annis magis augetur magisque in dies pietas publica privatusque singulorum cultus erga praecelsam Iesu Christi Matrem eo titulo insignitam eoque etiam loco custoditam, peropportune ideo Venerabilis Frater Boleslaus Pylak, Episcopus ipse Lublinensis, consentaneam usquequaque repetiturum se effecturumque existimavit, si facultate sibi a Sede Apostolica tributa quasi cumularet omnia illa religionis ac fidei documenta imponendo eidem effigi ei pretioso Nostram ad mentem serto, sicque praestantem Virginis Mariae statum et locum in cotidiana dioecesis Lublinensis vita singulariter atque

insigniter esse in posteros annos confirmatorum. Quae eximia cum Nobis plane probetur causa ipsumque egregium dilaudetur inceptum, Kos sententiam excipientes sancientesque Congregationis pro Cultu Divino hac de re perlibenter statuimus et fidelium expressis saepenumero votis et memorati Praesulis motis obsequi precibus. Quapropter hisce Litteris atque Apostolica Nostra potestate Lublinensi Ordinario ipsas committimus partes ut imagini Virginis Mariae « plangentis » apud suum cathedrale templum die suo item arbitrio deligendo inter Missarum sollemnia secundum praestitutam formulam ritumque liturgicum pretiosam Nostro nomine et auctoritate coronam adfigat. Porro dubitamus minime Nos quin haec sacra celebratio Sanctissimae Deiparae Virginis maximum in religionis illic catholicae bonum populique proximi Lublinensis ac longinqui pariter emolumentum spiritale cedere possit proindeque fore certo confidimus ut inspicientes deinceps diadema pontificia voluntate adiectum ad eandem Dei percolendam Matrem vehementius usque incitentur. Contrariis quibusvis haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvin mensis Ianuarii, anno **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI,** *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco iji Sigilli
In Secret. Status tab., 210.101t.

V

Beata Maria Virgo titulo « di Capocolonna » nuncupata, Principalis apud Deum Patrona archidioecesis Crotonensis-Sanctae Severinae confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Croton, urbs clarissima olim Magnae Graeciae, nunc merito commendatur quoque ob impensam pietatem qua eius cives proximique incolae Beatam Mariam Virginem titulo ((di Capocolonna » invocatam colunt, cuius sacratissima imago in eiusdem civitatis cathedrali templo pie servatur, cuiusque in honorem Crotonenses fideles Sanctuarium antiquitus curaverunt aedificandum in celebri sane illo promunturio Lacinio, quo priscis temporibus Pythagorica Schola praestans viguit et notum fanum Herae Laciniae

dicatum exstitit. Quare, cum Venerabilis Frater Iosephus Agostino, Archiepiscopus Crotonensis-Sanctae Severinae, communia cleri populique vota excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis memorato sub titulo in Patronam Principalem apud Deum Ecclesiae suae rite probaverit atque, datis litteris die **VII** mensis Ianuarii hoc anno, petiverit ut electio et approbatio huiusmodi iuxta « Normas de Patronis constituendis » et ad normam Instructionis « De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum propriis recognoscendis », n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmaretur, Nos libentissimo quidem animo istius Pastoris preces audiendas esse censemus. Iis igitur comprobatis, quae Congregatio pro Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo « di Capocolonna » invocatam, Principalem apud Deum Patronam archidioecesis Crotonensis-Sanctae Severinae confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Quod vero hac die Nostra auctoritate sancimus, augeat inibi cultum erga praecelsam Dei Genetricem « columnam mundi » quae portavit Christum Dominum, lapidem angularem historiae (cfr. *1 Pe* 2, 6) ; pariterque cedat in bonum istius dilectissimae Nobis Ecclesiae nuper unitae ac faustum sit auspicium pro dioecesana Synodo illic proxime celebranda. Has denique Litteras ratas esse volumus sive nunc sive in posterum, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xii mensis Martii, vertente Mariali Anno **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 215.473.

EPISTULAE

I

R. D. presbytero Aegidio Vigano, Rectori maiori Societatis S. Francisci Salesii post centum transactos annos ab obitu S. Ioannis Bosco.

DILECTO FILIO AEGIDIO VIGANO, RECTORI MAIORI SOCIETATIS S. FRANCISCI SALESII.

IOANNES PAULUS PP. II

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — **1.** *Iuvenum patris* et magistri, sancti Ioannis Bosco, obitum post centum transactos annos cum dilecta ista Salesiana Societas commemorandum opportuna per incepta susceperit, datam opportunitatem perquam libenter arripimus ut iuventutis quaestiones iterum penitus perpendamus, ea considerantes gravissima officia, quae in Ecclesiam recidunt ut ipsi iuvenes ad futuri temporis munera ineunda apparentur.

Etenim Ecclesia iuvenes vehementer diligit; quapropter numquam sane non, at potissimum hoc tempore, cum annus bis millesimus iam impendet, adduci se a Domino percipit ut peculiari cum amore et spe illos respiciat et eorum simul censeat institutionem velut unum esse e praecipuis muneribus suis pastoralibus.

Quem ad modum asseveravit clarissimo e rerum prospectu Concilium Vaticanum Secundum, « hodie genus humanum in nova historiae suae aetate versatur »;[1] et alibi eodem docente Concilio, « conatus fiunt ad opus educationis magis magisque promovendum ».[2] Hoc ergo tempore, quo modi ac rationes animorum culturae in alias transeunt formas, Ecclesia animadvertit magna quidem cum sollicitudine quam in ipsa hac institutionis provincia sit necessarium ut discrimen illud supervadatur altioris cuiusdam discidii inter Evangelium et culturam,[3] quod salutiferum Christi nuntium imminuit ab hominumque segregat consortione.

In ea quam habuimus Nos oratione coram Coetus Nationum Unitarum participibus, cui titulus UNESCO est, haec inter alia, pronun-

[1] Const. Past. De Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes,* 4.

[2] Declaratio de educatione Christiana *Gravissimum educationis,* prooemium.

[3] Cfr. Pauli VI Adhort. Apost. *Evangelii nuntiandi* (8 m. Decembris 1975), 20: *AAS* 68 (1976), p. 9.

tiavimus : « Dubitatur nihil quin primaria ipsa principalisque res ad culturam attinens exsistat *homo spirituali ratione maturus,* homo videlicet usquequaque educatus, homo, qui potest se ipsum instruere necnon et ceteros pariter instituere » ;[4] inibi etiam monuimus res iam eo propendere ut « in unam dumtaxat partem tendatur ad eruditionem » indeque omnia tractari posse ut arcessatur « vera educationis abalienatio)).[5] Qua de causa his verbis sententiam Nostram indicavimus : « *Primum necessariumque officium culturae* universim ac particulatim cuiusque culturae *est educatio.* Quae in eo consistit quod magis homo evadere homo possit, ut plus ipse "esse" valeat nec tantum plus "habere", ac propterea omnibus ex iis quae "habeat", omnibusque iis quae "possideat", plenius homo "esse" ille sciat ».[6]

Compluribus in illis congressionibus, quas adhuc cum variarum orbis terrarum celebravimus iuvenibus, necnon in nuntiis a Nobis ad eosdem missis ac potissimum in Epistula, quam anno millesimo nongentesimo octogesimo quinto iuvenibus inscripsimus ((internationali vertente anno iuventuti dicato », affirmavimus quantum Nobis persuasum esset Ecclesiam cum adulescentibus procedere cum iisdemque ambulare debere.[7]

Easdem vero sententias illas ac notiones et nunc repetere cupimus rursumque inculcare celebritatibus iamiam saecularibus volventibus ipsius « diei natalis » magni cuiusdam Ecclesiae filii, sacerdotis nempe sancti Ioannis Bosco, qui a Decessore Nostro Pio XI sine ulla dubitatione descriptus est « educator princeps ».[8]

Iucundissimam sane Nobis opportunitatem eadem haec commemoratio praebet colloquendi per litteras non Tecum modo Tuisque Fratribus ac Sodalibus universis Salesianae Familiae, verum etiam cum iuvenibus, quibus devovetur educandi industria et cum educatoribus ipsis christianis coniugibusque, qui omnes invitantur ut adeo praecelsum ministerium procurent tum humanum tum etiam ecclesiale.

Pariter sane Nos memorare iuvat eandem hanc « memoriam » Sancti Ioannis Bosco ipso contingere « Anni Marialis » tempore, qui mentem nostram ad eam nominatim dirigit, « quae credidit » : intra ipsius

[4] ***Allocutio ad UNESCO*** **(2 m. Iunii 1980), 12: *AAS* 72 (1980), p. 743.**

[5] ***Ibidem,*** **13: *I. c,* p. 743.**

[6] ***Ibidem,*** **11: *I. c,* p, 742.**

[7] **Epistula Apostolica ad iuvenes internationali vertente anno iuventuti dicato, *Parati semper* (31 m. Martii 1985): *AAS* 77 (1985), pp. 579-628.**

[8] **Pius XI, Litt. Decret. *Geminata laetitia* (1 m. Aprilis 1934): *AAS* 27 (1935), p. 285.**

nempe magnanimam consensionem fidei uberrimum detegimus fontem eius educandi operae,[9] primo uti Iesu Matris deindeque Ecclesiae etiam Matris atque Christifidelium Auxiliatricis omnium.

I

2. Augustae Taurinorum Ioannes Bosco obiit Ianuarii mensis tricesimo primo die anno millesimo octingentesimo octogesimo octavo. Suae vero vitae septuaginta ferme tribus annis spectavit ille veluti testis oculatus magnas quidem implicatasque rerum politicarum, socialium, humanarum commutationes : motus varios ad societatis perficiendam penitus eversionem, bella atque hominum commigrationes de agris in urbes : quae singula populi ipsius valde affecerunt condicionem potissimumque pauperiorum ordinum. In suburbiis conglomerati pauperes universim ac particulatim iuvenes immodico quaestui habentur aut opere carentes connectantur : illorum propterea incrementum tum humanum et morale tum religiosum et ad artis professionem pertinens parum sane diligenter procuratur, quin immo funditus saepe neglegitur. Novis cum facile rerum motibus ipsi inclinentur, iuvenes saepius securi haud sunt et confunduntur. Coram hac evulsa suis locis multitudine hominum veluti obstupescit communis illa ac usu accepta educandi ratio : diversis inde nominibus philanthropi atque educatores necnon filii et filiae Ecclesiae operam vicissim dant ut obviam procedatur novis illis necessitatibus. Inter eos conspicuus exstat Augustae Taurinorum Ioannes Bosco ob clarissimum suum instinctum christianum, animosum etiam propter suum inceptum tum denique ob celerem et latam proprii operis disseminationem.

3. Sibi prorsus videbatur recepisse peculiare in vita officium atque adiuvari et quasi manu deduci ad explendum munus suum a Domino ipso maternaque Virginis Mariae deprecatione. Talis autem fuit responsio eius eidem vocationi ut publica eum auctoritate proposuerit fidelibus Ecclesia mater tamquam sanctimoniae exemplar. Cum anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto, exeunte Redemptionis Iubilaeo, Decessor Noster immortalis memoriae Pius XI in album Sanctorum Caelitum ipsum referret, laudationem simul contexuit eius, quam nulla umquam exstinguet oblivio.

[9] Cfr. Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 m. Martii 1987), 12-19: *AAS* 79 (1987),

Patre iam puerili aetate orbatus, et a matre institutus animo usquequaque humano atque christiano, Ioannulus cumulatur a providentissime Deo donis unde iam primis ab annis fit amicus magnanimus ac diligens suorum aequalium. Adulescentia illius iam singulare eius educandi opus anticipat. Iam vero in urbe illa Taurinensi, omni tunc ex parte efflorescente et progrediente, sacerdos Ioannes proximum consortium instituit cum adulescentibus in carcere retentis atque pariter alios tractat hominum tristissimos casus.

Praeditus, uti fuit, opportuna rerum concretarum aestimatione atque diligens simul historiae ecclesiasticae inquisitor, ipse rationem « Oratorii » derivavit e talium condicionum cognitione necnon de experimentis aliorum virorum apostolicorum, praesertim sanctorum Philippi Neri et Caroli Borromeo. Quod nomen Oratorii gratissimum illi fuit : enim Oratorium signavit universam ipsius industriam, idque accommodavit ille paulatim secundum rationem sibi propriam et peculiarem iuvenibus ipsi creditis eorumque necessitatibus pro locorum temporumque natura. Praecipuum vero patronum et exemplar adiutorum suorum elegit Sanctum Franciscum de Sales, virum multiplicis studii ac bonitatis humanissimae, quae morum suavitate in primis comprobabatur agendique mansuetudine.

4. Initur anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo ((Opera Oratoriorum » per « catechismum simplicem » gradatimque extenditur ut convenienter ea condicionibus prementibus ac necessitatibus respondeat : hospitium accedit quo abiecti recipiantur iuvenes, officina dein et schola artium munerumque, ubi utile doceantur opus ap tique reddantur qui victum sibi honesto lucrentur modo; aperitur humanarum ludus disciplinarum, viam sternens ad sacrarum vocationum proposita boni preli opus; incepta denique et remissionis animorum rationes ea vigentes aetate instituuntur (theatrum, grex symphoniacus, cantus, gestationes autumnales). Peropportuna illa elocutio : « Esse vos iuvenes satis est ut vehementer vos diligam »,[10] vox propria est, quin immo multo antea, optio educandi primaria huius Sancti : « Sum ego Deo pollicitus vel extremum etiam halitum meum pauperibus meis iuvenibus me traditurum Ac revera pro illis miram quandam persequitur industriam verbis et scriptis, institutionibus, itineribus, con-

[10] *Il Giovane Provveduto,* Augustae Taurinorum 1847, p. 7.

[11] *Memorie biografiche di S. Giovanni Bosco,* vol. 18, Augustae Taurinorum 1937, p. 258.

gressionibus cum civilibus religiosisque auctoritatibus. Pro illis in primis sollicitam testatur curam, ipsas eorum personas complectentem, ut in paterno Ioannis amore amoris altioris documentum percipere iuvenes possint.

Amoris dynamica vis eius sese in universalem dilatat amorem eumque impellit ut voces longinquarum exaudiat nationum, usque ad transmarinas missiones, ut evangelizatio suscipiatur, quae haud umquam a vero progressionis humanae seiungitur opere.

Easdem vero secundum agendi regulas eodemque pariter animi ardore mederi ipse etiam iuventutis femineae contendit difficultatibus. Iuxta eum igitur Dominus excitat sociam fundatricem, sanctam Mariam Dominicam Mazzarello, una cum collegarum iuvenum manipulo, iam pridem apud paroecias christianae puellarum institutioni deditarum. Paedagogica autem ratio eius alios quoque adiutores allicit — tam viros quam mulieres — firmis « consecratos » votis, ((cooperatores » coniunctos cum illo per communicationem eorundem praecellentium paedagogicorum et apostolicorum propositorum; adiungit denique secum « quondam alumnos », quos hortatur ut institutionem perceptam et ipsi testentur et promoveant.

5. Tantum porro rerum suscipiendarum studium fructus est solidissimae vitae interioris. Ipsa huius Sancti figura, ob peculiarem qualitatem, inter praestantes eum reponit Institutorum religiosorum in Ecclesia conditores. Multis quidem excellit rationibus : auctor est scholae novae animosque allicientis apostolicae spiritualitatis; peculiaris fautor est pietatis erga Mariam, Christianorum Auxiliatricem Matremque Ecclesiae, testem praeterea se praebet sinceri animosique ecclesialis sensus, quem ostendit interventibus magnae quidem prudentiae in tunc temporis rationibus inter Ecclesiam ac Civitatem perquam difficilibus; ut apostolus eminet, qui ad concretam rerum condicionem usumque vitae sese refert, qui etiam proventibus patet atque effectibus novorum inventorum ; studiosus est Missionum sacrarum temperator cum animi affectu vere catholico ; insigniter autem ut exemplar effulget praecipui amoris et praeter omnes erga iuvenes, potissimum vero egentiores in Ecclesiae societatisque bonum; magister tandem efficacis et ingeniosae agnoscitur educandi viae, quam veluti donum magni pretii post se reliquit sollerter custodiendum ac rite provehendum.

Respicere id vero hisce in Litteris apud Ioannem Bosco Nos iuvat quod nempe propriam suam consequitur vitae sanctimoniam per pae-

dagogicum officium, fervore pectoreque apostolico exactum, quodque simul sanctitatem exhibet tamquam suae institutoriae artis certissimam metam. Haec profecto reciproca permutatio inter « educationem » ac « sanctitatem » ipsa esse videtur huius viri proprietas : est enim ille « educator sanctus » atque « sanctum exemplar » sequitur — scilicet Franciscum de Sales — et discipulus est ((magistri spiritualis sancti » Iosephi Cafasso valetque inter iuvenes instituere « educandum sanctum », Dominicum Savio.

II

6. Iuvenum status hac aetate, saeculo videlicet a Sancti obitu elapso, plurimum sane commutatus est condiciones rationesque demonstrat multiplices, quem ad modum neminem prorsus educatorum aut pastorum praeterit. Nihilo tamen minus, etiam hoc ipso tempore eaedem illae quaestiones et interrogationes permanent, quas secum iam inde a ministerii sui initiis ponderabat Ioannes Bosco studens eas intellegere sibique statuens eas convenienter expedire. Qui iuvenes sunt? Quid cupiunt? Quo tendunt? Quibus egent rebus? Hae tunc perinde ac hodie instant difficiles quaestiones, neque effugere eas quisquam educator potest, verum dissolvendas suscipere.

Inter omnis hodie orbis terrarum iuvenes non desiderantur complures, qui reapse bona animi et spiritus persentiunt adiumentumque concupiscunt et solidum adminiculum, quo fulciantur maturescente propria persona. Ex altera vero parte iuventutem constat impulsionibus obici malis et stimulis profitentibus ex diversis ideologiis. Intentus autem educator rationem sibi reddere sciet verae adulescentium condicionis atque inibi agere certa cum auctoritate et peritia necnon prudentia longe in posterum prospiciente.

7. Quo in opere se incitari percipit et illuminari atque sustentari incomparabili Ecclesiae traditione institutoria.

Conscia enim sibi populum se esse, cuius Deus sit pater et magister secundum luculenta Sacrarum Litterarum testimonia (cf. *Deut* 1, 31; 8, 5; 32, 10-12; *Os* 11, 1-4; *Is* 1, 3; *Ier* 3, 14-15; *Prov* 3, 11-12; *Heb* 12, 5-11 ; *Apoc* 3, 19) Ecclesia « humanitatis perita », iure meritoque appellare se potest etiam <(educationis peritam ». Hoc namque historia ipsa testificatur duorum milium annorum, quam parentes et familiae, sacerdotes et laici viri ac mulieres, instituta religiosa et ecclesiales motus

conscripserunt, qui per educationis ministerium proprium charisma declaraverunt, quo nempe divinam continuarent educationem, cuius culmen est in Christo. Propter tot educatorum ac pastorum, tot Ordinum et Institutorum religiosorum opus, a quibus institutiones inaestimabilis excellentiae humanae et culturalis sunt promotae, ipsa Ecclesiae historia evadit maximam quidem partem una eademque res ac populorum historia educationis. Revera oportet Ecclesia, sicut Concilium docuit Vaticanum II, educationem procuret, ut oboedientem se comprobet erga « mandatum implendum a divino suo Conditore acceptum, mysterium nempe salutis omnibus hominibus nuntiandi et omnia instaurandi in Cristo ».[12]

8. Paulus PP. VI, venerandae memoriae, de Religiosorum actione loquens eorumque alacritatem proferens in lucem, dixit eorundem apostolatum « saepe proprietate et ingenii acumine distingui, quae ad admirationem perpellant ».[13] Quod ad Sanctum Ioannem Bosco pertinet, magnae Familiae spiritualis conditorem, affirmari potest excellents eius ingenii notam peculiarem coniungi cum disciplina illa institutoria, quam ipse appellavit ((rationem ad praecavendum aptam » seu « praeventivam ». Hoc ostendit quodam modo summam prudentiae paedagogicae ipsius et nuntius est propheticus, quem ipse suis reliquit et Ecclesiae universae, consideratus et comprobatus a multis educatoribus et paedagogiae studiosis.

Vox « praeventiva », qua is utitur, accipienda est potius quam secundum suam grammaticam significationem, secundum copiam notarunt peculiarium institutoriae artis huius Sancti. Est imprimis commemoranda voluntas praeveniendi maiorum experimentorum ortum, quae possint vires iuvenis in discrimen vocare aut hunc ad longos et duros recuperationis nisus cogere. Inest vero in illa voce etiam perspicientia, peculiari cum vehementia habita, insunt optiones accuratae, rationes methodologicae, quales : ars educandi modo « positivo », quatenus bonum proponitur experientiis consentaneis et iuvenes implican tibus, ad alliciendum aptis ob earum dignitatem et pulchritudinem ; ars efficiendi ut iuvenes ((intus in animo)) crescant, quatenus libertas interior eorum stimulatur et condicionibus eos astringentibus et nimiae legum exteriori observantiae obsistitur; ars sibi conciliandi iuvenum

[12] Declaratio de educatione Christiana *Gravissimum educationis,* prooemium.

[13] Adhortatio Apost. *Evangelii nuntiandi* (8 m. Decembris 1975), 69: *AAS* 68 (1976), p. 59.

animos, ut cum laetitia et oblectamento excitentur ad bonum; errationum emendatio eorumque praeparatio ad futura munera per solidam indolis eorum formationem.

Ut par est, hic paedagogicus nuntius requirit ut educator persuasum sibi habeat in omni iuvene, utcumque est abiectus vel depravatus, ad bonum efficiendum vires inesse, quae, opportune excitatae, possint ad fidei et honestatis electionem perducere.

Expedit ergo paulum immorari ut breviter consideremus id, quod ob providam Verbi Dei resonantiam, est una ex formis paedagogiae huius Sancti singularissimis.

9. Ioannes Bosco vir industriae multiformis et indefatigabilis, per vitam suam proposuit efficacissimam institutionem, adeo ut iam ab aequalibus eminens educator sit habitus. Paucae paginae, quibus suam exposuit paedagogicam experientiam,[14] plenam significationem consequuntur, solum si conferuntur cum summa diuturnae et amplae experientiae, quam cum iuvenibus vivendo sibi comparavit.

Eius consilio, educare peculiarem requirit educatoris habitum et multiplices modos, in persuasionibus rationis et fidei innixos, qui actionem paedagogicam moderantur. In intima parte eius iudicii de hac re est « caritas pastoralis », quam ita describit : « Usus rationis "praeventivae" nititur totus verbis Sancti Pauli, qui dicit : Caritas benigna est et patiens ; omnia suffert et omnia sustinet ».[15] Ea ad amandum iuvenem movet, quicumque est status in quo versatur, ut eum adducat ad humanitatis plenitudinem, quae in Christo revelata est, ut ei conscientiam praebeat et potestatem vivendi sicut vivit honestus civis filius Dei. Ea monstrat et alit vires, quas Sanctus breviter exprimit iam claro illo trinomio : <(Ratio, religio, amabilitas ».[16]

10. Vox, « ratio » in lumine ponit, secundum veram « humanismi » christiani visionem, « valorem » personae, conscientiae, naturae humanae, culturae, laboris, vitae socialis, seu omnium illorum « valorum », qui sunt necessaria quasi supellex hominis in eius vita familiari, civili et publica. In Litteris Encyclicis a verbis *Redemptor hominis*

[14] Cfr. *Il Sistema Preventivo, In* « Regolamento per le case della Società di S. Francesco di Sales», Augustae Taurinorum 1877, in Giovanni Bosco, *Scritti pedagogici e spirituali* (a cura di AA. YV.), LAS Roma 1987, p. 192 ss.

[15] *Ibidem,* pp. 194-195.

[16] Cfr. *ibidem,* p. 166.

incipientibus memoravimus: « Praecipua Ecclesiae via est Iesus Christus: et est ad quemlibet hominem via ».[17]

Res significans est animadvertere iam ante amplius centum annos Ioannem Bosco magnum momentum tribuisse aspectibus humanis et condicioni historicae « subiecti »; eius libertati, eius ad vitam praeparationi et ad munerum professionem, ad officiorum civilium assumptionem, in condicione laetitiae et in studiosa proximi cura. Haec proposita verbis efficacibus et simplicibus exprimebat, ut « hilaritate », « studio », « pietate », « prudentia », « labore », « humanitate ».

Eius praeclara artis institutoriae forma notatur moderatione et respectu rerum concretar um. In eius consilio paedagogico inter se egregie coniunctae sunt stabilitas eius quod est essentiale et res historicae fortuito evenientes, res translaticiae et novae. Sanctus vir iuvenibus viam simplicem proponit et simul officio obstringentem, quae his verbis praestantibus et pulchris breviter declaratur: « Honestus civis, quia bonus christianus ».

In summa, ((ratio », cui Ioannes Bosco credit tamquam dono Dei et tamquam muneri educatoris pernecessario, bona animi indicat necnon proposita persequenda, instrumenta et modos adhibenda. « Ratio » iuvenes impellit ad participanda, pro sua parte, ea bona cognita et comprobata. Ille eam definit etiam « aequum cum ratione consensum », ob illud necessarium spatium tribuendum indulgentiae, colloquio et immutabili patientiae, in quo perficitur non facile exercitium rationalitatis.

Haec, certe, postulant hodie ut mens feratur in anthropologiam renovatam et integram, liberam ab imminutionibus ideologicis. Educator huius aetatis oportet attente sciat signa temporum intellegere ut comprehendat « valores » qui ex iis emergunt quique iuvenes alliciunt: pacem, libertatem, iustitiam, communionem et participationem, mulieris provectionem, solidam necessitudinem hominum, progressionem, necessitates oecologicas.

11. Altera vox, « religio », significat Ioannis Bosco paedagogiam esse suapte natura transcendentem humana, quoniam propositum institutorum summum, quod is constituit, est formatio credentis. Eius sententia homo recte formatus et maturus est civis fidem colens, qui

[17] Litt. Enc. *Redemptor hominis* (4 m. Martii 1979), 13. 14: *AAS* 71 (1979), pp. 282. 284-285.

in medio vitae suae loco ponit egregiam formam hominis novi, a Iesu Christo denuntiati, et qui est suarum religiosarum persuasionum animosus testis.

Non agitur — ut patet — de religione speculativa et abstracta, sed de fide viva, in rebus posita, in praesentia et communione collocata necnon in auditione et docilitate erga gratiam. Sicut dicere consueverat, « columnae aedificii institutorii » [18] sunt Eucharistia, Paenitentia, pietas in Virginem Mariam, amor Ecclesiae eiusque Pastorum. Eius educatio est « iter » precationis, liturgiae, vitae sacramentalis, moderationis spiritualis : pro quibusdam, responsio ad specialis consecrationis vocationem (quot sacerdotes et religiosi in institutis Sancti formati sunt !) ; pro omnibus prospectus et adeptio sanctitatis.

Ioannes Bosco est presbyter diligens, qui ad fundamentum revelatum omnia refert, quae accipit, q~uae donat, ex quibus vivit.

Hic aspectus « transcendentiae » religiosae, fundamentum methodi paedagogicae Ioannis Bosco, non solum ad omnes culturas applicari potest, sed fructuose accommodari potest etiam ad religiones non christianas.

12. Denique, quod ad rationem methodologicam spectat, proponitur « amabilitas ». Agitur de consuetudine cotidiana, quae non est simplex humanus amor nec sola caritas supernaturalis. Ea significat res multiplices et continet animi facilitatem, sana iudicia et agendi rationes consentaneas.

« Amabilitas » fit cura educatoris omnino dediti educandorum bono, praesentis inter eos, parati ad subeunda incommoda et labores in proprio munere implendo. Haec omnia requirunt ut magister vere praesto sit iuvenibus, requirunt magnam benevolentiam et facultatem colloquii. Singularia sunt et quam maxime significantia haec verba: ((Hic vobiscum bene est mihi : vere mea vita est vobiscum esse ». [19] Praestanti cum perspicacia aperte haec profert : « hoc interest : iuvenes non solum amari, sed se amari cognoscere». [20]

Verus ergo educator vitam iuvenum participat; de eorum quaestio-

[18] Cfr. Giovanni Bosco, *Scritti pedagogici e spirituali* (a cura di AA. VT.), LAS, Roma 1987, p. 168.

[19] *Memorie biografiche di S. Giovanni Bosco,* voi. 4, S. Benigni in Salassis 1904, p. 654.

[20] *Lettera da Roma,* 1884, in Giovanni Bosco, *Scritti pedagogici e spirituali* (a cura di AA. VT.), LAS, Roma 1987, p. 294.

nibus curat, intellegere studet quo modo ii res iudicent; cum iis communicat ludicras corporum et culturales mentium exercitationes, necnon sermocinationes ; ut amicus maturus et officii sui conscius proponit vias et metas ad bonum assequendum, promptus est ad se interponendum ut quaestiones explicet, indicet iudicandi regulas, cum prudentia benignaque cum firmitate aestimationes corrigat et mores reprehendendos. In hac condicione « praesentiae paedagogicae », educator non existimatur « superior », sed « pater, frater et amicus ».[21]

Iuxta hunc prospectum anteponuntur imprimis necessitudines personales. Ioannes Bosco libenter voce familiaritatis utitur, qua probum educatorum usum cum iuvenibus definiat. Diuturna experientia ei persuasit sine familiaritate amorem non posse ostendi, nec posse sine eiusmodi ostensione illam oriri fiduciam, quae est condicio pernecessaria ad felicem actionis institutoriae exitum consequendum. Proposita adipiscenda, rerum agendarum ordines, directiones methodologicae ad effectum adducentur et efficaciam obtinebunt, si notam sinceri « spiritus familiae » prae se ferunt, videlicet si perficiuntur in consortione serena, iucunda, animos excitante.

Hac in re est saltem mentio facienda multi spatii et dignitatis, quae Sanctus vir tempori oblectatorio, ludicris corporis exercitationibus, musicae, theatro vel — ut eum dicere iuvabat — cavaedio tribuebat. Ibi, in simplicitate et in laetitia maturae necessitudinis, sagax educator invenit modos se immiscendi, tam verbis leves, quam efficaces constantia et indole amicitiae, in qua fiunt.[22] Congressio, ut sit institutoria, exigit continentem at aerem curam, quae adducat ad singulos ipsos cognoscendos et simul elementa eius condicionis cultus humani, quae est eorum communis. Agitur de alacri et benevola attentione in appetitiones, in existimationes, in condiciones obstringentes, in status vitae, in exempla ambitus vitae, in animorum contentiones, in vindicationes, in proposita communia. Agitur de percipienda necessitate formandi conscientiam, sensum familiarem, socialem et politicum, maturitatem in amore et in visione christiana eorum, quae ad sexum attinent, facultatem critice iudicandi et iustae docilitatis in aetatis auctu et habitus mentis, dum semper probe agnoscatur iuventutem non esse

[21] *Ibidem,* p. 296.

[22] Quod ad nexum inter lusus et institutionem iuxta Ioannis Bosco mentem et consuetudinem, constat Salesianorum Oratoria denotari ob tempus obleetatorium tributum corporis exercitationibus, theatro, arti musicae, atque cuilibet incepto sanae compositaeque relaxationis.

solum fugax momentum, sed verum tempus gratiae ad personam formandam.

Hodie quoque, etsi in condicione cultus humani civilisque mutata, in qua iuvenes habentur etiam religionis non christianae, haec proprietas est unum ex multis postulatis probatis et singularibus paedagogiae Ioannis Bosco.

13. Cupimus enim notare has paedagogicas rationes non in praeteritum solum tempus reici : huius Sancti viri figura, iuvenum amici, adhuc blanditia sua iuvenes attrahit, pertinentes ad diversissimas humani cultus formas, quae sub caelo sunt. Certe, eius nuntius paedagogicis est etiam altius perscrutandum, accommodandus, renovandus intellegenter et audacter, ob ipsas mutatas condiciones sociales culturales, ecclesiales et pastorales. Opportunum erit ea considerare, quae recens in multis vitae campis sunt reclusa et comparata, signa temporum et normas Concilii Vaticani II. Ioannis Bosco tamen doctrina quoad substantiam manet; eius spiritus proprietas, eius perspicientia, eius habitus, eius charisma non deficiunt, quia ex trascendenti Dei hauriuntur paedagogia.

Sanctus Ioannes Bosco etiam ob aliam causam ad praesentia pertinet : docet enim « valores)) perennes Traditionis novis solutionibus complere, ut creatrice virtute occurratur necessitatibus et quaestionibus eminentibus : difficilibus his temporibus nostris pergit esse magister, ((novam educationem » proponens, quae est simul creatrix et fidelis.

<(Ioannes Bosco revertere » *(Don Bosco ritorna)* : hic est Familiae Salesianae cantus translaticius : quo quidem simul « reditus Ioannis Bosco » et « reditus ad Ioannem Bosco » desideratur, ut educatores apti sint ad fidelitatem erga vetera servandam et una simul attenti, sicut ille, in plurimas iuvenum huius temporis necessitates; ut in eius hereditate rursus inveniant principia, quibus hodie quoque respondeatur eorum difficultatibus eorumque exspectationibus.

III

14. Ecclesia se quaestione educationis sentit directo sollicitare quoniam ea ibi est, ubi de homine agitur, cum « homo prima via sit, quam Ecclesia emetiatur oportet in suo munere exercendo)).[21] Hoc evidenter postulat ut iuventus vere praeter ceteros ametur.

[21] Cfr. Litt. Enc. *Redemptor hominis* (4 m. Martii 1979), pp. 284-285.

Iuvenes adeamus : haec est prima et fundamentalis necessitas institutorum. « Dominus misit me pro iuvenibus ». In hac Ioannis Bosco affirmatione eius optionem apostolicam principalem videmus, quae dirigitur ad iuvenes pauperes, ad eos qui generis popularis sunt, ad eos qui magis periclitatur.

Iuvat commemorare pulcherrima verba, quibus Ioannes Bosco iuvenes suos alloquebatur, quaeque sunt germanus index eius praecipuae optionis ; « credite me, quantus sim, totum vestrum esse, die noctuque, mane et vesperi, omni tempore. Nil aliud intendo, quam ut utilitati vestrae, tum morum, tum mentis, tum corporis prospiciam w.[24] Ego pro vobis studiis incumbo, pro vobis laboro, pro vobis vivo et pro vobis etiam sum vitam devovere paratus y).[25]

15. Ad tantum sui donum pro iuvenibus, in difficultatibus interdum maximis, Ioannes Bosco pervenit propter singularem et vehementem caritatem, seu vim interiorem, quae in eo coniungit artissime amorem Dei cum amore proximi. Ita navitatem evangelizandi et navitatem educandi apte inter se componit.

Eius cura iuvenes evangelizandi non ad solam catechesim redigitur, aut ad solam liturgiam, aut ad illos religionis actus, qui apertum postulant exercitium fidei et ad eam adducunt, sed extenditur ad totum amplumque campum, qui condicionis iuvenilis est proprius. Ille ergo collocat se intra ipsum processum formationis humanae, conscius infirmitatum, sed etiam fiduciae plenus quoad progredientem maturitatem, cum persuasum sibi habeat Verbum Evangelii esse serendum in usu vitaque communi seu cotidiano, ut iuvenes adducat ad studiose se vitae officiis impendendos. Quoniam aetatem vivunt peculiarem suae educationis, nuntius salvifici Evangelii debet eos sustinere per omnem processum institutorium, et fides fieri debet elementum quod personam cuiusque in unitatem redigat et illuminet.

Hinc quaedam optiones sequuntur. Educatori sunt peculiariter animadvertenda bona et instituta cultum humanum contingentia, et ideo scientiarum humanarum acuta cognitio comparanda. Ita adepta peritia fiet valens subsidium ad sustinendum efficax evangelizationis propositum. Insuper educatori est peculiare iter paedagogicum sequendum,

[24] *Memorie biografiche di S. Giovanni Bosco,* vol. 7, Augustae Taurinorum 1909, p. 503.

[25] Ruffino Domenico, *Cronache dell'Oratorio di S. Francesco di Sales,* Romae, Archivio Salesiano Centrale, quad. 5, p. 10.

quod, dum percipit facultatum humanarum dynamicam progressionem, in iuvenibus suscitat liberae et progredientis responsionis condiciones.

Curabit praeterea totum processum institutorum dirigendum ad religiosum finem salutis. Haec omnia multo plus requirunt, quam nonnulla tempora, quae, instructioni religiosae et divini cultus significationi tributa, in cursum institutorium tribuuntur; requirunt multo gravius officium discipulos adiuvandi ut se aperiant principiis absolutis et vitam interpretentur atque historiam secundum altitudines et divitias Mysterii.

16. Institutor dilucide ultimum percipiat finem : etenim in arte institutoria fines vim habent decretoriam. Iudicium de iis mancum vel falsum aut eorum neglectio, causa etiam exstat mentis in unam tantum partem propendentis et declinationis a recto itinere, praeter quam signum imperitiae.

« Aetatis nostrae cultus civilis — sicut Coetui Nationum Unitarum, cui titulus est UNESCO, significavimus — hominibus plura speciosa imperata mandare conatur, quae ab eorum nuntiis necessaria ducuntur, praetexta ratione evolutionis et progressionis. Ita, exempli gratia, pro reverentia vitae debita, "mandatum" ponitur vitam tollendi ac delendi; pro amore, qui personarum communionem cum conscientiae officio coniunctam secum fert, "mandatum" supremae delectationis sexualis, quavis responsali ratione sublata; pro veritatis principatu in agendo, "principatus" se gerendi secundum novos habitus invectos, "principatus" eius quod est subiectivum et quod proxime feliciter succedit ».[26]

In Ecclesia inque mundo forma integrae institutoriae artis, quam Ioannes Bosco expressit, sanctitatis paedagogia est quae ad rerum veritatem refertur. Oportet sane quam primum germana resumatur notio ((sanctitatis », quae elementum vitae est credentis cuiuslibet peculiare. Singularis indoles atque audacia propositi cuiusdam « sanctitatis iuvenilis » propriae sunt artis institutoriae dari huius Sancti, qui iure meritoque « religiositatis iuvenilis magister » vocari potest. Peculiaris ratio, qua utebatur, fuit voluntas altas iuvenum appetitiones (desiderium vitae, amoris, effusionis animi, laetitiae, libertatis, rerum futurarum) non decipiendi, simulque eos pedetemptim et rerum momentis attentis ducendi ad experiendum tantum « per gratiae vitam », id est per amicitiam cum Christo, fieri posse ut verissima et praeclarissima proposita ad effectum adducantur.

[26] ***Allocutio ad UNESCO*** **(2 m. Iunii 1980), 13: *AAS* 72 (1980), p. 744.**

Eiusmodi institutio postulat ut iuvenes critica instruantur conscientia, qua germani « valores)) percipiantur et ideologiarum detegantur principatus qui, instrumentorum communicationis socialis ope, publicam opinionem capiunt hominumque mentes surripiunt.

17. Institutio, quae secundum Ioannis Bosco rationem fovet singularem actionem reciprocam inter evangelizationem et humanam provectionem, ex institutoris corde menteque accuratas expostulat sedulitates : paedagogicam sentiendi vim, patris simulque matris animum habitumque, voluntatem expendendi quidquid fiat in singulorum hominum totiusque coetus incremento, secundum rationem institutoriam quae sapienti atque valida consensione in unum coniungat finem institutorum cum voluntate quaerendi instrumenta aptissima.

In nostra societate institutoribus peculiari cum animi intentione perpendenda ea sunt quae in educationis arte maximi momenti sunt per saeculorum decursum, ad eorum humanam socialemque naturam quod attinet, quaeque maxime conectuntur cum gratiae Evangeliique postulationibus.

Numquam fortasse, ut hac aetate, educandi disciplina facta est vitalis simulque socialis postulatio, quae certum habitum mentis secum fert, nec non firmam voluntatem formandi personas maturas. Fortasse numquam antea sicut nunc, mundus indiget hominibus, familiis et communitatibus, quorum ratio, cur exsistant, munus institutorium sit, quique ei se dedant ut fini praecipuo, vires effundendo suas sine ulla exceptione, auxilium expetendo sociatamque operam ad experiendas renovandasque, modo fecundo et ex officii conscientia, novas educationis vias. Educandi ars hisce nostris temporibus veram aptamque vitae optionem secum fert, quam agnoscant et adiuvent oportet quotquot in ecclesialibus et civilibus communitatibus auctoritate pollent.

18. Ecclesiae rerum usus ipsiusque sapientia paedagogica singulare tribuunt pondus institutorium ((*familiae », « scholae », « labori* » multiplicibusque « *consociationibus* » coetibusque. Nunc expedit institutiones ad animum formandum aptas proferre atque familiam revocare ad germanum institutorium munus, pro quo nihil substitui potest, sicut sane descripsimus in Nostra Apostolica Adhortatione a verbis *Familiaris consortio* incipiente. Etenim familiaris institutio (aut institutio familiaris non suscepta) maximi ponderis et momenti exstat ad bonum et, pro dolor, interdum etiam ad malum ; et tamen omnino

oportet novas generationes inde a prima aetate institui de necessitate recipiendi in se officium interpretandi res, quae sunt in usu vitaque communi, secundum sempiternam Ecclesiae doctrinam, ita tamen ut renovationis necessariae postulata non neglegantur.

Familiae munus praecipuum in re institutoria exsistit una e gravissimis quaestionibus socialibus et moralibus. « Quid faciendum — percontabamur in Nostra oratione ad coetum UNESCO — ut hominum educatio in rem deducatur *praesertim intra familiam?* ... Causae prosperi vel infelicis eventus in homine instituendo per familiae operam semper quidem collocantur in medio ipso principali et efficienti culturae ambitu, qui est familia, simulque, et quidem eminentiore gradu, in rei publicae eiusque institutorum auctoritate ».[27]

Una cum familiae actione institutoria ea sane magni ducenda est quae per scholae officinam ampliores universalioresque edit prospectus. Iuxta Ioannis Bosco mentem schola, praeter quam quod iuvenum elatioris cultus auctum promovet reique socialis atque munerum professionis, iisdem suppeditare debet virtutum moraliumque principiorum efficacem compagem. Sin aliter, fieri profecto non posset ut quis constanter viveret et valide ageret et honeste hac in nostra humana societate, contentionibus exagitata ac discordiis.

In partem insuper venit magnae hereditatis praeclari huius viri Pedemontani ipsius peculiaris sollicitudo de hominum operosa actione, ad quam iuvenes diligenter componantur oportet. Societas haec nostra, quamquam gravibus obnoxia commutationibus, eiusmodi necessitate premitur. Cum Ioanne Bosco communicamus sollicitudinem exornandi novas generationes apta munerum professionis scientia et consentanea arte, sicut laudabiliter sane amplius centum annos artium operarumque scholae testificatae sunt necnon officinae, quas Salesiani Coadiutores laudabili cum experientia moderati sunt. Ipsius participamus curam fovendi usque vehementiorem institutionem ad operam socialem, in amplificata dignitate humanae personae innixam,[28] quam Christiana fides non tantum ut legitimam comprobat, sed et viribus instruit inaestimabilis momenti.

Recolendum demum est pondus quod Sanctus vir tribuit consociationibus ac coetibus, in quibus iuvenum dynamica virtus et incepta

[27] *Ibidem,* 12: *l.* c, pp. 742-743.

[28] Cfr. Litt. Enc. *Laborem exercens* (14 m. Septembris 1981), 6: *AAS* 73 (1981), pp. 589-592.

augescunt atque explicantur. Multiplicem operositatem concitans, constituebat ille vitae condiciones ad tempus otio deditum apte peragendum, ad apostolatum, ad doctrinae studium, ad preces, laetitiam, recreationem, ad humanitatis cultum, quo iuvenes convenire poterant atque adolescere.

Magnae aetatis nostrae mutationes respectu xix saeculi, nullo modo institutorem exsolvunt a rationibus vitae condicionibusque recognoscendis, ut aptum tribuatur tempus fecundis inceptis iuvenum propriis.

19. Perpendentes autem iuvenum nostrae aetatis necessitates, simulque Ioannis Bosco, iuvenum amici, nuntium propheticum repetentes, oblivisci non possumus praeter — immo, intus — quamlibet institutionis compagem necessaria fieri peculiaria illa ((educationis tempora » ad colloquium instituendum et personalem congressionem : apte congruenterque acta, illa fiunt itineris spiritualis rectus trames. Hoc sane peragebat Sanctus Ioannes dum Reconciliationis Sacramentum singulari cum efficacitate administrabat. Hac in nostra societate tantopere dissipata disparibusque plena nuntiis veluti paedagogicum donum iuvenibus facultas praebetur cognoscendi accurateque conficiendi suae ipsius vitae rationem, in vocationis propriae thesaurum inquirendo, e qua totius vitae dispositio pendet. Manca est illa ratio institutoria eius qui satis esse putat necessitatibus, legitimis quidem, munerum professionis, humani cultus atque etiam iustae relaxationis satisfacere, non tamen ipsorum animis, velut fermentum, proposita illa insinuât, quae Christus obtulit iuveni illi in Evangelio, per quae utique vitae aeternae laetitiam mensus est aut cum nimio amore sui coniunctae possessionis tristitiam (cf. *Mt* 19, 21 s.).

Institutor iuvenes re vera diligit atque conformat, cum vitae iis praebet egregia proposita, quae humanam naturam excedunt, atque prope eos ambulat, dum cotidianam gravem impendunt operam ad suam perficiendam ipsorum optionem.

20. Hac in saeculari memoria sancti Ioannis Bosco, « iuvenum patris et magistri », absoluta sane persuasione affirmandum est Dei Providentiam vocare vos omnes, amplae Salesianae Familiae Sodales, sicut et parentes et institutores, ut magis magisque *obstrictam agnoscatis institutionis iuvenum necessitatem,* atque renovato ardore in vosmet ipsos onus recipiatis ad opus profecto summi momenti implendum clara illa animi devotione quae peculiaris fuit Ioannis Bosco. Ea

tamen viva animi sollicitudine, quae ex rei gravitate oritur, singulariter sermonem convertimus, inter educatores, ad presbyteros animarum curam proxime agentes : eos potissimum iuvenum institutio provocat. Nobis persuasum habemus — hac de re testantur congressiones, quas constanter instituimus cum iuvenibus itinerum Nostrorum pastoralium tempore — consiliorum inceptorumque copiam exstare ad iuvenes omnino ut decet christiane instituendos; obliviscendum tamen non est his nostris praesertim diebus eos provocationibus et periculis obici, quae maiores nostri ignorabant : eiusmodi sunt : medicamenta stupefaceva, saevitia, tromocratia, multorum cinematographicorum televisificorumque spectaculorum dedecus, verborum picturarumque lascivia. Quae omnia postulant profecto ut, in animarum curatione, officiosa iuvenum observantia primas obtineat partes, per aptas rationes perque consentanea incepta ineunda. Ioannis Bosco mens et cor aptas etiam presbyteris agendi rationes suadere possunt. Quaestionum gravitas exigit ut cogitate acquiratur rerum conscientia, de qua profecto a Domino iudicabimur. Sint iuvenes praecipua sacerdotum sollicitudo ! Ex iis Ecclesiae civilisque societatis futurum tempus pendet.

Probe novimus, egregii institutores, difficultates, in quas incurritis, et destitutiones quas interdum experimini. Ne animo deficiatis hoc in singulari caritatis itinere decurrendo, in educationis itinere dicimus. Solacium vobis praebeat inexhausta Dei patientia erga homines, continua paternitatis exercitatio a Christo revelata in ipsius missione magistri et pastoris, atque in praesentia Spiritus Sancti, cuius est faciem terrae renovare.

Abdita atque valida Spiritus virtus eo spectat ut humanum genus progrediatur ad Christi exemplar. Ipse novum hominem suscitat novumque mundum (cf. *Rm* 8, 4-5). Hoc modo vester labor institutores fit re vera ministerium cooperationis cum Deo eritque sane fecundus.

Vestrum omniumque nostrum Sanctus dictitabat « rem institutoriam pertinere ad cor »,[29] eaque de causa oportere « Deum immittere in iuvenum corda non per ianuam ecclesiae tantum, sed et scholae et officinae ».[30] Etenim in hominis corde praesens fit Spiritus veritatis, consolator et commutator : continenter Ille ingreditur mundi historiam per cor hominis. Atque, sicut iam ediximus in Litteris Encyclicis

[29] ***Memorie biografiche di S. Giovanni Bosco,*** **vol. 16, Augustae Taurinorum 1935, p. 447.**

[30] ***Ibidem.,*** **vol. 6, S. Benigni in Salassis 1907, p. 815-816.**

Dominum et Vivificantem, etiam <(Ecclesiae via per cor hominis transit », immo eadem est « cor humanitatis » ; ((ex corde suo, quod omnia humana corda complectitur, a Spiritu Sancto petit "iustitiam, pacem et gaudium in Spiritu", in quibus, secundum Sanctum Paulum, regnum Dei consistit ».[31] Navitate vestra, dilectissimi institutores, sublime ecclesialis maternitatis officium impletis.[32]

Prae oculis semper habeatis Mariam Sanctissimam, excelsam Spiritus Sancti operis sociam, quae Ipsius consiliis docilis fuit, eaque de causa Christi mater facta est Ecclesiaeque mater. Ipsa per saeculorum decursum « pergit esse *praesentia* materna, prout verba designant in Cruce pronuntiata: "Mulier, ecce filius tuus...; Ecce mater tua"».[33]

Numquam oculos vestros a Maria deflectite : Eam auscultate cum dicit : « Quodcumque dixerit vobis tacite » *(Io* 2, 5). Eam properanter cotidieque exorate, ut Dominus continenter iuvenes exsuscitet magnánimos, qui eum vocantem hilares sequantur.

Dei Matri vos committo unaque cum vobis iuvenum multitudinem, ut ab Ea allecti, confirmati ac ducti vestra comitante institutoria opera, novorum hominum mensuram consequi valeatis ad novum mundum formandum : mundum dicimus Christi, Magistri et Domini.

Benedictio Nostra Apostolica, caelestium munerum auspex et nuntia, caritatis Nostrae testis, te confirmet, omnesque amplae Salesianae Familiae Sodales soletur et muniat.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxxi mensis Ianuarii, in memoria sancti Ioannis Bosco Presbyteri, anno **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

[31] Litt. Enc. *Dominum et Vivificantem* (18 m. Maii 1986), 67: *AAS* 78 (1986), pp. 898. 900.

[32] Declaratio de educatione Christiana *Gravissimum educationis,* 3.

[33] Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 m. Martii 1987), 24: *AAS* 79 (1987), p. 393.

II

Ad Catholicos Ucrainos Millennio transacto a Baptismo Regionis Rus' Kioviensis.

IOANNES PAULUS PP. II

Venerabili Fratri Nostro
Myroslao Ivano Cardinali Lubachivsky
Archiepiscopo Maiori Leopolitano Ucrainorum,
Venerabilibus Fratribus in episcopatu,
Sacerdotibus, Religiosis omnibusque Fidelibus
Catholicis Ucrainis

1. **MAGNUM BAPTISMI DONUM**, Kioviae ante mille annos susceptum, initium fuit fidei vitaeque christianae inter populos regionis Rus'. Quapropter merito in hac celebranda memoria Ecclesia Sanctorum Petri et Pauli universaque Ecclesia Catholica hymnum edunt, signum grati animi et gloriae erga Sanctissimam Trinitatem de tam inestimabili dono; eaedemque magnam laetitiam declarant quod Baptismus, tum acceptus, initium fuit evangelizationis populorum in parte orientali Continentis Europaeae atque etiam ultra Urales montes incolentium. Hic eventus origo fuit non solum identitatis christianae sed etiam identitatis culturalis populorum Ucraini, Russici et Bielorussici, atque, consequenter, eorum historiae. Petri Successor gaudii ob hoc millennium particeps est et, quemadmodum propter hanc memoriam Epistulam Apostolicam omnibus fidelibus catholicis dedit ad aptam fovendam eventus spiritalem praeparationem, ita hoc Nuntio nunc se convertere cupit peculiari modo ad omnes fideles catholicos Ucrainos ut una cum iis celebret mirabilia opera a Dei patrata per hoc longum temporis spatium.

Deus omnipotens, princeps universi ac dominus historiae cunctarum gentium, abhinc mille annos amore suo infinito Populum regionis Rus' Kioviensis est complexus eundemque ad lumen Evangelii Filii sui Iesu Christi, Salvatoris mundi, perduxit. Opus salutis a litore Iordanis, post decem fere saecula, Spiritus Sancti virtute, ad regionem pervenit, quam Bory-

sthenes flumen ailuit, ubi servos suos Olgam et Vladimirum elegit ut eorum populo sacri Baptismi gratiam tribueret. **Ex** illo tempore, per saeculorum cursum, Ecclesiae e Baptismo Kioviae collato enatae, hymnum cantant gratiarum actionis in honorem Sanctissimae Trinitatis. Populus et Ecclesia Ucraina, qui ex hereditate, per mille annos ducta, Sancti Vladimiri creverunt, eiusdem beneficii memores, hodie gratias agunt de eiusmodi dono.

2. Hic ardens sensus radicitus innititur in mysterio sancti Baptismi, cuius virtute homo, « immersus » in morte rédemptrice Salvatoris mundi, simul in « novam vitam » inducitur, quae resurrectione Christi plene est manifestata. Per Baptismum homo fit « nova creatura et filius Dei » atque in mysterium paschale Christi inseritur : « Si quis ergo in Christo, nova creatura » *(2 Cor,* **5,** 17). Ad Ii tora Borysthenis fluvii Pater opus inchoavit, quod Filius effecit et Spiritus Sanctus consummavit. Totus populus ibi renatus est « ex aqua et Spiritu » *(Io* **3, 5).** Spiritus Sanctus vim supernaturalem aquae Baptismi tribuit, cuius esset gratiam afferre. Quocirca verba Sancti Cyrilli Hierosolymitani Nos libet iterare, quae de lordane dixit, ad Borysthenem flumen ea transieren tes : « Spiritus Dei ferebatur super aquam. Principium mundi, aqua; principium Evangeliorum, Iordanis».[1]

Pro populis regionis Rus' Baptismus, anno DCCCCLXXXVIII collatus, eventus fuit, historia dignus, quo Christo crucifixo et glorificato sunt inserti et quo factum est ut ad vitam ipsam Dei renascerentur : « Consepulti ei in Baptismo, in quo et conresuscitati estis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis » *(Col* 2, 12; cfr. *Rom* 6, 4). « Baptismus ... vinculum unitatis sacramentale constituit vigens inter omnes qui per illum regenerati sunt», (...) «ordinatur ad integram fidei professionem, ad integram incorporationem in salutis institutum, prout ipse Christus illud voluit, ad integram denique in communionem eucharisticam insertionem ».[2]

[1] S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, *Catech.* III, *De Baptismo,* 5: *PO* 33, 434 A.

[2] Decretum *Unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, 22.

3. Inter eos qui vocati sunt ad hanc vitam novam participandam, necessitudine iuncti cum Christo crucifixo et suscitato, sunt maiores vestri regionis Rus' Kioviensis. Illorum aetate in plaga illa sacer ignis Evangelii est accensus atque « magnalia Dei» *(Act* 2, 11) ibi coepta sunt pronuntiari. Populus Ucrainus coniungitur, ad geographiam et historiam quod attinet, cum urbe Kiovia; quapropter peculiarem habet causam laetitiae in hac millennii memoria. Simul vero gaudet pertinere ad magnam familiam gentium christianarum Europae ac totius orbis terrarum.

Antequam regio Pus' Kioviensis populis christianis est annumerata, id evenit quoad alios populos Slavicos. Mens dirigitur ad Christianismi inductionem apud Slavos meridianos, inter quos missionarii iam circiter annum DCL sunt operati. Ad hoc quod pertinet, commemoramus Nos in Basilica Sancti Petri gratias egisse populo Croato et Sloveno quod per MCCC annos fidelitatem Apostolicae Sedi servassent.[3]

Postmodum, ut in Epistula Encyclica a verbis *Slavorum Apostoli* incipiente ediximus, alii populi Slavici in familiam christianam Europae sunt ingressi, quod factum est opera missionali et vocatione oecumenica Sanctorum Fratrum Thessalonicensium Cyrilli et Methodii, qui, una cum Sancto Benedicto, iure merito Patroni Europae sunt renuntiati. Rebus ab illis ita praeparatis, « res christiana firmiter et in perpetuum intravit Slavorum historiam saeculo subsequente ».[4]

Effectus huius operis, Deo afflante patrati, in eo positus erat ut Vladimiro et incolis regionis Rus' Kioviensis — ad quos nuntius evangelicus est allatus praesertim a missionariis, qui Constantinopoli advenerant, — illud veluti patrimonium Byzantinum statim patesceret idemque facilius in usum induceretur. Ipsius enim propagationi iam ab initio favebant Sacrarum Litterarum interpretationes lingua palaeoslavica confectae necnon librorum liturgicorum, quoniam Sancti Fratres eorumque discipuli « non veriti sunt linguam Slavicam in

[3] Cfr. Allocutio die 21 Martii 1981 habita: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* IV/1 (1981), pp. 727-731.

[4] Ep. Enc. *Slarorum Apostoli,* 25: *AAS* 77 (1985), p. 806.

liturgia adhibere, quam efficax instrumentum effecerunt ad veritates divinas iis tradendas, qui eo utebantur sermone ».[5]

Quam ob rem, qua aetate plena adhuc vigebat communio Ecclesiarum tum Romanae tum Constantinopolitanae, Kioviensis enata est Ecclesia in condicionibus spiritualis cuiusdam coniunctionis cum illis ipsis Ecclesiis atque cum proximis Europae communitatibus ecclesialibus quibuscum unicam efficiebat Christi Ecclesiam. Vladimirus Kioviam in amplam compagem Ecclesiae universalis inseruit, traditione Orientis et sensu identitatis populi ipsius propriae servatis.

Evangelizatio regionis Rus' effecit ut in partibus illis progressione quadam « cultura fidei induceretur », quae eius historiam veluti nota alte impressa insignivit. Ut iam diximus <(Universae cultus humani rationes inter Nationes Slavicas acceptum referre debent "principium" suum vel progressum proprium operibus Fratrum Thessalonicensium ».[6] Eorum animosus labor et discipulorum « addidit vim ac dignitatem "culturalem" linguae liturgicae palaeoslavae, quae in multa saecula non tantum ecclesiasticus sermo evasit sed publicus etiam et litteratus, quin immo lingua communis ordinum eruditorum inter maiorem Nationum Slavicarum partem ac nominatim omnes Slavos ritus orientalis ».[7] Haec lingua, qua usque adhuc varii populi in sacra Liturgia utuntur, momentum etiam habuit primarium ad sermonem, litterarum proprium, gentis vestrae Ucrainae, ad progressum uberis eius cultus humani et ad formandam eius identitatem.

4. Nova Ecclesia Kioviensis, ut iam diximus, constituta est eo tempore, quo Christianitas nondum lugenda divisione dilacerabatur. Solummodo postea ob tristes contentiones et quoniam dissensiones inter Ecclesiam Romanam et Ecclesiam Constantinopolitanam sunt adauctae, etiam Ecclesia Kioviensis est adducta ut a communione ecclesiali cum Petri Sede seiungeretur. Tamen per diuturnum tempus Ecclesia Kioviensis necessitudine contingebat fratres catholicos finitimos et Sedem Apostolicam; atque etiam cum discidium « practice » esset

[5] *Ibid.,* 12: *AAS* 77 (1985), p. 793.
[6] *Ibid.,* 21: *AAS* 77 (1985), p. 803.
[7] *Ibid.,* 21: *AAS* 77 (1985), p. 803.

factum, conamina utriusque partis ad plenam communionem recuperandam non defuerunt.

Ecclesia vestra, indolem servans orientalem, crevit ex illa quasi hereditate Baptismi Sancti Vladimiri et per saeculorum cursum propriam sibi formam excoluit, quatenus ditatur peculiari sibi animorum cultura, locis divino cultui destinatis, atque etiam plurimis fidelibus, qui, una cum pastoribus suis, conscii erant necessitatis sive unitatis interioris sive communionis cum aliis Ecclesiis et, praecipue, cum Ecclesia Romana.

Haec omnia omnimode sunt perfecta « Actu Unionis », anno MDXCVI in urbe Brest confecto, cum pars Episcoporum Metropoliae Kioviensis vincula communionis cum Sede Apostolica renovavit. In hoc conatu, eo pertinente ut plena communione inter Orientem et Occidentem, visibiliter restituta, iterum frui liceat, animadvertimus praecipuam rationem « Unionis » urbis Brest. Eam, ut iam significavimus, alia praecesserunt conamina, suscepta a viris alto sensu ecclesiali praeditis. Libet hic memorare peculiari modo Isidorum, Metropolitam Kioviensem, qui Concilio Fiorentino (anno MCCCCXXXIX celebrato) interfuit: qui insignis fuit theologus et certus firmusque fautor colloquii cum Ecclesia Romana, quae eum ipsa honoravit, quatenus ad dignitatem Cardinalis eum evexit eiusque exuvias in vetere Basilica Sancti Petri condidit.[8]

« Unio » urbis Brest, quod attinet ad proposita eorum qui ei penitus se dederunt, inter simultates et molestias cuiusvis generis, — qui interdum etiam sanguine, ut Sanctus Iosaphat, alte perceptam et indefectibilem persuasionem, qua ducebantur, sunt testati — nemini adversabatur. Ea enim eo spectabat ut Ecclesia una aedificaretur, quae in Oriente et Occidente plena illa et visibili unitate frueretur, in una fide et unico Baptismo radicitus innixa.

5. Hac mente intellegenda sunt etiam cetera incepta, quae saeculorum cursu inita sunt, condicionibus historicis « concretis » moventibus, ad plenam restituendam communionem. Qui conatus non semper, ut aequum est, perspecti sunt et approbati; effectus eorum, non praevisus nec desideratus, inter-

[8] Cfr. T. ALPHABANI, De *Basilicae Vaticanae antiquissima et nova structura,* ed. M. Cerrati, Roma 1914, pp. 71 et 189.

dum novas induxit lacerationes intra communitatem christianam. Nostro vero tempore, freti renovata et altiore consideratione theologica et instauratione colloquii inter Catholicos et Orthodoxos, novas quaerimus vias, quae ad percupitam metam perducant. Verumtamen communitates fidelium, e memoratis conatibus exortae, quae per saecula communionem cum Sede Romana servaverunt, vehementi cuidam conscientiae impulsioni parentes, manifesto ius habent eo pertinens ut solida necessitudine communitatis catholicae et imprimis Episcopi Romani gaudeant.

6. Ecclesia et omnis Christianitas hoc saeculo, Spiritu Sancto afflante, nova ratione flagrans desiderium huius unitatis persentiunt, pro qua Christus paulo ante Passionem et Sacrificium in Cruce oravit. Hic prospectus oecumenicus manifestatus est Concilio Vaticano II, quod Ioannes PP. XXIII indixit et Paulus PP.VI continuavit et ad finem perduxit; cui quidem Concilio multi delegati ut observatores, ceterorum Fratrum christianorum vices gerentes, interfuerunt.

Decreta a Concilio promulgata, quae a verbis incipiunt *Orientalium Ecclesiarum* et *Unitatis Redintegratio,* esse videntur verum donum gratiae divinae, nostris concessum temporibus, quae quidem divisionibus denotan tur, sed etiam insigna sunt desiderio, in dies vehementiore, unitatis omnium christianorum. Etenim omnis divisio inter christianos « et aperte voluntati Christi contradicit et scandalo est mundo atque sanctissimae causae praedicandi Evangelium omni creaturae affert detrimentum ».[9]

Concilium Vaticanum II eos adhortatur, « qui in instaurationem plenae communionis optatae inter Ecclesias orientales et Ecclesiam catholicam incumbere intendunt, ut debitam considerationem habeant de hac peculiari condicione nascentium crescentiumque Ecclesiarum Orientis et de indole relationum, quae inter eas et Sedem Romanam ante separationem vigebant atque rectam de his omnibus existimationem sibi efforment ».[10] Idem Concilium in lumine ponit egregia bona traditionum liturgicarum, spiritualium, disciplinarium, theo-

[9] Decretum *Unitatis redintegratio* de Oecumenismo, 1.
[10] *Ibid.,* 14.

logicarum, quae in illis Ecclesiis habentur, necnon eorum ius et officium secundum eiusmodi traditiones vivendi, quae ad plenam catholicitatem et apostolicitatem Ecclesiae pertinent. Patres Concilii praeterea gratias agunt Deo quod multae Ecclesiae orientales « hoc patrimonium custodiunt et illud purius pleniusque vivere cupiunt »." Ii proinde non putant has Ecclesias plenae communioni cum Fratribus Orthodoxis obstare; contra, prout in iisdem splendet, pro sua altitudine, visio primigenia unde ortae sunt, possunt illae peculiari perspicacia intellegere novum prospectum oecumenicum, quem in Concilio Spiritus universae Ecclesiae suggessit. Qua re hae Ecclesiae vocantur nunc quam maxime ad suum officium explendum secundum hunc spiritum, ut unitas visibilis Ecclesiae constituatur, quoniam est « unus Dominus, una fides, unum baptisma » *(Eph* 4, 5).

7. Hoc ipso historiae salutis tempore, spei pleno, nobis datur ut millennium cum Communitate catholica Ucraina celebremus, quae stabili modo locum obtinet, quem Providentia divina in Ecclesia universali ei assignavit iuxta tot Ecclesias particulares, sive Orientis sive Occidentis.

Salutem dicimus toti Communitati catholicae Ucrainae, quae in Baptismo gentis Kioviensis fundamenta conspicit propriae exsistentiae et quae hac aetate plenam communionem fidei et vitae sacramentalis cum Episcopo Romano servat.

Salutamus vos, Fratres in episcopatu, inter quos primas partes habet Myroslaus Ivanus Cardinalis Lubachivsky Archiepiscopus Maior Leopolitanus Ucrainorum; salutamus vos, Sacerdotes, Religiosos, Religiosas et Fideles, qui eventum celebratis, ante mille annos actum, quo populus vester per Baptismum regionis Rus' Kioviensis genera tus est ad gratiae vitam. Salutamus vos omnes fraterno osculo pacis, ut Fratrer vester et primus in historia Ecclesiae Papa e genere Slavorum.

Sentimus Nos spiritualiter coniungi vobiscum tempore magni Iubilaei vestri, et cupimus vos e corde Ecclesiae fraterne complecti coram universis in Christum credentibus. In nomine Sanctissimae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus Sancti, Eccle-

" **Cfr.** *iUd.,* **14-17.**

sia Romana peculiari cum benevolentia et amore se convertit ad omnes filios et filias spirituales Sancti Vladimiri, praesertim ad eos qui pro unitate cum Ecclesia universali orant et ob hanc rem dolore afficiuntur.

Singulari hoc historiae tempore, ad Ecclesiam vestram quod attinet, quae decenniis proxime praeteritis multos perpessa est casus adversos, iterum cupimus eius rationem catholicitatis confirmare, simul dicentes peculiarem eius indolem omni reverentia esse dignam. Hoc amor fraternus postulat, hoc postulat vocatio oecumenica Sanctorum Fratrum Cyrilli et Methodii, qui exemplo suo nos monent de iure cuiusque fidelis eo spectante ut quoad traditionem suam, ritum, identitatem populi, ad quem pertinet, observetur atque colatur.

Utinam tempore futuro — ex animo desideramus — gaudium nobis praebeatur inde exoriens quod dissensiones et diffidentiae mutuae superentur atque plenum cuiusque ius agnoscatur propriam identitatem servandi propriamque fidem profitendi. Id ipsum, ex eo quod ad Ecclesiam vestram pertinetis, arbitrari nemini licet repugnare bono vestrae patriae terrestris et hereditati Sancti Vladimiri. Utinam turbae fidelium vestrorum frui possint vera conscientiae libertate atque observantia iurium religiosorum in cultu publico Deo adhibendo secundum multiformem traditionem, iuxta proprium ritum et cum pastoribus propriis!

8. Sedes Apostolica peculiari amoris affectu afficitur erga Ecclesiam vestram, quia haec per hominum aetates fidelitatem erga Romam comprobavit, non excepta suprema testificatione martyrii. Hac de causa praecipua celebratio millennii Ecclesiae vestrae, quae est in dispersione, Romae habebitur. Apud sepulchrum Sancti Petri, iuxta quod corpus Sancti Iosaphat, dilectissimi vobis, est conditum, congregati, simul gratias agemus de tot fructibus participationis mysteriorum divinorum in communitate eiusdem fidei et in vinculis eiusdem amoris.

Ecclesia vestra, cum universa consonans Ecclesia catholica, abesse non potest ab huius singularis memoriae celebratione; neque potest Episcopus Romanus, qui vehementer cupit in Basilica Sancti Petri, una cum omnibus Episcopis et Fi-

delibus, lingua vestra hymnum *Te Deum* cantare ad gratias agendas.

Ea quae per hos mille annos evenerunt et quae in historiam Ecclesiae vestrae vestrique populi sunt inserta, Deo uni et Trino committimus. Fidenti animo in manus Domini rerum humanarum celebrationem millennii commendamus. Quam inchoare volumus una cum cunctis Episcopis, Sacerdotibus, Religiosis utriusque sexus et fidelibus Catholicis Ucrainis, qui in toto sunt orbe terrarum, eamque deinde prosequi cum iis sub oculis Mariae Sanctissimae, cuius praesentia totam historiam Ecclesiae vestrae pervadit.

Eius debitores sumus, quia ex ea Christus est natus. Ea affuit etiam ortui Ecclesiae regionis Rus' Kioviensis. Spirituali ergo peregrinatione Nos conferimus ad pedes Beatae Mariae Virginis a Vladimiro nuncupatae, cuius simulacrum « perpetuo comitatum est peregrinationem fidei populorum antiqui "Rus' " ».[12] Sic Nos conferimus ad ecclesiam cathedralem Sanctae Sophiae, ad pedes Virginis orantis quae a « Pariete indelebili » vocatur cuique ante DCCCL annos vir princeps Iaroslavus, Sapiens, urbem Kioviam et totam regionem Rus' concredidit.

9. Coram Te, Mater dulcissima, prosternimur Tibique vicissitudines Communitatis catholicae Ucrainae committimus.

Mater unitatis christianorum! Monstra nobis certas illas vias, quae ad hanc metam perducunt. Concede ut in hoc magno opere patrando saepius saepiusque Fratres nostros in fide convenire possimus atque simul detegere lineamenta divina illius unitatis, pro qua Christus ipse oravit.

Mater Consolationis, in manibus Tuis ponimus omnes dolores, saeculorum cursu perceptos, et omnes cruciatus, precationes et testimonia vitae, a tot filiis Tuis perhibita; Tibi committimus spem et exspectationes heredum Baptismi regionis Rus', qui exoptant ut Te intercedente vetus stirps christiana novos flores mittat magníficos.

Arctius amplectere, o Mater, gentem, quae dolore afficitur propter ea quae amisit, quae tamen sperare non desinit fore

[12] Litt. Enc. *Redemptoris Mater,* 33: *AAS* 79 (1987), p. 405.

ut tempora meliora ad veniant. Adiuva nos tuos fidos sectatores ut, una cum Pastoribus suis et in spirituali communione cum Petri Successore, millennium laete valeant celebrare atque animis fervidis Deo ac Tibi, Eedemptoris sanctissima Mater, Tibi, o *Theotokos,* hymnum ad gratias agendas decantare.

10. Intercessionem implorantes Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorum Cyrilli et Methodii, Apostolorum Slavorum, Sanctae Olgae et Sancti Vladimiri, Sancti Iosaphat et omnium Sanctorum, Sanctissimae Trinitatis protectioni concredimus vos, Fratres in episcopatu, in primis Archiepiscopum Maiorem Leopolitanum Ucrainorum, vos, Sacerdotes, Religiosos utriusque sexus et Fideles, atque singulis universis Benedictionem Apostolicam ex animo impertimus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Datum Romae, apud S. Petrum, die **xiv** mensis Februarii, in memoria Sanctorum Cyrilli et Methodii, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

HOMILIA

Calendis Ianuariis Anni Marialis in Petriana basilica habita.*

1. ((Quando venne la pienezza del tempo »-[1]

Salutiamo oggi l'Anno Nuovo : il 1988 che ha iniziato il suo consueto cammino : il cammino delle ore, dei giorni, delle settimane e dei mesi.

Salutiamo questa nuova fase del tempo umano, fissando lo sguardo sul mistero che indica la pienezza del tempo.

Questo mistero annuncia l'Apostolo, nella Lettera ai Galati, con le seguenti parole :

« Quando venne la pienezza del tempo Dio mandò il suo Figlio, nato da donna ».[2]

* Die 1 m. Ianuarii a. 1988.

[1] *Gal* 4, 4.

[2] *Ibid.*

La Chiesa saluta l'Anno Nuovo del calendario umano, partendo dal nucleo centrale di questo mistero : Dio Figlio, nato da Donna ; la Natività divina di Cristo. Oggi si conclude il ciclo di otto giorni a partire dalla solennità che in modo particolare ci rende presente P Incarnazione del Verbo.

La pienezza del tempo.

Il tempo umano del calendario non ha una sua pienezza. Significa soltanto il passare. Dio solo è Pienezza — pienezza anche del tempo umano. Questa si realizza allorquando Dio entra nel tempo del passare terreno.

2. O Anno Nuovo, noi ti salutiamo nella luce del mistero della Nascita divina ! Questo mistero fa sì che tu, o tempo umano, passando, sii partecipe di ciò che non passa. Di ciò che ha per metro l'eternità.

L'Apostolo ha manifestato tutto ciò nella sua Lettera in modo forse più sintetico e penetrante.

« Dio mandò il suo Figlio ... perché ricevessimo l'adozione a figli Questa è la prima dimensione del mistero, che indica la pienezza del tempo. E poi c'è la seconda dimensione, unita organicamente alla prima : <(Che voi siete figli ne è prova il fatto che Dio ha mandato nei nostri cuori lo Spirito del suo Figlio che grida : Abbà, Padre ! ».[4]

Proprio questo « Abbà, Padre » — questo grido del Figlio, che è consostanziale al Padre, questa invocazione dettata dallo Spirito Santo ai cuori dei figli e delle figlie di questa terra, è segno della pienezza del tempo.

Il Regno di Dio si manifesta già in questo grido, in questa parola « Abbà, Padre », pronunciata dal profondo del cuore umano nella potenza dello Spirito di Cristo.

3. Oggi, nel primo giorno dell'Anno nuovo, allarghiamo lo sguardo : cerchiamo, col nostro pensiero e il nostro cuore, di abbracciare tutti gli uomini che vivono sul nostro pianeta. Coloro ai quali è ormai giunto questo mistero — e coloro che ancora non lo conoscono. Tutti.

E a tutti pure, da questa soglia del tempo umano, vogliamo dire: Fratelli e Sorelle, noi non siamo soltanto il « genere umano » che popola la faccia della terra — noi siamo una famiglia !

((Dio ha mandato nei nostri cuori lo Spirito del suo Figlio che

[3] *Gal* 4, 4-5.

[4] *Ibid* 4, 6.

grida : **Abba,** Padre ». Coloro che possono dire così — coloro che hanno lo stesso Padre — non sono forse una sola famiglia?

Il Creatore ci ha sollevato dalla « polvere della terra » fino alla misura della sua « immagine e somiglianza ». E rimane fedele a questo « soffio », che ha segnato l'<(inizio » dell'uomo nel cosmo.

E quando nella potenza dello Spirito di Cristo, gridiamo a Dio « Abbà, Padre », allora, in questo grido, alla soglia del nuovo Anno, la Chiesa esprime per mezzo nostro anche il desiderio della pace sulla terra. Essa prega così :

« Il Signore rivolga su di te — umana famiglia in tutti i continenti — il suo volto e ti conceda pace ».[5]

4. « Dio mandò il suo Figlio, nato da donna ».

Dall'inizio della storia terrena dell'uomo cammina su questa terra la Donna. Il suo primo nome è Eva — madre dei viventi. Il suo secondo nome rimane legato alla promessa del Messia nel Protoevangelo.

Il secondo nome, quello della Donna eterna, attraversa le vie della storia spirituale dell'uomo e viene rivelato solo nella pienezza del tempo. È il nome « Myriam » : Maria, la vergine di Nazaret. Sposa di un uomo il cui nome era Giuseppe, della casa di Davide. Maria, mistica Sposa dello Spirito Santo !

Infatti, ((né da volere di carne, né da volere di uomo »[6] ma dallo Spirito Santo proviene la sua maternità.

La maternità di Maria è la Maternità divina, che celebriamo durante l'intera ottava del Natale, ma in modo particolare oggi, primo gennaio.

5. Vediamo questa Maternità di Maria attraverso « il Bambino che giaceva nella mangiatoia »,[7] a Betlemme, durante la visita dei pastori: i primi chiamati ad avvicinarsi al mistero che segna la pienezza del tempo.

Il lattante che giace nella mangiatoia doveva ricevere il nome « Gesù ». Con questo nome lo chiamò l'angelo all'annunciazione, « prima di essere concepito nel grembo della madre ».[8] E con questo nome viene chiamato oggi, l'ottavo giorno dopo la nascita, nel momento prescritto dalla legge israelitica.

[5] Cf. Nm 6, 26.
* Cf. *Gv* 1, 13.
[7] *Le 2,* 16.
» *Le* 2, 2.

Il Figlio di Dio infatti è « nato sotto la legge, per riscattare coloro che erano sotto la legge » — così scrive l'Apostolo.[9]

Quella sottomissione alla legge — eredità dell'Antica Alleanza — doveva aprire la strada alla Redenzione mediante il sangue di Cristo, aprire la strada all'eredità della Nuova Alleanza.

6. Maria è al centro di questi avvenimenti. Rimane nel cuore del Mistero divino. Stretta più da vicino a quella Pienezza del tempo, che si collega con la sua maternità, Ella rimane, in pari tempo, il segno di tutto ciò che è umano.

Chi più della Donna è segno di ciò che è umano? In lei viene concepito — e da lei viene al mondo l'uomo. Lei, la donna, in tutte le generazioni umane porta in sé la memoria di ogni uomo. Perché ognuno è passato per il suo seno materno.

Sì. La donna è la memoria del mondo umano. Del tempo umano che è tempo del nascere e del morire. Il tempo del trapassare.

E Maria pure è memoria. Scrive l'Evangelista : « Maria, da parte sua, serbava tutte queste cose meditandole nel suo cuore ».[10]

Ella è la memoria originaria di quei problemi, che vive la famiglia umana nella pienezza dei tempi. Ella è la memoria della Chiesa. E la Chiesa assume da Lei le primizie di ciò che incessantemente conserva nella sua memoria ... e rende presente.

La Chiesa impara dalla Genitrice di Dio la memoria « delle grandi opere di Dio)> compiute nella storia dell'uomo. Sì. La Chiesa impara da Maria ad essere Madre : « Mater Ecclesia » !

7. L'Anno 1988 rinnoverà in modo particolare nella memoria della Chiesa una di queste opere di Dio. La ricorderà e la renderà presente. Ormai da tempo preghiamo la Genitrice di Dio perché sia in modo speciale con noi in quest'anno, durante il quale — dopo mille anni — renderemo grazie alla Santissima Trinità per il Battesimo che ebbe luogo sulle rive del Dniepr, a Kiev. Questo Battesimo aprì la via per introdurre la luce di Cristo tra i molti popoli e nazioni dell'Europa Orientale, diffondendola successivamente sino oltre gli Urali, in un lungo cammino di fede e di civiltà cristiana.

Tutte queste genti ritroveranno il loro inizio storico nel ricordo millenario del Battesimo ricevuto inizialmente dalla principessa Olga,

[9] Cf. *Gal* 4, 4-5.
[10] *Lc* 2, 19.

la prima santa russa, accolto poi e promosso stabilmente tra il popolo della Russia dal principe san Vladimiro.

Condivideremo la gioia di questo inizio con tutti i figli e le figlie dei popoli russo, ucraino, bielorusso — e di altri ancora.

Ed ormai oggi, nel giorno della sua Maternità, ci rivolgiamo a Lei, alla Genitrice di Dio, perché ((serbi e mediti nel suo cuore » « tutti i problemi » di quei popoli, di quei fratelli e sorelle.

8. Dio mandò il suo Figlio, « nato da donna ». Mediante la nascita di Dio in terra partecipiamo alla pienezza del tempo.

E questa pienezza la compie incessantemente nei nostri cuori lo Spirito del Figlio, mandato dal Padre ... lo Spirito del Figlio, che conferma in noi la certezza dell'adozione a figli. Ed ecco, dalla profondità di questa certezza, dal profondo dell'umanità rinnovata nella « deificazione », come proclama e professa la ricca tradizione della Chiesa Orientale — da questa profondità gridiamo, sull'esempio di Cristo : ((Abbà, Padre ». E così gridando, ognuno di noi costata che « non è più schiavo, ma figlio ».

((E se figlio, è anche erede per volontà di Dio

9. Sai tu, famiglia umana — lo sai, di tutti i paesi e continenti, di tutte le lingue, nazioni e razze

sai tu di questa eredità?

Lo sai che essa è alla base della tua umanità?

Dell'eredità della libertà filiale?

Che ne abbiamo fatto di questa eredità nella nostra storia?

Quale forma le abbiamo dato nella vita delle persone e delle comunità? Nella vita delle società, nella vita internazionale?

Non abbiamo forse deformato l'eredità della libertà ricevuta dal Creatore e redenta dal sangue del suo Figlio?

Non ne abbiamo forse abusato in diversi modi?

Non usiamo forse di questa libertà disprezzando lo stesso Creatore, che ce l'ha donata? E non la usiamo forse anche contro di Lui?

10. Gesù Cristo ! Figlio dell'Eterno Padre, Figlio della Donna, Figlio di Maria, non ci lasciare in balìa della nostra debolezza e della nostra superbia !

O Pienezza Incarnata ! Sii Tu nell'uomo, in ogni fase del suo tempo terreno ! Sii Tu il nostro Pastore ! Sii la nostra Pace !

» Cf. *Gal* 4, 7.

ALLOCUTIONES

I

Ad exc.mum Virum Roni Hendrawan Kurniadi, Indonesiae apud Sanctam Sedem Legatum.*

Mr Ambassador,

I am plèased to welcome **yon** today to the Vatican and to accept the Letters of Credence by which you are appointed Ambassador Extraordinary and Plenipotentiary **of** the Republic of Indonesia to the Holy See. I am grateful for the warm words **of** greeting you bear from His Excellency President Soeharto, and I would ask you to assure him of my prayerful good wishes. At the same time, I avail myself **of** the occasion to renew the expression of the Holy See's desire to maintain and strengthen the bonds of good will and friendship with your country.

You have referred, Mr Ambassador, to the need for deeper understanding and dialogue between peoples in order to build up the unity **of** the human family. It has become altogether clear that the great concerns, not only of the leaders **of** nations but **of Citizens of** ail levéis in every part **of** the world, regarding economie and cultural development and peace cannot be approached today except in a wide perspective that takes proper account of the interdependence **of** countries and régions, and even of continents. Events in one part of the world have dramatic conséquences in other areas. Policies undertaken in one country or région can deeply affect the lives of countless individuáis in other countries. This is particularly true of matters affecting security and peace, as well as of policies that affect trade, food production and distribution.

This open, **Worldwide** perspective is all the more imperative in the face of growing imbalances between developed and developing countries and régions, between nations that dispose of advanced technologies and those that are stili on the way to modernization.

An indication of a heightened sensé of international co-responsibility on the part **of** many nations is the importance given to regional structures **of** collaboration and participation in the various international organizations and their agencies. In South-East Asia, Indonesia has been active in promoting a dialogue with neighbouring countries. It

* Die 14 in. Decembris a. 1987.

must be hoped that such initiatives will continue to offer a forum for negotiations and peaceful means of resolving différences, and that furthermore they will positively assist in achieving the goals of development, justice and respect for human rights everywhere.

W tym samostanowieniu nikt społeczeństwa nie może wyręczyć, ani go w tym zastąpić. Jeśli zaś usiłuje się społeczeństwu narzucić jako dobro wspólne, jako program społeczny to, co nie odpowiada świadomości ani sumieniom, przyjdzie się w końcu przekonać, że działanie takie jest na szkodę społeczeństwa i swoją własną.

Ten naród, poprzez całą swoją historię, nawet i poprzez ponure jej doświadczenia, zbyt jest przyzwyczajony do tego, co Sobór nazywa ((uczestnictwem » — a co łączy się z tak trafnie odkrytą nad Bałtykiem « solidarnością ».

10. « Słowo Wcielone zechciało być uczestnikiem ludzkiej społeczności. Jezus objawił miłość Ojca i wzniosłe powołanie ludzi, przypominając najpowszedniejsze sprawy społeczne. W swoim nauczaniu wyraźnie polecił dzieciom Bożym, by odnosiły się do siebie wzajemnie jako bracia. W swojej modlitwie prosił, by wszyscy Jego uczniowie byli ((jedno ». Apostołom zaś polecił głosić orędzie ewangeliczne wszystkim narodom, żeby ród ludzki stał się rodziną Bożą, w której pełnią prawa byłaby miłość; przez dar swojego Ducha ustanowił nową braterską wspólnotę w ciele swoim — Kościele, w którym wszyscy, będąc jedni drugich członkami, mają świadczyć sobie wzajemnie usługi

wedle różnych darów sobie udzielonych. Tę solidarność trzeba będzie ciągle zwiększać aż dò owego dnia, w którym osiągnie ona swoją pełnię i w którym ludzie, jako rodzina umiłowana przez Boga i Chrystusa Brata, zbawieni przez łaskę, oddawać będą Bogu chwałę doskonałą ».[7]

11. W tym duchu składam najlepsze życzenia świąteczne i noworoczne wam, drodzy Bracia w Biskupstwie, Kościołom, którym służycie. Przekażcie moje życzenia i błogosławieństwo całej umiłowanej Ojczyźnie.

VII

Ad Patres Cardinales, Familiae D.ni Papae Romanaeque Curiae Praelatos et Officiales quosdam, imminente Nativitate Domini nostri Iesu Christi coram admissos.*

Signori Cardinali,
Venerati Fratelli nell'episcopato e nel sacerdozio,
Carissimi Laici.

1. Ringrazio sinceramente il Cardinale Decano per le parole di augurio, con cui ha interpretato i sentimenti di ciascuno di voi in questo tradizionale e sempre caro incontro pre-natalizio. Esse hanno pure attratto la nostra comune attenzione sul particolare significato che l'annuale circostanza riveste. In effetti ci incontriamo alla vigilia del Natale dell'Anno Mariano.

Se tutti gli anni, in questa occasione, i nostri cuori trepidano nell'attesa di Colui che nasce a Betlem dal seno immacolato di Maria, e ci auguriamo a vicenda di vivere adeguatamente questo evento centrale della storia accogliendo in noi il Verbo Incarnato, in quest'Anno Mariano il nostro incontro riveste un carattere particolare, e dà un'impronta specifica alla nostra riflessione natalizia. L'Anno Mariano, infatti, ci prepara ad andare incontro a Cristo, in questo Avvento del terzo Millennio, a rivivere il mistero della sua incarnazione, seguendo Maria che ci precede in questo cammino di fede. Ella è stata la prima « ministra » del Verbo.

Come membri della Curia Romana siamo consapevoli di servire il

[7] Por. *Gaudium et spes,* 32.

* Die 22 m. Decembris a. 1987.

Mistero dell'incarnazione, dal quale prende inizio la Chiesa come ((Corpo)). In Maria, ha detto S. Agostino, « unigenitus Dei Filius humanam sibi dignatus est coniungere naturam, ut sibi capiti immaculato immaculatam consociar et Ecclesiam)).[1] Nasce da Maria il Cristo Capo, a cui è da allora indissolubilmente unita la Chiesa, suo Corpo. Nasce il *Christus totus.* E noi, che siamo i servitori, i ministri di questo mistico Corpo, nutriti quotidianamente col Corpo Eucaristico di Gesù, manifestiamo quest'anno la gioia più profonda per la presenza particolare della Madre di Dio nel Mistero di Cristo e della Chiesa, nel quale ci sappiamo particolarmente inseriti.

2. Come ben sappiamo, il Vaticano II ha compiuto una grande sintesi tra la mariologia e l'ecclesiologia. L'Anno Mariano segue tale sintesi ed ispirazione conciliare affinché la Chiesa si rinnovi dappertutto mediante la presenza della Madre di Dio, che — come insegnavano i Padri — e ((modello » *(typus)* della Chiesa.

Il Concilio ha dato un'interpretazione luminosa di questa presenza della Vergine nel piano divino della salvezza : proprio perché strumento e canale privilegiato dell'incarnazione del Verbo nell'umana natura, e della sua venuta in mezzo a noi, Maria ((è intimamente congiunta con la Chiesa : la Madre di Dio è figura della Chiesa, come già insegnava sant'Ambrogio, nell'ordine cioè della fede, della carità e della perfetta unione con Cristo ».[2] Sviluppando questo pensiero, ho scritto nell'Enciclica *Redemptoris Mater* che (da realtà dell'incarnazione trova quasi un prolungamento nel mistero della Chiesa-corpo di Cristo. E non si può pensare alla stessa realtà dell'incarnazione senza riferirsi a Maria — Madre del Verbo incarnato ».[3]

Maria unita a Cristo, Maria unita alla Chiesa. E la Chiesa, unita a Maria, trova in Lei l'immagine più alta e perfetta della propria specifica missione, che è al tempo stesso verginale e materna. I Padri e Maestri della Chiesa antica hanno sottolineato molto questo duplice aspetto. Ancora S. Agostino, ad esempio, dice mirabilmente : « Hic est speciosus forma prae filiis hominum, sanctae filius Mariae, sanctae sponsus Ecclesiae, quam suae genitrici similem reddidit: nam et nobis eam matrem fecit, et virginem sibi custodit ».[4] La Vergine Maria è

[1] *Serm.* 191, 3; *PL* 38, 1010.

[2] *Lumen gentium,* 63.

[3] N. 5.

[4] *Serm.* 195, 2; *PL* 38, 1018.

archetipo della Chiesa a causa della maternità divina, e, come Maria, la Chiesa deve, e vuole essere, madre e vergine. La Chiesa vive di questo autentico « profilo mariano », di questa « dimensione mariana », che il Concilio, raccogliendo le voci della patristica e della teologia, orientale e occidentale, ha così sintetizzato : « Contemplando l'arcana santità di Lei e imitandone la carità, adempiendo fedelmente la volontà del Padre per mezzo della parola di Dio accolta con fedeltà, (la Chiesa) diventa anche essa madre, poiché con la predicazione e il battesimo genera a una vita nuova e immortale figlioli, concepiti ad opera dello Spirito Santo e nati da Dio. Essa pure è vergine, che custodisce integra e pura la fede data allo Sposo e ad imitazione della Madre del suo Signore, con la virtù dello Spirito Santo, conserva verginalmente integra la fede, solida la speranza, sincera la carità ».[5]

3. Questo profilo mariano è altrettanto — se non lo è di più — fondamentale e caratterizzante per la Chiesa quanto il profilo apostolico e petrino, al quale è profondamente unito. Anche sotto questo aspetto della Chiesa, Maria precede il Popolo di Dio pellegrinante.

Maria è Colei che, predestinata ad essere Madre del Verbo, è vissuta continuamente e totalmente nella sfera della grazia divina, sotto il suo influsso vivificante ; è stata specchio e trasparenza della vita di Dio stesso. Immacolata, « piena di grazia », Ella è stata preparata da Dio all'Incarnazione del Verbo, e si è trovata sotto l'azione ininterrotta dello Spirito Santo ; è stata il « Sì », il « Fiat » per eccellenza a Colui che l'aveva prescelta « prima della creazione del mondo » ;[6] e lo è stata nella docilità, nell'umiltà, nella rispondenza ai minimi cenni della grazia, resa, possiamo ben dire, doppiamente madre per la piena conformità alla volontà di Dio : ((Chi compie la volontà di Dio, è ... mia madre ».[7] La maternità divina, privilegio unico e sublime della sempre Vergine, deve essere vista in questa prospettiva, quale supremo coronamento della fedeltà di Maria alla grazia.

La dimensione mariana della Chiesa emerge dalla similitudine dei compiti nei confronti del Cristo totale : ad essa infatti si applica in modo particolare la parola di Gesù secondo cui « chi compie la volontà di Dio è mio fratello, sorella e madre » ;[8] anche la Chiesa, come Maria,

[5] *Lumen gentium,* 64.
* *Bf* 1, 4.
[7] Cf. *Me* 3, 35.
« *Me* ibid.

vive nella grazia, nella sottomissione allo Spirito Santo, alla sua luce interpreta i segni e le necessità dei tempi, e avanza nel cammino della fede in piena docilità alla voce dello Spirito.

In questo senso, la dimensione mariana della Chiesa antecede quella petrina, pur essendole strettamente unita e complementare. Maria, l'Immacolata, precede ogni altro, e, ovviamente, lo stesso Pietro e gli apostoli : non solo perché Pietro e gli apostoli, provenendo dalla massa del genere umano che nasce sotto il peccato, fanno parte della Chiesa « sancta ex peccatoribus », ma anche perché il loro triplice *munus* non mira ad altro che a formare la Chiesa in quell'ideale di santità, che già è preformato e prefigurato in Maria. Come bene ha detto un teologo contemporaneo, « Maria è "regina degli apostoli", senza pretendere per sé i poteri apostolici. Essa ha altro e di più ».[9] Singolarmente significativa si rivela da questo punto di vista, la presenza di Maria nel cenacolo, ove Ella assiste Pietro e gli altri apostoli, pregando con loro e per loro in attesa dello Spirito.

Questo legame tra i due profili della Chiesa, quello mariano e quello petrino, è dunque stretto, profondo e complementare, pur essendo il primo anteriore tanto nel disegna di Dio quanto nel tempo, nonché più alto e preminente, più ricco di implicazioni personali e comunitarie per le singole vocazioni ecclesiali.

In tale luce vive e deve vivere la Curia Romana, dobbiamo vivere tutti noi. Certamente la Curia si trova direttamente collegata al profilo petrino, al cui servizio è deputata per fisionomia, costituzione e missione. La Curia serve la Chiesa come Corpo, e, collocata si può dire al vertice, offre la sua collaborazione al Successore di Pietro nel suo servizio alle singole Chiese locali. E, pertanto, in questa attività, ciò che le è più necessario e indispensabile è conservare e avvalorare la dimensione mariana del suo servizio a Pietro. Maria precede anche tutti noi della Curia, che serviamo il Mistero del Verbo Incarnato, come precede l'intera Chiesa per la quale viviamo. Che Lei ci aiuti a scoprire sempre meglio, e a vivere sempre più autenticamente questa ricchezza che per noi, starei per dire, è vitale, decisiva; ci aiuti a inserirci consapevolmente in questa simbiosi tra la dimensione mariana e quella apostolico-petrina, da cui la Chiesa quotidianamente trae orientamento e sostegno. L'attenzione a Maria ed ai suoi esempi porti un di più di amore, di tenerezza, di docilità alla voce dello Spirito, perché si

[9] H. U. von Balthasar, *Neue Klarstellungen,* trad. it., Milano 1980, p. 181.

arricchisca interiormente la dedizione di ciascuno al servizio del ministero di Pietro.

4. Alla luce dell'idea-guida dell'Anno Mariano, che continua l'insegnamento del Vaticano II nel presentare Maria a guida del Popolo di Dio pellegrinante nel suo cammino di fede, vorrei ora soffermarmi su alcuni fatti salienti dell'anno che si sta per chiudere: e cioè il Sinodo dei Vescovi, le numerose beatificazioni e canonizzazioni, e la visita del Patriarca ecumenico Dimitrios I di Costantinopoli.

Anzitutto la Sessione del Sinodo : a due mesi dal termine dei lavori, vediamo sempre più chiaramente che, dagli interventi e lavori dei Padri Sinodali, è emersa l'immagine globale della Chiesa : come essa vive, come lavora, come prega, come soffre, come combatte, come segue il Cristo. Il Sinodo, effettivamente, ha offerto l'immagine di questo Popolo pellegrinante sulla terra, e perciò di quella porzione del Popolo di Dio che è il Laicato, nella caratteristica della sua sfera specifica. In questo pellegrinaggio è ancor sempre la Madre che precede i suoi figli nel loro impegno di « cercare il regno di Dio trattando le cose temporali e ordinandole secondo Dio » nello spirito delle beatitudini.[10] Questa presenza mariana nella missione dei laici, nel loro cammino di fede, è la linea che definisce lucidamente quel grande evento.

Man mano che aumenta la distanza dal Sinodo dello scorso ottobre, più se ne costata il risultato positivo, non solo per avere riaffermato l'insegnamento dei grandi documenti del Vaticano II, ma anche per l'accento posto sulla ecclesiologia di comunione come contesto necessario per situare il ruolo del Laicato nella Chiesa per la salvezza del mondo. A tale riuscita hanno collaborato efficacemente i laici stessi : sia perché ciascuno dei Padri Sinodali ne rappresentava la voce, sia perché i laici, uomini e donne, sono intervenuti attivamente, mediante la loro rappresentanza cospicua e qualificata nel Sinodo, parlando nelle assemblee plenarie e collaborando intensamente nei « circuii minores ». Ne è risultato un quadro veramente universale delle diverse realtà che costituiscono la vera immagine della Chiesa di oggi. Come per i Sinodi precedenti, sarà mio dovere seguire le indicazioni emerse in quei giorni indimenticabili.

Intanto mi è piaciuto sottolineare, nel nostro incontro odierno, come questa ricchezza e pluralità di risultati sia il segno che la Chiesa è veramente aperta alla voce dello Spirito, in cammino sulla via della

[10] *Lumen gentium,* 31.

fede e dell'amore, e sempre più cosciente delle proprie responsabilità davanti a Dio e davanti al mondo. Maria è presente in questo cammino dei Laici, per guidarli, come tutti ci guida, verso l'Avvento di Cristo.

5. Ancora il Vaticano II ha mostrato nella Madre di Dio Colei in cui la Chiesa ha già raggiunto il suo traguardo finale : « In cielo, glorificata ormai nel corpo e nell'anima, è immagine e inizio della Chiesa che dovrà avere il suo compimento nell'età futura » ;[11] questa affermazione riassume quanto la Costituzione dogmatica sulla Chiesa aveva spiegato in precedenza nel trattare sia « l'indole escatologica della Chiesa peregrinante e la sua unione con la Chiesa celeste »,[12] sia « l'universale vocazione alla santità nella Chiesa ».[13] Nella « pienezza del tempo », Maria, in grazia della sua concezione immacolata, ricompone in sé il disegno salvifico di Dio, sconvolto dal peccato, e, assunta in Cielo col suo corpo santissimo — che è l'Arca dell'Alleanza nuova ed eterna — già regna con Cristo nell'unità psico-fisica della sua persona.

Ella è dunque, dopo Cristo « primogenito dei morti »,[14] Colei che precede la Chiesa in cammino verso il compimento finale della santità, e che l'attende in questa pienezza senza tramonto. Ma con Lei già si trovano, in attesa della risurrezione, tutti coloro che, secondo il giudizio della Chiesa, già sono in Cielo, e, avendo realizzato in se stessi il piano di Dio, hanno raggiunto il « successo » di ogni umana esistenza : il conseguimento della più intima unione con Cristo.[15]

Col pensiero rivolto alla Regina di tutti i Santi, in questo Anno Mariano, ricordo ora le due canonizzazioni e le undici beatificazioni, che, così numerose nel 1987, hanno dimostrato — in modo forse più straordinario del solito — quanto sia reale, vera e attuale la chiamata universale della Chiesa alla santità, facendone vedere la pluralità etnico-vocazionale.

Infatti, i nuovi santi e beati appartengono a diverse vocazioni nel Popolo di Dio: vi sono, tra di essi, Cardinali come Marcelo Spinola y Maestre (29.III) e Andrea Carlo Ferrari (10.V) ; Vescovi come Michael Kozal (14.VI) e Jurgis Matulaitis (28.VI) ; Sacerdoti e Religiosi

[11] *Lumen gentium,* 68.
[12] Cap. VII.
[13] Cap. V.
[14] *Ap* 1, 5; cf. *Col* 1, 18.
[15] Cf. *Lumen gentium,* 49.

come Manuel Domingo y Sol (29.III), Rupert Mayer (3.V), Pierre-François Jamet (10.V) e Jules Arnould Rèche (l.XI) ; Religiose come Teresa de los Andes (3.IV), Benedetta Cambiagio Frassinello (10.V), Ulrika Msch e Blandina Merten (l.XI) ; Laici, uomini e donne, come Lorenzo Ruiz (18.X), Giuseppe Moscati (25.X), e molti altri di tutte le professioni e mestieri, anche i più umili; è una testimonianza data nelle più diverse circostanze, come pastori e ministri della Chiesa, come medici, come educatori ed evangelizzatori.

Non di rado questa testimonianza è stata la più ardua ed alta, quella del martirio per antonomasia, come è avvenuto per le tre Carmelitane di Guadalajara (29.III), per Edith Stein (l.V) e Karolina Kozka (10.VI), per Marcel Callo, Pierina Morosini e Antonia Mesina (4.X), per i 16 martiri del Giappone (18-X) come per gli 85 martiri inglesi (22.XI).

Inoltre, buona parte dei nuovi santi e beati sono vissuti nel nostro secolo, ci sono contemporanei : davvero, i santi sono ancora in mezzo a noi, e dimostrano che ancora oggi la Chiesa è chiamata alla santità, e vi risponde generosamente, ispirata e guidata da Maria.

Essi, inoltre, appartengono a diverse nazioni dei vari continenti : Francia, Spagna, Germania, Italia, Gran Bretagna, Polonia, Lituania, Giappone, Filippine, Cile : le recenti beatificazioni e canonizzazioni hanno avuto perciò un significato universale anche dal punto di vista geografico.

5. In questa visuale, reputo una grazia del Signore l'aver potuto proporre alla comune venerazione della Chiesa — venendo incontro alle ripetute insistenze dei Vescovi locali — alcuni di questi campioni della fede negli stessi ambienti sociali in mezzo ai quali vissero. Ciò mi fu dato durante alcuni dei viaggi apostolici di quest'anno : Suor Teresa de los Andes, a Santiago del Cile (3. IV) ; Suor Teresa Benedetta della Croce, a Colonia (l.V) ; Padre Mayer, a Monaco di Baviera (3.V) ; Karolina Kózka, a Tarnow (10. VI) ; e Mons. Kozal, a Varsavia (14. VI).

La possibilità sempre più frequente di proclamare pubblicamente la santità eroica di figli e figlie della Chiesa nel corso delle mie visite ai vari Paesi del mondo, mi conferma che tali viaggi sono un servizio particolare sulla via della peregrinazione del Popolo di Dio — esattamente di quella peregrinazione verso il Regno definitivo di Cristo nella quale Maria « precede » la Chiesa nei diversi luoghi della terra. Poiché

i viaggi sono, con l'aiuto di Dio, l'applicazione coerente del mandato di Cristo — ((euntes in mundum universum »[16] — e della specificità del ministero petrino — « confirma fratres tuos »[17] — essi hanno una irradiazione ancora maggiore proprio nell'esercizio del *munus* tanto alto e solenne di proporre all'imitazione della Chiesa gli esemplari autentici della santità, che le è propria. Essi danno inoltre la prova, davanti al mondo, che la santità è possibile a tutti i popoli, in tutte le civilizzazioni e a tutte le latitudini.

6. L'Enciclica *Redemptoris Mater,* seguendo il Concilio, ha sottolineato che la « peregrinazione » della Chiesa, nella quale la Madre di Dio la « precede », ha un evidente tratto ecumenico.

Per i fratelli disuniti delle Chiese e comunità ecclesiali di Occidente, il documento rileva come essi possono, anzi desiderano progredire insieme nel cammino di fede di cui Maria è esempio; di ciò esso vede un lieto auspicio nel fatto che quelle Chiese convengono ((con noi in punti fondamentali della fede cristiana anche per quanto riguarda la Vergine Maria »:[18] l'Enciclica sottolinea poi la convergenza di testimonianze storiche, teologiche, liturgiche e artistiche che la Chiesa ortodossa e le antiche Chiese orientali offrono circa la loro venerazione, teologicamente profonda e umanamente delicata, della Theotokos.[19]

In questa luce acquista particolare significato la venuta a Roma di Sua Santità Dimitrios I, Patriarca ecumenico, dal 3 al 7 dicembre scorso, che ho avuto la grande gioia di ricevere in Vaticano, con la carità fraterna e l'onore che gli erano dovuti. È stata una visita di comunione ecclesiale in restituzione di quella che avevo fatto al Patriarcato ecumenico per la festa di Sant'Andrea del 1979, e realizzata con l'esplicito intento di contribuire al ristabilimtnto della piena comunione tra Cattolici ed Ortodossi.

L'evento ha tenuto pienamente conto della maturazione di sentimenti avvenuta fra Cattolici ed Ortodossi dal Concilio in poi e anche dei risultati del positivo dialogo teologico in corso. Abbiamo così potuto pregare insieme durante la celebrazione eucaristica nella Basilica di San Pietro; e nello spirito di questo Anno Mariano abbiamo

[16] *Mc* 16, 15.
[17] *Lc* 22, 32.
[18] *Redemptoris Mater,* 30.
[19] *Ibid.,* 31-33.

potuto pregare insieme anche nella Basilica di Santa Maria Maggiore. Nella sua omelia mariologica il Patriarca Dimitrios I ha voluto rilevare come « le nostre due Chiese sorelle hanno mantenuto attraverso i secoli inestinguibile la fiamma della devozione alla veneratissima persona della Tutta Santa Genitrice di Dio ». Ciò costituisce un forte legame di congiunzione e di comune tradizione. Anche se, nel corso del tempo, sono state apportate distinzioni che certamente vanno chiarite nel dialogo, ((il comune patrimonio dogmatico e teologico sviluppatosi intorno alla venerabile persona della Tutta Santa Genitrice di Dio costituisce un asse d'unità e di riunione delle due parti disgiunte ». Per sottolineare tutta l'importanza positiva di questa prospettiva, il Patriarca Dimitrios ha voluto proporre che « il tema della mariologia occupi un posto centrale nel dialogo teologico tra le nostre Chiese, esaminato dal punto di vista non solo cristologico, ma anche antropologico e in particolare ecclesiologico per il pieno ristabilimento della nostra comunione ecclesiale, per la quale preghiamo, ci adoperiamo e verso la quale guardiamo con molta attesa ».

Questo pensiero incontra direttamente l'orientamento dell'Enciclica *Redemptoris Mater.* Rallegrandomi profondamente, esprimo la convinzione che anche per questo punto la visita del Patriarca ha dato un impulso positivo in profondità alle relazioni tra Cattolici ed Ortodossi. L'incontro nella carità fa vedere meglio la verità e fa vivere nella speranza. Sia gloria a Dio.

L'interesse, vorrei dire l'entusiasmo, che questa visita ha suscitato mi fa ripetere il voto che la Chiesa « torni a respirare pienamente con i suoi «due polmoni»: l'Oriente e l'Occidente ... Ciò è oggi più che mai necessario ... Sarebbe anche la via per la Chiesa in cammino di cantare e vivere in modo più perfetto il suo *Magnificat.*[20]

7. Ormai al termine del nostro incontro, mi è caro cogliere questa occasione per annunciare ufficialmente la non lontana pubblicazione di una Lettera Enciclica al fine di commemorare il ventesimo anniversario della *Populorum progressio* di Paolo **VI.** Questa ha segnato una tappa fondamentale nella vita contemporanea della Chiesa, ed ha suscitato echi profondi nell'opinione pubblica, dando un nuovo segno della presenza viva della Chiesa stessa nelle drammatiche situazioni dello sviluppo e della pace nel mondo. Nel ricordare la continua attualità di quel grande documento, l'Enciclica intenderà anche rile-

[20] ***Ibid.,*** **34.**

vare le nuove tematiche e rispondere ai problemi nuovi che, sullo stesso argomento, si sono presentati alla coscienza dell'uomo di oggi : essa vuole perciò mettersi sulla scia della *Populorum progressio,* come sua ideale continuazione e prosecuzione.

Anche questo sottolinea quanto la Chiesa voglia camminare insieme agli uomini del nostro tempo : per tale motivo affido fin d'ora alla Vergine Santa questa Enciclica, che tanto mi sta a cuore, affinché trovi risposta nella società e susciti rinnovati, concreti propositi di cooperazione internazionale per la fraterna intesa fra le Nazioni e la promozione dell'autentico sviluppo, secondo il piano di Dio.

8. In questa prospettiva, che dobbiamo mantenere viva nei nostri spiriti, rinnovo oggi i miei ringraziamenti ed auguri per il Santo Natale. Li porgo a tutti voi, che, in ogni ordine e grado, prestate una valida e apprezzata collaborazione alla Santa Sede nella Curia Romana, alla diocesi di Roma nel Vicariato, e alla Città del Vaticano ; li porgo ai Rappresentanti Pontifici ed al Personale diplomatico che li coadiuva nella loro missione ; li estendo ai vostri Cari, con un pensiero particolare alle famiglie ove sia qualche pena, fìsica o spirituale. Gesù che viene, porti a tutti la sua grazia e la sua pace.

Cristo Bambino, che troviamo come i Pastori ed i Magi tra le braccia di Maria sua Madre, è la luce del mondo — ed è la luce delle nostre vite : « Ipse est menti nostrae lumen », come dice S. Agostino.[21] Che la sua luce guidi il servizio che prestiamo al Mistero dell'Incarnazione, ove è particolarmente inserita Lei, la Madre sua e nostra, la Madre della Chiesa: sarà quindi Lei a prenderci per mano e ad aiutarci ad essere fedeli nel nostro servizio ecclesiale, nel quale è anche e sempre Lei a ((precederci ».

E con quell'affetto, che l'imminenza delle feste rende più intimo e forte, tutti vi benedico.

[21] *Quaest. Evangeliorum* I, 1; *PL* 35, 1323.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETUM

CIVITATIS BOLIVARENSIS - CIVITATIS GUAYANENSIS

de mutatione finium.

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Medardus Luzardo Romero, Archiepiscopus Civitatis Bolivarensis, et Iosephus a Iesu Núñez Viloria, Episcopus Civitatis Guayanensis, unanimi consensu, audita Conferentia episcopali nationis Venetiolanae, ab Apostolica Sede espostulaverunt ut ecclesiastici fines circumscriptionum ecclesiasticarum sibi concreditarum immutarentur aptiusque disponerentur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Papa II, exstante favorabili voto Exc.mi P. D. Luciani Storero, Archiepiscopi titularis Tigimmensis, in Republica Venetiolae Apostolici Nuntii, preces ad Se admotas certo animabus profuturas censuit benigneque excipiendas decrevit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ab archidioecesi Civitatis Bolivarensis distrahit integrum territorium civilium municipiorum vulgo *Par, Roscio* et *Sifontes,* illudque dioecesi Civitatis Guayanensis adnectit.

Documenta et acta praefati territorii clericos, fideles et bona temporalia forte respicientia a tabulario Curiae Civitatis Bolivarensis ad archivum Curiae Civitatis Guayanensis, quam primum, transmittantur.

Ad clerum quod attinet, simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium ; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec perficienda idem Summus Pontifex praefatum Exc.mum P. D. Lucianum Storero deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 25 mensis Martii anno 1988.

© **BERNARDINUS** Card. G **ANTIN,** *Praefectus*

L. © S.

© Ioannis Baptista Re, Archiep. tit Foronovanus, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., ». *46/88.*

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die S Martii 1988. — Cathedrali Ecclesiae Pasletanae Exc.mum P. D. Ioannem Aloisium Mone, hactenus Episcopum titularem Aberconiensem et Auxiliarem archidioecesis Glasguensis.

die 25 Martii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Bernardini Echeverría Ruiz o.f.m., Archiepiscopi Guayaquilensis, Exc.mum P. D. Ignatium Larrea Holguin, hactenus Episcopum titularem Novensem in Dalmatia ét Ordinarium Castrensem in Republica Aequatoriana.

— Episcopum Coadiutorem Curiensis dioecesis R. D. Volfgangum Haas, Canonicum Capituli Cathedralis et Cancellarium curiae eiusdem dioecesis.

die 31 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tingariensi R. D. Franciscum Grave, Praelatum honorarium Sanctitatis Suae, Canonicum Capituli Cathedralis Essendiensis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Francisci Hengsbach, Episcopi memoratae dioecesis

die 9 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Tarasensi in Numidia, R. P. Aloisium Dei Castillo Estrada, e Societate Iesu, hactenus Moderatorem Universitatis catholicae in civitate Montisvidei.

die lß Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Gummitanae in Proconsulari, R. P. Juárez Párraga, e societate S. Francisci Salesii, hactenus secretarium adiunctum Conferentiae episcopalis Bolivianae.

— Metropolitanae Ecclesiae Cochabambensi Exc.mum P. D. Renatum Fernández Apaza, hactenus Archiepiscopum Sucrensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Narensi R. P. Ninum Marzoli, e congregatione a Resurrectione D.N.I.C, hactenus Vicarium episcopalem et curionem in civitate Pacensi in Bolivia.

— Archiepiscopali Ecclesiae Luxemburgensi Exc.mum P. D. Ioannem Hengen, hactenus Archiepiscopum-Episcopum Luxemburgensem.

die 21 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Girardotensi Exc.mum P. D. Georgium Ardila Serrano, hactenus Episcopum titularem Tiseditanum, Auxiliarem archidioecesis Bogotensis.

— Praelaturae territoriali Tibuensi R. I). Aloisium Madrid Merlano, Vicarium delegatum Vicariatus Apostolici Istminaënsis.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Ciceronis Tumbocon, Episcopi Cabanatuensis, Exc.mum P. D. Sophium Balee, hactenus Episcopum titularem Lamphuensem et Auxiliarem Archiepiscopi Cacerensis.

die 23 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Turuzitanae R. D. Ioannem Aloisium Cipriani Thorne, e clero Praelaturae Personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Friderici Richter Fernández-Prada, Archiepiscopi Ayacuquensis.

die 30 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Romblониensi R. D. Vincentium Salgado y Garruchom, hactenus moderatorem Seminarii regionalis in archidioecesi Iarensi.

die 1 Iunii. — Archiepiscopali Ecclesiae Catanensi Exc.mum P. D. Aloisium Bommarito, hactenus Episcopum Agrigentinum.

— Cathedrali Ecclesiae Campecorensi R. D. Carolum Suárez Cazares, praepositum alumnis sacrorum Seminarii maioris archidioecesis Moreliensis.

die 11 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Arianensi Hirpinae-Laquedoniensi R. P. Antonium Forte, ex Ordine Fratrum Minorum.

15 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Paulalfonsanensi R. D. Marium Zanetta, Vicarium olim generalem eiusdem sedis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Zucchabaritanae R. P. Ioannem Messi, Ordinis Servorum Mariae sodalem, quem deputavit Auxiliarem sedis metropolitanae Araeauiensis.

die 20 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Belesasensi R. P. Hectorem Michaelem Cabrejos Vidarte, Ordinis Fratrum Minorum sodalem, quem deputavit Auxiliarem Em.mi Ioannis S. R. E. Cardinalis Landazuri Ricketts, Archiepiscopi Limani.

die 25 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Thibilitanae R. **D.** Andream Vingt-Trois, Vicarium generalem in archidioecesi Parisiensi, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Ioannis Mariae S. R. E. Cardinalis Lustiger, Archiepiscopi Parisiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Achollitanae R. P. Georgium Soubrier, e Societate Presbyterorum a S. Sulpitio, moderatorem Seminarii Universitarii, vulgo « des Carmes », quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Ioannis Mariae S. R. E. Cardinalis Lustiger, Archiepiscopi Parisiensis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

DECRETA

I

LYDENBURGENSIS - VITBANKENSIS

nomen dioecesis mutatur.

Exc.mus Dominus Mogale Paulus Nkhumishe, Episcopus Lydenburgensis-Vitbankensis, huic Dicasterio preces obtulit ut nomen suae dioecesis ita permutaretur ut deinceps dioecesis Vitbankensis nuncupantur, iuxta nomen vulgo Witbank, in qua sedes episcopalis et ecclesia cathedralis exstant.

Itaque haec Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia Papa II concessarum, auditoque favorabili voto quorum interest, memoratam petitionem benigne accipiens, nomen dioecesis Lydenburgensis-Vitbankensis in « dioecesis Vitbankensis » denominationem mutavit, praesensque ad rem Decretum confici et expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die 10 mensis Novembris anno Domini 1987.

IOSEPHUS Card. **TOMKO,** *Praefectus*

It. & S.

© Iosephus **T.** Sánchez, *a Secretis*

In Cangr. pro Gentium Evang. tab., n. 5508/81.

II

VANKIENSIS

nomen dioecesis mutatur.

Cum Exc.mus ac Rev.mus Dominus Ignatius Prieto Vega, Episcopus Vankiensis, in Zimbabwe, proposuisset ut praesens denominatio suae dioecesis ita permutaretur ut deinde Huangensis nuncupantur, iuxta nomen novum civitatis (Hwange, antea Wankie) ubi sedes episcopalis sita est, hoc Dicasterium vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia Papa II concessarum, supramemoratam propositionem adprobavit ac praesens ad rem Decretum confecit.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die 8 mensis Aprilis anno Domini 1988.

IOSEPHUS Card. **TOMKO,** *Praefectus*

L. & S.

Carolus A. Schlech, C.S.C, *Sub-secretarius*

In Cangr. pro Gentium Evang. tab., n. 1852/88.

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare.

Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit :

die 18 Novembris 1987. — Cathedrali Ecclesiae Sanensi R. D. Ioannem Gabrielem Diarra, Seminarii maioris Sancti Augustini archidioecesis Bamaokênsis rectorem atque Pontificalium Operum Missionalium Directorem nationalem in Malia.

die 30 Ianuarii 1988. — Cathedrali Ecclesiae Ondiivanae R. D. Ferdinandum Guimarfies Kevanu, hucusque eiusdem dioecesis Administratorem Apostolicum.

die 12 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Nyeriensi Exc.mum P. D. Nicodemum Kirima, hactenus Episcopum Mombasaènsem.

— Cathedrali Ecclesiae Elobeidensi R. P. Macram Maximilianum Gassis, e Missionariis Combonianis Cordis Iesu, hucusque Administratorem eiusdem dioecesis Apostolicum.

— Cathedrali Ecclesiae Mtuaranae R. D. Gabrielem Mmole, e clero dioecesano, rectorem Seminarii minoris in pago Namupa nuncupato.

— Titulari episcopali Ecclesiae Minorensi R. P. Zachariam Ortiz Robon, Superiorem in Paraguaia Provinciae Societatis Sancti Francisci Salesii Sodalium, quem constituit Vicariatus Ciachensis in Paraquaria Natione Vicarium Apostolicum.

die 5 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Manokvariensi-Sorongensi Exc.mum P. D. Franciscum Xaverium Sudartanta Hadisumarta, hactenus Episcopum Malangensem.

— Cathedrali Ecclesiae Viiayapuramensi R. D. Petrum Thuruthikonam, hucusque eiusdem dioeceseos Administratorem.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Bonaventurae Patricii Paul, Episcopi Hyderabadensis in Pakistan, R. D. Iosephum Coutts, e clero Lahorensis dioecesis eiusdemque Seminarii minoris rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Allahabadensi R. D. Isidorum Fernandes, dictae Dioecesis Vicarium generalem necnon rectorem « St. Josephus College » in civitate Allahabadensi.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit :

die 12 Martii 1988. — Exc.mum P. D. Aloisium Mariam Estrada Paetau, Episcopum titulo Regiensem, hucusque Apostolicum Administratorem Izabalensis Administrationis, *Vicarium Apostolicum Izabalensis Vicariatus nuper erecti in Guatimala.*

die 18 Ianuarii. — Exc.mum P. D. Aloisium Morganum Casey, Episcopum titulo Mibiarcensem, hucusque Auxiliarem Archiepiscopi Pacensis in Bolivia, *Vicarium Apostolicum Pandoënsis Vicariatus.*

die SO Martii. — Exc.mum P. D. Emericum Kabongo Kanundowi, Archiepiscopum-Episcopum Lueboènsem, *Administratorem Apostolicum « sede vacante » dioeceseos Mvekaënsis.*

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

ROMANA

Canonizationis Servae Dei Mariae Potter, fundatricis Parvae Societatis Mariae (1847-1913).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad efectum de quo agitur.

« Maternitas Mariae, quae penitus animo sponsali "ancillae Domini" imbuebatur, est prima et fundamentalis ratio illius mediationis, quam, eius respectu, Ecclesia profitetur atque pronuntiat quamque

iugiter "fidelium cordi commendat", quandoquidem valde ei confidit (cfr. *Lumen Gentium,* 62) ... Maria facta est non solum "mater-nutrix" Filii hominis, sed etiam "generosa socia" modo prorsus peculiari Messiae ac Redemptoris *(ibid.)* ... Maternitas Mariae in Ecclesia indesinenter perdurat ut mediatio intercedens, atque Ecclesia fidem in hanc veritatem enuntiat invocans Mariam nominibus Advocatae, Adiutricis, Auxiliatricis, Mediatricis » (Ep. Enc. *Redemptoris Mater,* 25 Martii 1987; *AAS* 79, 1987, pp. 413 s. ; nn. 39 s.).

In Ecclesiae filios, qui hoc matris Dei maternum munus acriter senserunt eiusque spiritalem indolem, vita et scriptis, propagaverunt, doctrinam secuti sancti Ludovici Mariae Grignion de Montfort (cfr. *ibid.,* p. 427, n. 48), est haud dubie ascribenda Serva Dei Maria Potter, Conditrix *Parvae Societatis Mariae,* quae vixit et egit altera dimidia parte saeculi xix et primo huius saeculi decennio.

Serva Dei orta est die 22 mensis Novembris anno 1847 Londinii a Villelmo Potter, anglicano, et a Maria Anna Martin, quae ad Ecclesiam catholicam se convertit paulo ante quam ultima eius filia nata est, post quattuor habitos mares filios. Infans baptizata est die 12 mensis Decembris insequentis, in ecclesia catholica SS. Trinitatis in urbe *DocJchead,* et Maria appellata, in honorem Virginis, cui mater eam iam prius commendaverat, quam orta est. Pater mature familiam reliquit ut in Australiani migraret, filiorum onus uxori remittens. Maria sacramentum Confirmationis accepit die 21 mensis Maii anno 1858 a domino Grant, episcopo ^outhvarcensi, et die 8 Decembris eodem anno primum ad eucharisticam mensam_ accessit. Postquam Portum Magnum concessit una cum matre in domum fratris Thomae, ibi pium iuvenem cognovit Godefridum King, cui aliquamdiu desponsa est, estque hinc stimulata ad pietatem eucharisticam et marialem. Admonitu episcopi Grant, cum iam de vitae perfectione cogitaret, sine controversia sponso repudiato, ingressa est intra Sorores a Misericordia Brictelmestunienses die 7 mensis Decembris anno 1868. Primo novitiatus anno peracto adducta est ad redeundum in familiam per causam valetudinis, at optimam diligentiae suae apud Sorores reliquit memoriam.

Aliquantum ex morbo recreata, Serva Dei renovato fervore se pietati dedidit et operibus misericordiae in egenos, simulque statuit caelestibus ducta impulsionibus, eius spiritus magistris et episcopo consentientibus, novum condere institutum religiosum, quod peculiarem curam adhiberet, tum ad corpus tum ad spiritum pertinentem,

de moribundis. Oritura erat *Parva Societas Mariae,* quo nomine manifeste piae mulieres significaban tur, Matri Perdolenti iunctae iuxta Christum in cruce morientem.

Post multa discrimina et vicissitudines, christiana fortitudine et serena constantia superata, die altero mensis Iulii anno 1877, una cum primis sodalibus Serva Dei vestem religiosam accepit ab episcopo Oratoriano Nottinghamensi domino Bagshawe, primamque pauperem Domum in suburbio *Hyson Green* instituit. Multimodis, divino permissu, ab ipso episcopo vexata, est etiam quodam cancri genere affecta; quocirca bis est secta annis 1878-79, cum exitibus qui totam vitam perdurarunt, sed eius serenitatem et animi robur non turbaverunt. Crescente religiosarum numero, anno 1882 Serva Dei primum Romam venit ut operam suam servitio Ecclesiae universalis addiceret, et est a Papa Leone XIII invitata ut Romae consisteret : cui invitationi filiae alacritate et vivissima fide est assensa.

Subsequentibus annis Serva Dei longas et molestas suscepit peregrinationes, semper infirma valetudine, novas Domus *Parvae Societatis Mariae* constituta in diversis nationibus, praesertim lingua Britannica utentibus. Anno 1893 obtinuit a Congregatione de Propaganda Fide decretoriam Constitutionum approbationem, et anno 1900 domicilium suum semel et in perpetuum Romae collocavit. Primum Congregationis Capitulum anno 1882 eam elegerat Antistitam Generalem ; quo in munere est iuncta usque ad mortem.

Annins 1904-1908 aedificandam curavit Donum Moderatricis generalis apud Sanctum Stephanum Rotundum in Caelio monte, cum adiuncto valetudinario et prima schola Italica pro mulieribus professionem aegrotis ministrandi exercentibus. Ecclesiam Cordi Materno Mariae consecravit. Per totum hoc temporis spatium non destitit apostola esse per multa scripta, maxime indolis Marialis, quorum quaedam pluries edita sunt in diversas linguas conversa, Sororum etiam et fidelium animos imbuens peculiari pietate erga Eucharistiam et Sanguinem Christi.

Sed Serva Dei fuit imprimis suarum religiosarum mater et magistra, quas assidue ad spiritum Instituti informavit exemplis suis, adhortationibus, scriptis, ut suam sentirent vocationem ad sarviendum aegrotis et moribundis ex eaque viverent, in illis Christum agnoscentes.

Opera eius semper iuncta fuit sollerti et crescenti vitae deprecationis et ascesis, in fide solidissima fundata et in plena oboedientia erga Ecclesiam et Romanum Pontificem, quem singulariter coluit in

persona Sancti Pii X, qui Servae Dei magnam habuit opinionem. Etsi omnes christianas et religiosas virtutes explicabat, humilitate tamen eminuit, simplicitate, sinceritate et silentio, uti omnes testes affirmant. Tota eius vita consecrata Deo, servitio Instituti et aegrotorum addicta, continuum fuit virtutum incrementum, sine remissione et sine sententiae mutatione, et est caelestibus donis exornata. Extenuata laboribus, quos tot per annos obiit ardenti cum caritate, et morbis invicta patientia perlatis, Serva Dei, divinis sacramentis confirmata, die 9 mensis Aprilis anno 1913 Romae est vita defuncta, fama sanctitatis insignis. Eius corpus, primo in Verano Campo sepultum, anno 1917 collocatum est in crypta ecclesiae Domus principis, et magis magisque in dies privatim a sororibus religiosis et a fidelibus colitur.

Cum amplius haec fama sanctitatis augeretur, annis 1942-1949 Romae instructi sunt Processus Ordinarii, cum pluribus rogatorialibus. Multis eius scriptis perspectis, duo successerunt Decreta, diebus 25 mensis Novembris anno 1956 et 8 mensis Iulii anno 1965 edita. Vulgato die 23 mensis Iunii anno 1977 Decreto *de non cultu,* cui Introductio Causae antecesserat die 11 mensis Iunii eodem anno, approbante Paulo Papa VI, acti sunt annis 1978-1979 Processus Apostolici Faesulanus et Sydneiensis, cum aliis testimoniis et multis collectis Documentis. Decretum de vi et auctoritate omnium Processuum foras elatum est a Congregatione pro Causis Sanctorum die 14 mensis Decembris anno 1981.

Praescripta *Positione* parata, iniit disceptatio de virtutibus theologalibus, cardinalibus et adnexis Servae Dei in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, die 9 mensis Octobris anno 1987, omnesque consentiente voce professi sunt Servam Dei has virtutes heroum modo exercuisse. Die 19 Ianuarii anni huius 1988, habita est Congregatio Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, Ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Mario A. Ciappi, et omnes, qui aderant, censuerunt agi de heroicis virtutibus in casu.

Summus Pontifex Ioannes Pauluh II, certior factus ab infra scripto Cardinali Praefecto, vota Congregationis pro Causis Sanctorum rata habens, iussit praeparari Decretum de virtutibus heroicis Servae Dei.

Omni re legitime confecta, hodie Sanctitas Sua arcessivit Cardinales infra scriptum praefectum atque Ponentem Causae, meque Archiepiscopum Secretarium et ceteros, qui convocari solent, et coram iis sollemniter edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe*

et Caritate tum in Deum, tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Potter, Fundatricis Congregationis Parvae Societatis Mariae, in actu et ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Beatissimus Pater ut hoc Decretum in vulgo ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 8 mensis Februarii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

ROMANA SEU SUTRINA

Canonizationis Servi Dei Laurentii Mariae a S. Francisco Xaverio (in saeculo: Laurentii Salvi), Sacerdotis professi Congregationis Passionis Iesu Christi (1782-1856).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Amen, dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum » *(Mt* 18, 3-4). Haec Divini Magistri firma et proposita doctrina magno animo accepta est et explicata a sanctis, qui historiae Ecclesiae saeculorum decudsu peculiari nota simplicitatis et humilitatis eminuerunt. In hos ascribendus est Servus Dei Pater Laurentius Maria a S. Francisco Xaverio, Congregationis Passionis sacerdos, qui indefatigatum peregit apostolatum in missionibus popularibus et in exercitiis spiritualibus priore dimidia parte saeculi xix.

Romae is natus est, die 30 mensis Octobris anno 1782 ab Antonio Salvi et Maria Anna Biondi, et postridie est baptizatus in id temporis paroecia S. Eustachii apud Pantheon, vocatusque est Laurentius Caie-

tanus Emmanuel. Vix post mensem iuvenis eius mater mortua est, quae tum primum partum ediderat. Cum pater ad secundas nuptias transiisset, infans Laurentius est diligenter et christiane ab altera matre altus et educatus. Die 4 mensis Iulii anno 1792, in basilica S. Petri, Laurentius Confirmationem accepit a Cardinali Henrico duce Eboracensi, Episcopo Tusculano. Collegii Romani alumnus praeceptorem aliquandiu habuit C&maldulensem Maurum Cappellari, qui hospitio utebatur familiae Salvi per tumultus Gallica rerum mutatione concitatos, quique postea fuit Papa Gregorius XVI.

Quandoquidem animadvertebat se ad vitam consecratam vocari Servus Dei maluit parvam tum Congregationem Passionis, a Sancto Paulo a Cruce conditam (1694-1775), qui Romae magnam sanctitatis famam reliquerat. Novitiatum ingressus S. Ioseph in Monte Argentario mense Novembri anno 1801, Servus Dei, felici exitu anno probationis acto, professionem perpetuam quattuor votorum fecit, Passilonistarum propriorum, die 20 mensis Novembris anno 1802, nomine sumpto novo Laurentio Maria a Sancto Francisco Xaverio. Legitimo peracto « curriculo » studiorum philosophiae et theologiae, die 29 mensis Decembris anno 1805 Romae ordinationem sacerdotalem accepit. In schola formatus proximorum Sancti Fundatoris discipulorum, Servus Dei mox apostolica iniit minsiteria, curam simul agens de anima sua adornanda virtutibus, quae verum hominem apostolicum formant, maxime deprecatione et silentio. Oppressione Napoleonica saeviente Ordinum religiosorum, insectationis calamitates ei patiendae fuerunt, cum ius iurandum, quod imperator postulabat, interponere noluisset.

Postquam Romam reversus est Papa Pius VII, Servus Dei novo cum ardore se dedidit ministeriis apostolicis exercitiorum spiritalium, tum ad populum tum ad communitates religiosas, et misisonum, plus quadraginta annos in bonum animarum incumbens, laborum et incommodorum neglegens. Mirus est numerus ministeriorum apostolicorum, quae Servus Dei confecit, praesertim in Italia media, expetitus et aestimatus ab episcopis, parochis et superioribus religiosis.

In sua Congregatione multos annos officio functus est superioris locorum, addito recessu generalitio Sanctorum Ioannis et Pauli Romae, et etiam officio consultoris provincialis, cum gratulatione superiorum maiorum et fratrum sodalium.

Proprietas quae totum spiritalem ascensum et apostolatum Servi Dei distinxit peculiarissima fuit pietas erga Verbi Incarnati Infantiam,

unde factus est indefessus Iesu Infantis apostolus. Genuinus Romanus haud dubie illectus est cultu populari simulacri Sancti Infantis, a saeculis in ecclesia franciscana Arae Caeli veneratissimi ; sed ante omnia meditatus est et introspexit mysterium exinanitionis Verbi Dei in Incarnatione, tam ad veritatis imitationem descriptum in hymno Ambrosiano his verbis : « Tu, ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum ». Facile non est breviter exponere quae Servus Dei scriptis et praedicatione fecerit, ut animas traheret ad Divinum Infantem. Tam nota erat etiam inter hominum multitudines quas evangelizaverat haec proprietas, ut cognominatus sit, etiam ob eius humilem staturam, *Pater Laurentiolus a Iesu Infante.* Non raro eius apostolatum secuta sunt facta et sanationes prodigiorum similia, ipseque est favoribus donatus, qui mysticam disciplinam attingere videntur. Attamen Pater Laurentius Maria numquam quarto suo Passionistae voto defuit, ut videlicet amans esset et apostolus Crucifixi, quoniam semper, sanctum suum Fundatorem imitatus, in praesepis Infante Calvariae Victimam vidit et divinum tabernaculorum eucharisticorum Hospitem.

Hac luce illustrante videnda est Fides theologalis Servi Dei, solide impensa vita deprecationis innixa, quae ceterum ostendebatur non solum in perfecta legis Dei observantia et Regulae eius Instituti, sed fiebat ardor in apostolatu, animarum boni conquisitio, incommodorum studium vel usque ad martyrium, regni Dei dilatandi causa. Eius plena fidelitas erga Ecclesiam et Romanum Pontificem, etiam difficilibus procellas Napoleonicae temporibus, probatio est eius indolis sacerdotis et religiosi integerrimi et praestantissimi.

Tota eius vita quodammodo canticum fuit Spei, quae supra naturam humanam excidit, quia mature a mundi blandimentis et illecebris discessit, ut soli Deo adhaereret et bonis non interituris. Strenua eius electio fuit in sectanda Passionistarum vocatione, talisque mansit tota vita, fervidus ut novitius, numquam animo deficiens et alios hortans ad perseverandum in bono.

Culmen praestantissimae virtutis Servi Dei iure in eius caritate invenitur erga Deum et erga proximum, quam diu et magis magisque exercuit, nec consistens, nec de sententia decedens. Eius pietas, quam iam memoravimus eiusque mysterio Verbi Incernati consecratio suavius significabantur in Eucharistiae celebratione et in protractis adorationibus, in cultu filiali Matris Iesu et Ecclesiae, in cura verbi Dei, quod fidelibus nuntiabat inaestimabilibus boni fructibus. Et solum-

modo animas quaerebat Servus Dei in suo diuturno apostolatu, quas sibi conciliabat, sicut Divinus Magister, per corporis dolorem, quia de aegrotis curam agebat, non sine periculo suae incolumnitatis, uti accidit in pluribus pestilentiis cholerae morbi.

Eius prudentia et iustitia maxime enituerunt in longo ministerio, quod fratribus sodalibus praebuit uti superior in pluribus Congregationis recessibus utque superioris provincialis consiliarius. Eximia fortitudo et temperantia pulchre copulatae connexaeque sunt cum austerissimae paupertatis usu, in innocentiae lumine ex qua apparebat perfecta eius castitas, una cum oboedientia, unde artius ei coniungebatur, qui factus est oboediens usque ad mortem crucis (cfr. *Phil* 2, 8). Omnia evangelica humilitas perficiebat, Servum Dei exornans forma illa infantiae spiritalis, quam eius aetatis homines multum mirabantur.

Auctus in spiritu evangelicarum beatitudinum effecit ut Servus Dei etiam vivus ampla sanctitatis fama frueretur, praesertim in Latio superiore et Romae. Memorabilis fuit liberatio urbis iVterbii a cholera morbo, quae contigit anno 1855, pastquam Servus Dei, consulto ab Episcopo urbis arcessitus, Cardinali Pionetti, frequentissimum triduum concluserat in honorem Iesu Infantis.

Demum, cum Capranicam se contulisset christianae caritatis opera facturus (quod oppidum tunc in dioecesi Sutrina situm erat, nunc vero in Viterbiensi), iam laboribus et aetate fractus, correptus est in domo benef actorum Porta apoplexi, et brevi ad aeternum praemium transivit, levatus ultima absolutione sacerdotali, die 12 mensis Iunii anno 1856. Post iusta funebria, sollemniter in ecclesia paroeciali facta, corpus latum est ad proximum Passionistarum recessum, Sancti Angeli Vetrallensis, ubi et hodie quiescit.

Cum duraret fama sanctitatis Servi Dei, ab anno 1891 ad annum 1894 acti sunt Processus Ordinarii Romae et in pluribus aliis dioecesibus, testibus plurimis interrogatis. Die 22 mensis Decembris anno 1915 editum est Decretum super scriptis Servo Dei tributis, quod est altero Decreto completum anno 1944 super scriptis postea repertis. Die 28 mensis Februarii anno 1923 constituta est Causae Introductio, quam secuti sunt Processus Apostolici Viterbiensis et aliarum multarum sedium, annis 1923-1927. Die 19 mensis Iulii a. 1939, proditum est Decretum de omnium Processuum vi et auctoritate.

Postquam omnia acta sunt, iure praescripta, et novae supervenerunt normae de nostris Causis tractandis, disceptatio ad virtutes heroicas Servi Dei pertinens est conclusa Congressu Peculiari Consulto-

rum theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Promotore Generali Fidei, die 29 mensis Septembris anno 1987, et Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, die 15 mensis Decembris habita, Ponente Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi.

Cum ambae disceptationes faventem exitum habuissent, de omnibus hisce rebus Summus Pontifex Ioannes Paulus II certior est factus per infrascriptum Cardinalem Praefectum. Et Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens, praecepit ut Decretum super heroicis virtutibus Servi Dei rite appararetur.

Quod cum esset factum, hodierna die ad Se arcessivit Cardinales infrascriptum Praefectum et Causae ponentem, meque Antistitem a Secretis, necnon ceteros de more convocandos, iisque adstantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudenita, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Laurentii Mariae a S. Francisco Xaverio (in saeculo Laurentii Salvi), sacerdotis professi Congregationis Passionis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in actu Congregationis pro Causis Sanctorum inseri mandavit.

Datum Romae, die 8 Februarii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

SANCTI PAULI IN BRASILIA

Canonizationis Servae Dei Paulinae a Corde Iesu Agonizante (in saeculo: Amabilis Visintainer), fundatricis Parvarum Sororum Immaculatae Conceptions (1865-1942).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem » (Liturgia Horarum, *Commune sanctorum virorum,* ant. 2 ad Officium lectionis).

Haec antiphona, qua liturgista vitam terrenam et spiritalem quorundam sanctorum brevi comprehendit, adhiberi potest in Servam Dei Amabilem Luciam Visintainer, seu Matrem Paulinam a Corde Iesu Aganizante, Parvarum Sororum ab Immaculata Conceptione Conditricem.

Terrestris eius vicissitudo, composita crebra operum donatione quae, locorum temporumque condiciones pro fratribus egentibus et derelictis suscitaverunt, ex eius religionis redundantia manavit, quae cum lucis sulco comparari potest, qui crescit « a diluculo usque ad perfectum diem ».

Serva Dei difficilibus vixit temporibus, quibus coetus ethnici Nationum Europensium in terram Latinam Americanam transmigrabant.

Ea particeps fuit, et in illa primas egit partes, ob suum ecclesiale munus, communitatis, constantis ex coetu Tirolis meridianae seu Tridentinae regionis, qui priore saeculo in Brasiliam australem migravit, quae idem est ac hodiernae Civitates Paulopolitana, Paranensis, Cathariniana et Rivus Magnus Australis.

Eius muneris exitus aptis rerum adiunctis secundatus est, videlicet eius popularium notitia, paupertate et labore, quae est a pueritia experta, fervida responsione, qua est vocationem secuta, Virgini Mariae tributam, obsequio erga parochos Novi Tridenti, Patrum Societatis Iesu Missioni concredito, constanti et humili deprecatione, studio voluntatem Dei faciendi « ad maiorem Dei gloriam ».

Nata est die 16 mensis Decembris anno 1865, a parentibus, quod ad res oeconomicas attinebat pauperibus, sed quod ad verorum christianorum virtutes divitibus, in pago *Vigolo Vattaro* appellato (in provincia Tridentina sito), qui tunc in dicione erat Austriaca. Postridie ortum est baptizata et anno 1874 sacro chrismate confirmata.

Cum decem esset annorum Amabili Visintainer una cum parentibus et fratribus in Brasiliam migrandum fuit (anno 1875), in hodiernam Civitatem Catharinianam, ubi Italici coloni distributi sunt et curae religiosae Italici Patres Societatis Iesu ab anno 1879 cavebant.

Nomina locorum, quae constituta sunt, eadem erant ac nationis natalis, indeque ea, in quibus Tirolis meridianae nativi sedem ac domicilium collocaverant, vocata sunt Novum Tridentum, *Vigolo,* etc.

Duodecim annos nata, Amabilis, prima Communione accepta, vitae ordinatae paroeciae interesse coepit, eique delegata est catechesis pueris tradenda aliaque iniuncta sunt munia, qualia erant aegros visitare, sacellum vici *Vigolo* emundare, in quo Visintainer habitabant.

In regione Domibus religiosis carente et in necessitate aegrotis assidendi, Amabilis, viginti quinque annos nata, consensu patris et sacerdotis Marcelli Rocchi, S. I., domum suam reliquit et una cum aequali domicilium in tugurio pagi *Vicolo* constituit, ut cancerosam desertamque mulierem curaret. Hoc factum est die 12 mensis Iulii anno 1890 ; qui dies habitus est institutionis Operis Servae Dei, quod ex Domini consilio prima Congregatio religiosa fuit in Brasilia condita.

Anno 1895, parvus ille grex, qui circum Amabilem in loco *Vigolo* coaluerat et Novum Tridentum concesserat, approbatus est ab episcopo Curitibensi eique nomen est inditum « Filiae ab Immaculata Conceptione ». Mense Decembri eodem anno vota religiosa nuncuparunt et Serva Dei nomen sumpsit Sororem Paulinam a Corde Iesu Agonizante.

Domibus Novi Tridenti et in vico *Vigolo* constitutis, anno 1908 Paulopolim se contulit, suadente et invitante P. Aloisio Maria Rossi, S. I., qui iam parochus fuerat Novi Tridenti et illo anno superior factus erat sedis Paupolitanae.

Parvo post tempore in colle *Ipiranga* dicto, apud Aedem quae iam ibi erat, iniit Opus « Sacra Familia » appellatum, ut post legitime abolitam anno 1888 servitutem, filiis eorum, qui servi fuerant, hospitium praeberetur.

Pridie quam novum Opus Paulopolim translatum est, P. Rossi, omnibus instructus facultatibus ad moderationem pertinentibus Filiarum ab Immaculata Conceptione, ordini iuridico Congregationis prospexit, celebrato mense Februario anno 1903 Capitulo, in quo Serva Dei electa est Antistita Generalis « ad vitam ».

Matris Paulinae gubernatio sex duravit annos, per quos affluentibus vocationibus aliis tribus Domibus condendis consuluit in civitate Paulopolitana.

Anno 1909 Conditrici acerbum discrimen subeundum fuit. Ortis difficultatibus ob interventum extranearum personarum, ab aliqua religiosa et ab auctoritate ecclesiastica fultarum, Mater Paulina est manere remota in Capitulo Generali, non omnino recte pertractato, mense Augusto anno 1909, agnita et servata ei appellatione ((Venerandae Matris Conditricis ».

Ab anno 1909 ad annum 1918 vixit in Domo, quam Bragantiae Paulopolitanae ipsa condiderat ; quibus novem annis, offensionibus corporalibus et mystica nocte spiritus est excruciata. P. Rossi hos iudi-

cavit annos mainfestam Dei permissionem, qua Paulina « victimam amoris et expiationis fieret » pro filiarum suarum sanctificatione.

Anno 1918 Mater Paulina est in integrum restituta, simulque eius plene comprobatis virtutibus, ad Domum Paulopolitanam Moderatricis Generalis est arcessita, ut noviciis Congregationis exemplo esset, quae ab anno 1909 denominata erat « Parvae Sorores ab Immaculata Conceptione ».

Ab anno 1918 ad annum 1938 eminuit constanti deprecatione, benigna sed gravi sororum aegrotantium cura.

Ab anno 1938 Via Crucis dolorum incepit, quorum causa diabetes fuit : amputationes continuae successerunt usque ad plenam caecitatem. Die 9 mensis Iulii anno 1942, solitam dicens precem iaculatoriam : « Fiat voluntas Dei », pie in Domino de hac vita decessit.

E processibus canonicis, qui inferius enumerabuntur et describentur, evidentissime patet Matrem Paulinam virtutes christianas praeter modum ceteris christianis et religiosis communem explicasse.

In curriculo spiritali Matris Paulinas alterum tempus vitae saecularis et alterum vitae religiosae discerni non possunt. In sacrario peculiaris familiae Tridentinae, exercitio nisae omnis formae pietatis christianae, a puellula nere didicit ut oeconomicis familiae angustiis occurreret et, quamvis parvula, laborem pernovit incredibiliter studiose aegris familiae et pagi assidendi.

In familia, parva Amabilis in consuetudinem venit laboris et deprecationis; quas virtutes cotidie provexit per tredecim lustra, quae uti advena egit in condicionibus singularium difficultatum, in terra missionis inter alienígenas et indígenas, quorum magna pars olim servi fuerant.

In deprecatione posita erat eius religio, quae ex fide constabat, spe et crescente caritate in Deum, Ignatiana nota signata « Christocentrica », quae dicitur ; labor, coniunctus eius indolis fortitudini, pertinaciae in difficultatibus, perseverantiae in animi demissionibus, constantem et consuetam intentionem corroboravit et illuminavit, qua voluit esse pro ceteris.

Vitae vicissitudines, tum ante, tum post conditas Parvas Sorores, Servam Dei adduxerunt ut in assiduam incumberet navitatem, in qua tamen semper sivit se solo Dei amore continuo et proximi duci. Haec caritas causa fuit cur sui omnino oblivisceretur pro pauperibus, humilibus, aegrotis et, annis quibus pressa est rebus adversis (1909-1918) pro conservatione et custodia naturae suae Congregationis.

Tota vita Servae Dei exsecutio fuit propositi huius potissimi : ((Solius Iesu mei sum, quem tam vehementer amo » ; « volo tua semper esse, Domine, et filiarum tuarum ultima, quae semper ultima esse vult, quo te propius semper sim, mi Iesu care ».

Huic firmae voluntati perveniendi ad sanctitatem respondit inquisitio et experientia continuae cum Deo coniunctionis, per quam est imprimis assecuta usum perpetuum deprecationis et contemplationis, sacramentorum assiduitatem, carissimas populo christiano religiones — ante omnia pietatem erga Virginem Mariam — et praecipue firmam illam consuetudinem humilitatis et oboedientiae ut Dei esset instrumentum, ad omnia sacrificia paratum, paenitentiis et expiationibus, aerumnarum acceptioni studiosae et vel laetae, maximis pro sororibus et pro personis egenis incommodis deditum.

Serva Dei iam in vita veneratione gavisa est, sed potissimum in morte et post mortem fama eius sanctitatis continenter crevit; quod quidem excellentissimam eius vitam probavit, quam egit christianas virtutes stabiliter et immutabiliter exercens.

Tribus et viginti annis post mortem, die 3 mensis Septembris anno 1965 Ordinarius Paulopolitanus, seu Sancti Pauli in Brasilia, processum iniit informativum, qui est anno 1970 conclusus.

Inquisitis antea scriptis Servae Dei tributis editoque de his Decreto die 8 mensis Iulii anno 1977, facta potestate ad novum ius transeundi, quod Litt. Apost. ((Sanctitas clarior » est editum ; die scilicet 7 mensis Ianuarii anno 1982 Congregatio pro Causis Sanctorum ((Nihil obstat » concessit pro Processu Cognitionali instruendo apud Curiam Paulopolitanam. Qui processus actus est a die 26 mensis Maii anni 1982 ad diem 21 mensis Septembris anni 1983, eiusque vim et auctoritatem eadem Congregatio agnovit Decreto diei 30 mensis Maii anno 1986.

Servatis igitur de iure servandis, deventum est ad disceptationem super virtutibus Servae Dei apud Congregationem pro Causis Sanctorum, et primum quidem, die 13 Octobris anno 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; deinde, die 15 Decembris eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Em.mo Cardinali Agnelo Rossi. Et utraque in congressione dubio num Serva Dei heroum in modum coluisset virtutes responsum est datum affirmativum.

De hisce omnibus rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, suffragia Congregationis excipiens rataque habens, iussit Decretum super Servae Dei heroicis virtutibus conscribi.

Quod cum ri,te esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Paulinae a Corde Iesu Agonizante (in saeculo: Amabilis Visintainer), Fundatricis Parvarum Sororum Immaculatae Conceptionis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 8 mensis Februarii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. 8B S.

*B Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

TARRACONEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci a Iesu Maria Ioseph (in saec.: Francisci Palau y Quer), Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Fundatoris Congregationum Sororum Carmelitarum Missionariarum Teresianarum et Sororum Carmelitarum Missionariarum

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Ortum duxit Famulus Dei in oppido *Aytona,* intra fines Illerdensis dioeceseos, die 29 mensis Decembris anno 1811. Studiis in seminario dioecesano perfectis, ut pressius Christum Dominum sequeretur, Ordinem Carmelitarum Discalceatorum ingressus, vota religiosa ordinesque minores inibi recepit. Anno autem 1835, civium seditione commota, a conventu igne incenso fugere est coactus, et montem quemdam

incolens, severiore disciplina in Deum totus intendit. De Superiorum iussu sacerdos est insequenti anno factus, einde in specu commoratus est sacraque ministeria magno animarum fructu crebro exercebat. Coactus est deinde in Gallia refugium invenire ubi, in Montibus Pyrenaeis, eremiticam vitam prosecutus est. In Hispaniam reversus, magister spiritus renuntiatus est in Seminario dioecesano Barcinonensi atque parochis ad verbum Dei praedicandum conferebat auxilium, ac praesertim cursum dominicalem catecheseos instituens, theologiam et apologeticam docebat. Bis fuit in Insulam Ebusitanam a civili auctoritate relegatus, propter maiorum hominum oppositionem adversus ((Scholam virtutis », quam Servus Dei instituerat.

Supernaturali perfusus fide, ad suprema unice intendens, caritate in Deum et proximum flagravit. Non solum in eremis vixit, sed et oppida urbesque peragrabat ut Christifideles servaret et Dei iura vindicaret. Ecclesiam Christi potissimum habuit dilectam; nulli labori pepercit, nullis renuntiavit mediis ut illam a diabolico laqueo liberaret et liberam ac speciosam Deo offerret. Pro Ecclesia vixit, carcerem et exsilia suscepit et pro Ecclesia sanguinem funedere exoptavit. Pie de vita decessit Tarracone, die 20 mensis Martii anno 1872. Eum heroicas exercuisse virtutes christianas et religiosas Ioannes Paulus II die 10 mensis Novembris anno 1986 sollemniter edixit.

Postmodum Causae actores, ut eidem Beatorum Caelitum honores legitime decernerentur, miram quandam sanationem, eodem intercedente, divinitus patratam, Apostolicae Sedis ad cognoscendum exhibuerunt. Quae sanatio contigit anno 1955 domino Leontio Godoy Méndez, viae ferratae nationalis Reipublicae Columbianae machinatori, annos quadraginta et septem nato. Qui con valuit ab « imponente ematoma sottodurale post-traumatico di vecchia data, complicato da emorragia irrefrenabile e da stato di coma profondo ».

Super eadem sanatione est, annis 1960-1961, apud Curiam archiepiscopalem Bogotensem, conditus processus ordinaria potestate atque annis 1980-1981 processus cognitionalis appellatus, de quorum auctoritate decretum est die 17 Februarii anno 1984. Consilium autem Medicum huius Congregationis pro Causis Sanctorum de eiusdem sanationis indole pro sua competentia disceptavit die 7 mensis Maii anno 1987. Hinc ad praescriptas disceptationes deventum est apud eandem Congregationem super dubio proposito *An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.* Primum quidem, die 17 mensis Novembris eodem anno 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologo-

rum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Promotore Generali Fidei ; postea, die 12 Ianuarii anni huius 1988, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi. Et in utraque congressione exposito dubio responsum est datum affirmativum.

De praemissis omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, ut Decretum rite appararetur super eadem mira sanatione iussit.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto et Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Francisci a Iesu Maria Ioseph (in saeculo: Francisci Palau y Quer), videlicet de rapida, perfecta ac stabili sanatione D.ni Leontii Qodoy Méndez ab « imponente ematoma sottodurale post-traumatico di vecchia data, complicato da emorragia irrefrenabile e da stato di coma profondo ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 8 mensis Februarii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. ©S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

BONAËREN.

Canonizationis Beatorum Rochi González de Santa Cruz, Alfonsi Rodríguez et Ioannis Del Castillo, Sacerdotum Societatis Iesus Martyrum.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo, post indultam iisdem Beatis ab Apostolica Sede venerationem, constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Protomartyrum gloriam in America Meridionali consecuti sunt Societatis Iesu sacerdotes Rochus González de Santa Cruz, in Paraquariana Republica natus, Alfonsus Rodríguez et Ioannes dei Castillo, ex Hispa-

nia oriundi. Qui enim Christi milites, mense Novembri anni 1628, veterum apostolorum facinora aemulati, atrocissima quaeque pro Iesu Christo passi sunt ipsamque cruentam vitae iacturam fecerunt, suo sanguine Evangelii veritatem obsignantes, postquam diuturnis laboribus Indos feracesque silvicolas mansuefecerunt christianisque imbuerunt moribus. Quibus tribus martyribus, Pius Papa XI, servatis de iure servandis, die 28 mensis Ianuarii a. 1934 altarium honores decrevit.

Peractis beatificationis sollemniis, christifidelium erga eosdem Christi athletas pietas magis in dies crevit gratiaeque atque favores eorundem apud Deum intercessione recepti ferebantur. Ex quibus Causae actores miram quandam selegerunt sanationem Sedique Apostolicae ad cognoscendum exhibuerunt, ut ad eorundem Beatorum Martyrum sollemnem canonizationem legitime procedi posset. Eiusmodi sanatio obtigit dominae Catharinae Stein, Brasilianae civi, quadraginta et quattuor annos natae. Ea etenim, intercedentibus beatis Rocho González eiusque duobus sociis, mense Februario anno 1940, in instanti ac perfecte stabilique modo a fístula convaluit proveniente ex praegressa ablatione seu resecatione — probabiliter imperfecte peracta — magnae strumae seu tumefactionis dexterae tyroideae, magna parte retrosternalis.

Super hac miranda sanatione est conditus, anno 1957, in ecclesiastica curia Uruguayanensi processus apostolicus, cuius iuridicam formam et vim haec pro Causis Sanctorum Congregatio, decreto die 11 mensis Novembris a. 1983, agnovit. Attentis deinde actis et probatis, Consilium Medicum eiusdem Congregationis, in coetu diei 16 Decembris a. 1987 coadunatum, censuit eandem sanationem haud posse, quoad modum, explicari medicae artis legibus. Quapropter ventum est ad theologicam de eadem sanatione disceptationem ; et quidem primum, die 26 mensis Februarii anni huius 1988, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 15 Martii mensis insequentis, in Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum Congregatione, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Bernardino Gantin. Porro, utroque in coetu, exposito dubio utrum de miraculo constet, adfirmantes omnes responderunt.

Facta demum accurata de praefatis omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II relatione per subscriptum Cardinalem Praefectum, Sanctitas Sua suffragia Congregationis excipiens rataque habens, mandavit ut Decretum super praedicta mira sanatione rite appararetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de miraculo, divinitus patrato, per intercessionem Beatorum Martyrum Rochi González et duorum Sociorum, videlicet de instantánea, perfecta stabilique sanatione dominae Catharinae Stein a fístula proveniente a praegressa oblatione, probabiliter imperfecte peracta, magnae strumae dexterae tyroideae, magna parte retrostemalis.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 Martii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. & S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VI

DERTHUSEN.

Canonizationis Beatae Mariae Rosae Molas y Vallvé, fundatricis Congregationis Sororum Dominae Nostrae a Consolatione.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Maria Rosa Molas y Vallvé, nata die 24 mensis Maii anno 1815 intra Tarraconensis archidoeceseos fines, in Hispania, Institutum condidit Sororum Dominae Nostrae a Consolatione; quod nomen erat optimae spei auspicium, sciens Dei famula opera caritatis et misericordiae, consolationem scilicet afflictorum, esse praeclarissimum christianae vitae testimonium. Pie ipsa decessit die 11 mensis Iunii anno 1876, sanctimoniae fama ornata. Servatis omnibus de iure servandis, Paulus Papa VI eam, die 8 Maii a. 1977, in Beatarum Virginum album inseruit.

Christifidelium autem in novensilem Beatam crevit in dies pietas atque per eiusdem intercessionem placuit Deo Optimo Maximo, qui

facit mirabilia solus (Ps 135, 4), beneficia, nisi forte miracula, petentibus dilargiri. Hinc actores Causae unam selegerunt sanationem, quae miraculi praeseferre notas videbatur, eamque Apostolicae Sedis iudicio proposuerunt ad eiusdem Beatae sollemnem canonizationem assequendam.

Profecto, de mira agitur sanatione pueri Villelmi Guillen Zambrano, pueri quinque annorum Venetiolani, cui, mense Septembri anno 1981, ferox piscis *(piraña),* dentibus digitum minusculum manus sinistrae corripuit, distalem abscindendo phalangem partemque mediam phalangitis, quam intermediam vocant. Porro, medicus valetudinarii loci cui nomen Caicara abscissam digiti partem modo valde imperfecto parti principali digiti coniunxit, adhortatus pueri patrem et familiares ut caelestem opem Beatae Mariae Rosae Molas y Vallvé efflagitarent. Et ecce, post octiduum, peracta coniunctio perfecta omni sub respectu evasit.

Super eadem mira sanatione instructus est canonicus processus anno 1986 apud curiam archiepiscopalem Civitatis Bolivarensis, in Venetiola, de cuius iuridica forma et vi haec pro Causis Sanctorum Congregatio die 28 mense Februario, anno 1987 constare decrevit. Eiusdem autem Congregationis Consilium Medicum, die 23 mensis Septembris a. 1987 coadunatum, unanima voce asseruit praefatam sanationem *quoad modum* praeter naturae evenisse leges.

Hinc ad theologicam disceptationem factus est gressus : die scilicet 19 Februarii anni huius 1988, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; et, die 15 subsequentis mensis Martii, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, huius Dicasterii membrorum, ponente Em.mo Cardinali Antonio Innocenti. Porro, utroque in Coetu, proposito dubio num de miraculo constaret in casu et ad effectum de quo agitur, cunctis suffragiis affirmativum responsum est datum.

Quibus de rebus facta per subscriptum Cardinalem Praefectum fideli relatione Summo Pontifici Ioanni Paulo II, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, ut super praefata sanatione Decretum rite appareretur mandavit.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Bea-

tissimus Pater edixit : *Constare de miraculo, intercedente Beata Maria Rosa Molas y Vallvê, a Deo patrato, videlicet de rapidissima, perfecta et statili sanatione pueri Villelmi Guillen Zambrano ab « amputazione traumatica al terzo medio del dito della mano sinistra ».*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 28 Martii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA

PAMPILONENSIS-TUDELENSIS

DECRETUM

quo Facultas ecclesiastica Philosophiae in Universitate Navarrensi erigitur.

Summo veritatis cultu Ecclesiam perquam connotari omnibus plane constat, ipso Divino eiusdem Conditore edicente : ((Veritas liberabit vos» *(Jo* 8, 32). Quod mirificum Christi effatum a catholicis humanarum sacrarumque scientiarum peritis assidue alitum est. His vero nostris temporibus, quodam suffusis agnosticismo, ille cultus ingentem nisum volentemque animum impellit, quo clarius veritas de mundo, de homine ac de Deo illustretur, altius perspiciendo quomodo fides et ratio in unum verum conspirent.

Quod munus studiorum Universitas Navarrensis per Litterarum ac Philosophiae Facultatem iam a sua constitutione diligenter explet.

Cum autem maxime intersit ut nostri temporis problemata, adiuvante patrimonio philosophico perenniter valido et arcta relatione cum theologia — servata semper methodo uniuscuiusque disciplinae — pertractentur, clarissimus eiusdem studiorum Universitatis Magnus

Cancellarius Apostolicam Sedem adivit exposcens ut Litterarum ac Philosophiae Facultatis sectio philosophica in Facultatem Ecclesiasticam erigeretur.

Haec Congregatio pro Institutione Catholica, attenta petitione memorati Magni Cancellarii ac re undique perpensa, commendatione Archiepiscopi Pampilonensis Tudelensisque recepta, necnon habita Conferentiae episcopalis Hispanicae sententia ad normam art. 61 Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana », auctoritate a Summo Pontifice Ioanne Paulo div. Prov. Pp. II sibi collata, Sectionem Philosophicam *Facultatis Litterarum ac Philosophiae* in eadem studiorum Universitate vigentem in *Facultatem Ecclesiasticam Philosophiae* hoc decreto erigit constituitque, potestate ipsi facta academicos gradus canonicos conferendi omnibusque ei agnitis iuribus, privilegiis, honoribus atque officiis, quibus Ecclesiasticae Facultates per orbem constitutae merito fruuntur, eidem praecipiens ut omnia compleantur quae in Codice Iuris Canonici, in Constitutione Apostolica ((Sapientia Christiana» atque annexis Ordinationibus, ceterisque Apostolicae Sedis documentis de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis, necnon in peculiaribus Statutis ab hac Congregatione approbatis; ceteris servandis de iure servandis, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die vi, mensis Iunii, anno Domini **MCMLXXXVIII.**

VILLELMUS Card. **BAUM,** *Praefectus*

F. Marchisano, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Institutione Cath. tab., n. 1102/81/11.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Visita Ufficiale :

Sabato, 18 Giugno, 1988 S. E. **CORAZÓN** C. **AQUINO**, Presidente della Repubblica delle Filippine.

Lunedì, 4 Luglio 1988, Sua Altezza E.ma Fra' **ANDREW W. N. BERTIE**, Principe e Gran Maestro del Sovrano Militare Ordine di Malta.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 13 Giugno 1988, S. E. il Signor **SELÇUK KORKUD**, Ambasciatore di Turchia presso la Santa Sede.

Martedì, 14 Giugno 1988, S. E. il Signor **JOHN K. E. BROADLEY**, Ambasciatore di Gran Bretagna presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 9 Giugno 1988, S. E. il Signor **JAIME LUSINCHI**, Presidente della Repubblica di Venezuela.

Sabato, 2 Luglio 1988, S. E. il Signor **ROLAND DUMAS**, Ministro degli Affari Esteri di Francia.

Giovedì, 7 Luglio 1988, S. E. il Signor **ROBERTO CARPIO NICOLLE**, Vice Presidente della Repubblica di Guatemala.

Il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio :

Da Venerdì 3 a Martedì 7 giugno 1988 nell'Emilia Romagna, in Italia.

Da Sabato 11 a Domenica 12 giugno 1988 a Messina e Reggio Calabria, in Italia.

Da Sabato 23 a Martedì 27 giugno 1988 in Austria.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

17 giugno 1988. S. E. mons. Luigi Accogli, Arcivescovo tit. di Treba, ***Pro-Nunzio Apostolico in Siria.***

» » » Mons. François Bacqué, elevato alla Sede titolare arcivescovile di Gradisca, ***Pro-Nunzio Apostolico in Sri Lanka.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

25 aprile 1988. I signori: Alvaro e Mercedes Gómez; José e Zelided Alma Ruiz; Juan e Elisa Várela; Matthew e Mary Varghese; Clement e Victoria Nwigwe; Georges Freni ed Hajat El-Khazen, ***Membri del Pontificio Consiglio per la Famiglia.***

4 maggio » S. E. mons. Anthony J. Bevilacqua, Arcivescovo di Philadelphia dei Latini, ***Membro Vescovo diocesano della Congregazione per le Cause dei Santi.***

» » » S. E. mons. Giovanni Battista Re, Arcivescovo tit. di Vescovio; S. E. mons. Paul Verdzekov, Arcivescovo di Bamenda; Mons. Bernard de Lanversin, Uditore della Rota Romana; i Sacerdoti: Ignacio Carrasco e Ramon Garcia de Haro; P. Augustinus Henkel-Donnermarck, O. Praem.; il Prof. Gabrio Lombardi; i Signori Giovanni e Mercedes Solinas; PAvv. Giuseppe Spinelli e l'Avv. Enrico Venanzi, ***Consultori del Pontificio Consiglio per la Famiglia.***

» » » S. E. mons. Lucas Moreira Neves. Arcivescovo di Säo Salvador da Bahia; S. E. mons. Emilio Eid, Vescovo tit, di Sarepta dei Maroniti; Mons. Winfried Aymans; Mons. Carlo Caífarra; P. Lino Ciccone, CM.; il Sac. Mervyn Fernando; Sr. Cora Gonzales, F. M. M.; P. Jésus Lopez-Gay, S.I.; Dott. Herbert Ratiier; P. Pedro Richards, CP.; Mons. Leo Scheffczyk; P. Tadeusz Styczen, S.D.S.; Mons. Dionigi Tettamanzi; D. Achille Triacca, S. D. B., ***Consultori dei Pontificio Consiglio per la Famiglia «in aliud quinquennium».***

22 » » Mons. Vincenzo Ferrara, ***Capo Ufficio nella Congregazione per i Sacramenti.***

24 maggio 1988. Il sac. Stanislaw Rylko, *Capo Ufficio nel Pontificio Consiglio per i Laici.*
25 » » P. Arturo Martin Menoyo, S. I., *Direttore Amministrativo della Radio Vaticana.*
9 giugno » I sig.ri prof.ri: Danilo Mazzoleni, Aldo Nestori, Letizia Pani Ermini, Valnea Santa Maria Scrinari, Giuseppe Zander, *Membri della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra.*
» » » I sig.ri prof.ri : Bruno Apollonj Ghetti, Carlo Pietran geli, Pasquale Testini, *Membri della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra « in aliud quinquennium ».*
15 » » I signori : Comm. Pier Paolo Marenda, Ing. Francesco La Via, Dott. Antonio Franco, Ing. Luigi Magnani, Ing. Giovanni Tecchi Cristofori Celiani, *Consultori della Prefettura per gli Affari Economici della Santa Sede « in aliud quinquennium ».*
» » » Il sig. Dott. Enrico Schiavetti, *Consultore della Prefettura per gli Affari Economici della Santa Sede.*
16 » » Mons. Mario Pavat, *Capo Ufficio nella Congregazione per i Sacramenti.*
17 » » I monsignori : Marcello Rossetti, Carmelo Nicolosi, Divo Zadi, *Capi Ufficio nella Segreteria di Stato.*
18 » » L'E.mo Signor Cardinale Jozef Glemp, Arcivescovo di Gniezno e Warszawa, *Membro della Congregazione per le Chiese Orientali « in aliud quinquennium ».*

Protonotari Apostolici soprannumerari.

5 dicembre 1987. Mons. Nicola Palmarini (Albenga-Imperia).
15 » » Mons. Herbert Mischkowsky (Görlitz).
» » Mons. Luciano Maccherini (Siena-Colle di Val d'Elsa Montalcino).
5 gennaio 1988. Mons. Giuseppe De Rosa (Napoli).
13 » Mons. Carlo Zoli (Forlì-Bertinoro).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

14 aprile 1987. Mons. Grégoire Kamugisha (Bufare).
» Mons. Frédéric Rubwejanga (Bufare).
24 » » Mons. Eteocle Vecchia (Mantova).
16 maggio » Mons. Egon Gianone (Wien).
20 giugno » Mons. Philip Stanislaus Daki (Iringa).
7 luglio » Mons. Celestino Odongo (Gulu).
22 » » Mons. Alfred Vanneste (Brugge).
3 settembre » Mons. Valentín Sánchez Merino (Badajoz)
11 » » Mons. James E. MeFadden (Phoenix).

11	settembre	1987.	Mons. John J. McMahon (Phoenix).
»	»	»	Mons. Richard W. Moyer (Phoenix).
6	ottobre	»	Mons. Domingos Gonçalo Ferrâo (Tete).
8	»	»	Mons. Lars Messerschmidt (Kobenhavn).
10	»	»	Mons. Thomas Edacherry (Eluru).
24	»	»	Mons. Michael Ryan (Ardagh).
25	»	»	Mons. Rudolf Bramerdorfer (Linz).
»	»	»	Mons. Josef Humer (Linz).
»	»	»	Mons. Johann Singer (Linz).
30	»	»	Mons. Valentinus Winardi Kartasiswaya (Semarang).
18	novembre	»	Mons. Karl Bernert (Hildesheim).
»	»	»	Mons. Enrico Rossi (Milano).
»	»	»	Mons. Nicolas Iung (Paris).
23	»	»	Mons. Elísea González Bar ja (San Juan de Cuyo).
25	»	»	Mons. José Bismarck Carballo Madrigal (Managua).
»	»	»	Mons. Francisco Eddy Montenegro Avendano (Managua)
28	»	»	Mons. Aladino De Juliis (Sulmona-Valva).
2	dicembre	»	Mons. Giovanni Scarabelli (Lucca).
»	»	»	Mons. Manuel Aguilar Vergara (Tlaxcala).
»	»	»	Mons. Epitacio Angel Cano (Tlaxcala).
»	»	»	Mons. Enrique Ruiz Delgado (Tlaxcala).
5	»	»	Mons. Theodor Kellerer (Bamberg).
»	»	»	Mons. Norbert Przibyllok (Bamberg).
»	»	»	Mons. Hans Wich (Bamberg).
»	»	»	Mons. Joseph Veliyathil (Palghat).
7	»	»	Mons. Pietro Colli (Parma).
»	»	»	Mons. Alberto Spagnoli (Parma).
22	»	»	Mons. Heinz-Joachim Justus (Osnabrück).
5	gennaio	1988.	Mons. Marcelo Bassig (Tuguegarao).
»	»	»	Mons. Vicente L. Catral (Tuguegarao).
»	»	»	Mons. Felicísimo D. Herrera (Tuguegarao).
»	»	»	Mons. Juan Quinto (Tuguegarao).
»	»	»	Mons. Cesar Tagal (Tuguegarao).
8	»	»	Mons. Salvatore Leonardi (Spoleto-Norcia).
»	»	»	Mons. Armando Petrelli (Spoleto-Norcia).
»	»	»	Mons. Agostino Rossi (Spoleto-Norcia).
14	»	»	Mons. Ferenc Harangozó (Szombathely).

Cappellani di Sua Santità:

17	marzo	1986.	Il sac. Luca Masciavè (Trani-Barletta Bisceglie).
»	»	»	Il sac. Michele Morelli (Trani-Barletta-Bisceglie).
»	»	»	Il sac. Giuseppe Nenna (Trani-Barletta-Bisceglie).
»	»	»	Il sac. Vitantonio Patruno (Trani-Barletta-Bisceglie).
»	»	»	Il sac. Fedele Ruggero Rizzi (Trani-Barletta-Bisceglie)
»	»	»	Il sac. Michele Seccia (Trani-Barletta-Bisceglie).
»	»	»	Il sac. Francesco Spinazzola (Trani-Barletta-Bisceglie).
»	»	»	Il sac. Carlo Valente (Trani-Barletta-Bisceglie).
23	febbraio	1987.	Il sac. John S. Knight (Saint Catharines).

7	marzo	1987.	II sac. Josef Ryba (Würzburg).
»	»	»	II sac. Wilhelm Zirckelbach (Würzburg).
16	maggio	»	II sac. Kurt Gröger (Wien).
»	»	»	II sac. Raphael Cukwubunna Anasiudu (Awka).
8	giugno	»	II sac. Gianni Danzi (Lugano).
10	»	»	II sac. Franz-Josef Helfmeyer (Köln).
24	»	»	II sac. Joseph Efebe (Warri).
»	»	»	II sac. Peter Jadae Nyowheoma (Warri).
18	luglio	»	II sac. José Gonzalo Jiménez Oliveros (Nueva Pamplona)
29	»	»	II sac. Wolfgang Bretschneider (Köln).
»	settembre	»	II sac. Antonio Camillo González (Santo Domingo).
8	ottobre	»	II sac. Leonhard Moll (Köln).
»	»	»	II sac. Werner Plenker (Köln).
»	»	»	II sac. Norbert Schütz (Köln).
15	»	»	II sac. Klaus Martin Becker (Köln).
»	»	»	II sac. Albert Belecke (Köln).
	»	»	II sac. Paul Gaii (Köln).
»	»	»	II sac. Wilhelm Höhner (Köln).
»	»	»	II sac. Hermann Joseph Kremer (Köln).
»	»	»	II sac. Manfred Lürken (Köln).
»	»	»	II sac. Karl Maercker (Köln).
»	»	»	II sac. Heinrich Joseph Mehren (Köln).
25	»	»	II sac. Hans Hollerweger (Linz).
»	»	»	II sac. Johann Hörmadinger (Linz).
»	»	»	II sac. Ignatius Koller (Linz).
27	»	»	II sac. Emanuele Gaggero (Genova-Bobbio).
»	»	»	II sac. Filippo Patrone (Genova-Bobbio).
6	novembre	»	II sac. Johann Aichner (Innsbruck).
»	»	»	II sac. David Knapp (Innsbruck).
»	»	»	II sac. Ludwig Penz (Innsbruck).
10	»	»	II sac. Anthony Aso (Enugu).
»	»	»	II sac. Francis Okobo (Enugu).
»	»	»	II sac. Ferdinand Okpalaibekwe (Enugu).
»	»	»	II sac. Kilian Nuss (Rottenburg-Stuttgart).
18	»	»	II sac. Karl Kollmann (Hildesheim).
»	»	»	II sac. Werner Ropohl (Hildesheim).
»	»	»	II sac. Jürgen Schwarzenburg (Hildesheim).
»	»	»	II sac. Martin Verdiesen (Hildesheim).
20	»	»	II sac. Nicola Gambino (Avellino).
»	»	»	II sac. Gaetano Iorio (Avellino).
»	»	»	II sac. Ferdinando Renzulli (Avellino).
28	»	»	U sac. José Araújo Ribeiro Gomes (Braga).
9	dicembre	»	II sac. Danilo Cari (Orvieto-Todi).
11	»	»	II sac. Damiano Marzotto Caotorta (Milano).
»	»	»	II sac. Thomas J. Herron (Philadelphia).
22	»	»	II sac. Heinrich Plock (Osnabrück).
»			II sac. Wilhelm Sanders (Osnabrück).
»	»	»	II sac. Wolfgang Stratthaus (Osnabrück).
2	gennaio	1988.	II sac. Iohannes Gödeke (Aachen).

2 gennaio 1988. Il sac. Mario de Hoyos González (Madrid).
» » » Il sac. Kazimierz Krzyzaniak (Warmia).
» » » Il sac. Boleslaw Petlicki (Warmia).
» » » Il sac. Wladyslaw Strycharz (Warmia).
8 » » Il sac. Stefan Grajewski (Lomza).
» » » Il sac. Luciano Bocci (Spoleto-Norcia).
» » » Il sac. Gino Reali (Spoleto-Norcia).
13 » » Il sac. Isaac González Lezcano (Oaacupé).
21 » » Il sac. Boleslaw Bielicki (Chelmno).
» » » Il sac. Henryk Cyrzan (Chelmno).
» » » Il sac. Franciszek Draczkowski (Chelmno)
» » » Il sac. Stanislaw Kardasz (Chelmno).
» » » Il sac. Alfons Kowalewski (Chelmno).
» » » Il sac. Józef Solobodowski (Chelmno).
» » » Il sac. Józef Wilczewski (Chelmno).
2 febbraio » Il sac. Ettore Sozzi (Forlì-Bertinoro).
10 marzo 1988. Il sac. Salvatore Lo Piccolo (Roma).

Gentiluomini di Sua Santità:

19 dicembre 1987. Il sig. Giovambattista Santucci (L'Aquila).
» » » Il sig. Mariano Ugo Windisch-Graetz (Roma)
» » » Il sig. Umberto De Angelis (Roma).
» » » Il sig. Jaime de Ferra y Gisbert (Mallorca).

Addetto di Anticamera:

19 dicembre 1987. Il sig. Alberto Palattella (Roma).

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito :

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

22 ottobre 1987. A S. E. il sig. Daluwatumulle Gamage Bandusena de Silva *(Sri Lanka).*
» » » A S. E. il sig. Samuel Jonathan Okikiola Sarr *(Gambie).*
» » » A S. E. il sig. Reinaldo Leandro Rodríguez *(Venezuela).*
» » » A S. E. il sig. Alexandre Paternotte de La Vaillée *(Belgique).*
» » » A S. E. il sig. Saliou Aboudou *(Benin).*
» » » A S. E. il sig. Edwin Morvan Ihama *(Nigeria).*
» » » A S. E. il sig. Saidulla Khan Dehlavi *(Pakistan).*
» » » A S. E. il sig. Dhurma Gian Nath *(Mauritius).*
» » » A S. E. il sig. Bertrand Dufourcq *(France).*
» » » A S. E. il sig. Gazi Chidiac *(Liban).*

22 ottobre 1987. A S. E. il sig. Jean Melaga *(Cameroun).*
30 » » A S. E. il sig. Joung Hoon Kang *(Corée).*
15 dicembre » A S. E. il sig. Sono Uchida *(Japon).*
15 marzo 1988. A S. E. il sig. Andrea Cagiati *(Italia).*

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

24 luglio 1987. Al sig. José Luis de Aguilar *(Espagne).*
28 » » Al sig. Sidky Mohamed Abdel Ghany *(République Arabe d'Egypte).*

La Cran Croce dell'Ordine di san Gregorio Magno:

28 luglio 1987. Al sig. Amleto Cicchetti (Rieti).
13 marzo 1988. A S. E. il sig. Dino Marrajeni *(Ordine di Malta).*

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

30 » » Al sig. Giuseppe Giuliano (Tivoli).
11 giugno » Al sig. Joseph Houthuys (Mechelen-Brüssel).
28 agosto » Al sig. Alejandro Izaguirre Angeli (Caracas).
» » » Al sig. Simón Luis Tagliaferro De Lima (Caracas).
24 ottobre » Al sig. Emanuel Pischel (Osnabrück).
26 novembre » Al sig. Alberico Vitalini (Roma).
22 dicembre » Al sig. Alessio Scirè (Bergamo).

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

6 ottobre 1986. Al sig. Karl Hugo Breuer (Köln).
14 aprile 1987. Al sig. Fortebraccio Pietrangeli (Roma).
» » » Al sig. Giulio Rinaldi (Roma).
22 » » Al sig. Harro Piazolo (Rottenburg-Stuttgart).
5 giugno Al sig. Pablo Antonio Guarda (Managua).
10 » » Al sig. Wolfgang Kluxen (Köln).
» luglio » Al sig. Elleno Cuberli (Adria-Rovigo).
» » » Al sig. Flaminio Ennio (Adria-Rovigo).
» » » Al sig. Adriano Mazzetti (Adria-Rovigo).
» » » Al sig. Leobaldo Traniello (Adria-Rovigo).
22 » » Al sig. Ciro Andreozzi (Aversa).
23 » » Al sig. Antonio Susowsky (Trieste).
24 » » Al sig. José Antonio Noriega Hernández *(Cuba).*
29 » » Al sig. Heinrich Schreiner (Mainz).
28 agosto » Al sig. Louis J. Nigro *(Stati Uniti d'America).*
3 settembre » Al sig. Francesco Sisinni (Roma).
22 » » Al sig. Neven Kokié *(Jugoslavia).*
» » » Al sig. Mario An Duk-Su (Jeon Ju).
» » » Al sig. Simon Chae Su-Hyon (Jeon Ju).
6 ottobre » Al sig. Andrew Kamel (Lokoja).
» » » Al sig. Enrico De Angelis (Milano).

6	ottobre	1987.	Al sig. Carlo Merisi (Milano).
»	»	»	Al sig. Giovanni Morganti (Milano).
8	»	»	Al sig. Alvaro Silvj (Frascati).
10	»	»	Al sig. Silvio Buzzi (Udine).
27	»	»	Al sig. Bernard McBride (Sydney).
5	novembre	»	Al sig. Dante Biliotti (Ravenna-Cervia).
13	»	»	Al sig. Theodoras Karamouratoglon *(Turchia).*
»	»	»	Al sig. Vassilios Stavridis *(Turchia).*
18	»	»	Al sig. Herbert Kocian (Wien).
20	»	»	Al sig. Giuseppe Luce (Genova-Bobbio).
25	»	»	Al sig. Guillermo Borja Enriquez (Quito).
28	»	»	Al sig. Basile Rabbath (Antiochia dei Siri).
5	dicembre	»	Al sig. Marco Viara (Albenga-Imperia).
11	»	»	Al sig. Giorgio Giurco (Victoria).
18	»	»	Al sig. Charles Ornano (Ajaccio).
21	gennaio	1988.	Al sig. Konrad Górski (Chelmno).
15	febbraio	»	Al sig. Lelio Scaletti (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

30	marzo	1987.	Al sig. Flaminio Alineri (Tivoli).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Alineri (Tivoli).
9	maggio	»	Al sig. Emiel Adriaan Antoon Luijten (Roermond).
»	»	»	Al sig. Andreas Augustinus Oomen (Roermond).
10	giugno	»	Al sig. Karlheinrich Hodes (Köln).
30	»	»	Al sig. Jacques le Boulleur de Courlon (Paris).
2	luglio	»	Al sig. Angelo Ruspantini (Viterbo).
4	»	»	Al sig. Lucien Régnier (Blois).
10	»	»	Al sig. Francesco Doati (Adria-Rovigo).
»	»	»	Al sig. Carlo Gasperotto (Adria-Rovigo).
»	»	»	Al sig. Giovanni Pavarin (Adria-Rovigo).
»	»	»	Al sig. Mario Polli (Adria-Rovigo).
12	»	»	Al sig. Raymond Alexandre Tabbah (Alessandria di Egitto).
20	agosto	»	Al sig. Lucien Ciabrini (Saint-Claude).
24	»	»	Al sig. John Kwaku Osei Wusu (Kumasi).
19	settembre	»	Al sig. Bruno Schwalbach (Freiburg im Breisgau).
22	»	»	Al sig. Bruno Carraro (Padova).
»	»	»	Al sig. Mauro di Ubaldo (Asti).
»	»	»	Al sig. James Cho Song-Ho (Jeon Ju).
»	»	»	Al sig. Paul Han Sang-Gap (Jeon Ju).
2	ottobre	»	Al sig. Daniel Crong Se-Ho (Kwang Ju).
»	»	»	Al sig. Augustine Mo Hi-Chun (Kwang Ju).
»	»	»	Al sig. James Son Yong-Hae (Kwang Ju).
»	»	»	Al sig. John Yu Pal-Dong (Kwang Ju).
6	»	»	Al sig. Michele Del Vecchio (Milano).
»	»	»	Al sig. Gerardo Prini (Milano).
8	»	»	Al sig. Henry Paul Nelson (Accra).
»	»		Al sig. Edmund Samuel (Sekondi-Takoradi).

21	ottobre	1987	Al sig. William Grant Quirk (Ohristchurch).
24	»	»	Al sig. Luigi Papa (Roma).
30	»	»	Al sig. Enda Mulvey (Dublin).
18	novembre	»	Al sig. Heinrich Havermann (Köln).
28	»	»	Al sig. Habib Giarwé (Antiochia dei Siri).
5	dicembre	»	Al sig. Nicola Praticò (Bari-Bitonto).
»	»	»	Al sig. Paul Röhner (Bamberg).
11	»	»	Al sig. Philippe Chouet (Paris).
14	»	»	Al sig. Pier Giovanni Tanzi (Parma).
22	»	»	Al sig. Roger Malherbe Navarre (Tarbes et Lourdes).
13	gennaio	1988.	Al sig. Pasquale Antonio Andreotti (Salerno).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Di Marco (Roma).

NECROLOGIO

5	giugno	1988.	Mons. Brian P. Ashby, Vescovo emerito di Ohristchurch *(Nuova Zelandia).*
»	»	»	Mons. Augustine Jae Deok, Vescovo emerito di Jeon Ju *(Corea).*
8	»	»	Mons. Philippe Nguyên Kim Diên, Arcivescovo di Huê *(Viêt Nam).*
9	»	»	Mons. Hugo Bressane de Araújo, Arcivescovo-Vescovo emerito di Marilia *(Brasile).*
19	»	»	Mons. Carlos Alberto Nicolini, coadiutore di Salto *(Uruguay).*
»	»	»	Mons, Owen McCoy, Vescovo emerito di Oyo *(Nigeria).*
23	»	»	Mons. José J. Gonçalves, Vescovo emerito di Cornelio Procópio *(Brasile).*
26	»	»	Mons. Alejandro Mestre Descals, Coadiutore di La Paz *(Bolivia).*
1	luglio	»	Mons. Maurice Baudoux, Arcivescovo emerito di Saint-Boniface *(Canada).*
»	»	»	Card. Hermann Volk, del Titolo dei Ss. Fabiano e Venanzio a Villa Fiorelli.
5	»	»	Mons. Eugène Mallat, Vescovo emerito di N'Zérékoré *(Guinea).*

AJÍ. **et rol. LXXX** **22 Augusti 1988** **N.** 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

SACRA CONSISTORIA

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria tertia, die xxvin mensis Iunii, anno **MCMLXXXVIII**, mane, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium secretum,* cuius acta ex ordine referuntur :

I - SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO
ET NOVORUM S.R.E. CARDINALIUM CREATIO

Precatione « Adsumus » recitata, ad S. R. E. Patres Cardinales Ss.mus D.nus Ioannes Paulus II hanc allocutionem habuit :

Venerabiles ac dilecti Fratres, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales,

Tres iam celeriter obierunt anni, ex quo tempore in simile Nos consistorium secretum congressi pertractavimus novorum in Ecclesia Patrum Cardinalium nominationem publicamque creationem. Itaque hodie, auspice iam et adiuvante ipsa sanctissima Iesu Christi Matre Maria cuius Marialem Annum Ecclesia per terrarum orbem feliciter omnino ac prospere celebrat, iterum ad idem pergrave agendum negotium convenimus non facili quidem nec tranquillo sane tempore communitatis ecclesialis.

Dum vero illos cogitamus laeti Fratres Nostros, qui mox Collegium Cardinalium ingredientur, non possumus non si-

mul etiam constituere ante oculos apostolos maximos Petrum et Paulum, quorum cras sollemnitatem communi ritu concelebrabimus omnes, et ab iis precibus petere libenterque accipere vehemens quoddam incitamentum ad fidelitatem nostram testificandam et corroborandam erga Christi Evangelium, erga Romanam Petri cathedram, erga solidum Ecclesiae universalis magisterium.

Qui brevi creabuntur Patres Cardinales novis quidem ac firmioribus vinculis coniungentur tum cum Petri Successore tum cum tota communione christifidelium per terras. Nam una cum Romano Pontifice oportebit illos propria auctoritate ponderare atque investigare causas et res et rationes quae universae regimen Ecclesiae afficiunt. Quo in munere exempla efficacissima praebebunt iis apostoli Petrus et Paulus qui Christum vocantem sunt secuti non semet ipsos, qui primum Concilium Ecclesiae, Hierosolymitanum nempe, denique sunt complexi et non sine humana aliqua difficultate exsecuti, qui omnem vitam suam ad sanguinis usque effusionem impenderunt operi praestantissimo plane docendi sanctificandi regendi credentes Christique assectatores ad fidei totam consolationem portumque salutis intra certos clarosque Ecclesiae fines et communitatis catholicae terminos.

Eidem pariter Cardinales imitabuntur apostolos Petrum et Paulum, quorum alii videlicet Romae permanentes hinc servient omnibus catholicis fidelibus per nationes dispersis, alii quisque suum inter gregem uti Ordinarii curabunt ecclesias particulares ex Christi Domini voluntate et in Principum Apostolorum diligenti observatione. Alii eorum redibunt ferventes novo fidei studio novoque fidelitatis cum proposito ad urbes et sedes nomine et antiquitate praeclaras; alii eorum secum deportabunt nunc primo suas ad communitates dignitatem cardinalitii nominis. At omnes cum Pastore Romano cohaerentes inter seque consentientes et cum reliquis episcopis Evangelium praedicare opportune et importune in ipsius

Ecclesiae quoque gloriam ac prosperitatem studebunt ac pergent.

Hoc etiam in sollemni prorsus eventu Ecclesiae perplacet Nobis coram vobis, Venerandi Fratres hic in consistorio congregati, nomen Nostrum rite subsignare Constitutioni Apostolicae cui titulus « Pastor Bonus », qua scilicet efficere voluimus ut Curia Romana — instrumentum nempe ministerii apostolici Nostri pernecessarium — magis ac magis respondeat congruatque prospectui ipsi ecclesiologico Concilii Vaticani Secundi et sua simul proposita pastoralia certius consequatur. Ad hanc vero reformationem attulit sane plurimum collegialis affectus sapiensque consilium Patrum Cardinalium, qui sive collegialiter in tribus consistoriis generalibus sive singillatim contulerunt partes suas huc summi quidem pretii ac momenti, necnon adiumentum Episcoporum qui per Praesides propriorum coetuum consulti sunt hac de re adhibentes interea operam hominum peritorum. Sic profecto perficimus Nos illam Ecclesiae legum renovationem quae per evulgatum novum Codicem Iuris Canonici inducta est quaeque in eo pariter est posita ut ad effectum deducatur in recognoscendo ipso Codice Iuris Canonici Orientalis. Vobiscum propterea gratiam agimus Deo Beatissimaeque Virgini Mariae necnon Sanctis Apostolis Petro et Paulo de laetificis his eventibus hodiernis in vita universalis Ecclesiae.

Attamen maerore Nos maximo afficit notitia illa vobis et omnibus notissima: aliquem nempe ex fratribus nostris in episcopatu post plures iam annos, quibus debitam denegaverat Sanctae Sedi oboedientiam ipsaque poena suspensionis adflictus iam conciliationem quaerere videbatur, mox ad ordinationes episcopales sine mandato apostolico processurum sicque unitatem Ecclesiae rupturum asseclas suos haud paucos in schismatis discrimen trahentem. Quoniam hoc tempore ipso voluntas ac propositum eiusdem fratris nostri revocari iam non posse videntur, nihil aliud facere valemus nisi bonitatem Salvatoris

nostri imploramus ut eos illuminet qui, affirmantes se veram fidei traditionem defendere debere contra illius deformationes, communionem cum Petri Successore deserunt ac parati sunt ad sese separandos ab unitate gregis Christi Petro Apostolo commissi. Exoramus ex animo eos et cohortamur ut in domo paterna maneant utque videant omnem veritatem fidei et omnem rectam vivendi rationem in Ecclesia locum invenire nihilque in ea foveri quod fidei manifesto adversetur. Multae mansiones etiam in hac terrena domo Dei sunt quae Ecclesia Christi in hoc mundo est. Speramus profecto vehementer fore ut hoc vertente Mariali anno precibus ipsius beatissimae Virginis Deus omnipotens, cuius bonitas finem non novit, vias nobis illustret quibus mala maiora vitari et unitas renovata reperiri denuo possint.

Sed praedictis his ex officio omnibus placet iam sine mora singulos eos excellentes ministros fidelesque nominare pastores quos visum rite est in Cardinalium album honorifice referre.

Proh dolor! uti omnes iam vos magna cum tristitia cognovistis, Dominus Deus, arcano quodam suae providentiae consilio, ad se interea revocavit egregium virum -theologumque probatum, Ioannem Ursum von Balthasar, quem adeo libenter hodie inter Cardinales adnumeratum vidissemus Nostraque gratulatione et existimationis signis cumulavissemus. Morte igitur inexspectata a Nobis ereptum commendemus ipsum Redemptoris miserentis benignitati ut pro meritis eius terrestribus, pro diuturno studiorum sacrorum ac magisterii curriculo, pro ipsa hac cardinalatus dignitate amissa retribuat ei meliora quidem, uberiora et certiora Regni caelestis praemia.

Nunc tamen iam plurimum iuvat Cardinales appellare:

EDUARDUM MARTÍNEZ SOMALO, Archiepiscopum titulo Thagorensem;

ACHILLEM SILVESTRINI, Archiepiscopum titulo Novalicianensem;

ANGELUM FELICI, Archiepiscopum titulo Caesarianensem ac Nuntium Apostolicum in Gallia;

PAULUM GRÉGOIRE, Archiepiscopum Metropolitam Marianopolitanum;

ANTONIUM PADIYARA, Archiepiscopum Metropolitam Ernakulamensem;

IOSEPHUM FREIRÉ FALCÂO, Archiepiscopum Metropolitam Brasiliapolitanum ;

MICHAELEM GIORDANO, Archiepiscopum Metropolitam Neapolitanum ;

ALEXANDRUM IOSEPHUM MARIAM DOS SANTOS, Archiepiscopum Metropolitam Maputensem.

IOANNEM CANESTRI, Archiepiscopum Metropolitam Ianuensem-Bobiensem ;

ANTONIUM MARIAM JAVIERRE ORTAS, Archiepiscopum titulo Metensem ;

SIMONEM IGNATIUM PIMENTA, Archiepiscopum Metropolitam Bombayensem ;

MARIUM REVOLLO BRAVO, Archiepiscopum Metropolitam Bogotensem ;

EDUARDUM BEDAM CLANCY, Archiepiscopum Metropolitam Sydneyensem ;

LUCAM MOREIRA NEVES, Archiepiscopum Metropolitam Sancti Salvatoris in Brasilia;

IACOBUM ALOISIUM IIICKEY, Archiepiscopum Metropolitam Vashingtonensem ;

EDMUNDUM CASIMIRUM SZOKA, Archiepiscopum Metropolitam Detroitensem;

LADISIAUM PASKAI, Archiepiscopum Metropolitam Strigoniensem ;

CHRISTIANUM WIYGHAN TUMI, Archiepiscopum Metropolitam Garuensem;

IOANNEM HERMANNO GROËR, Archiepiscopum Metropolitam Viennensem;

IACOBUM MARTIN, Archiepiscopum titulo Neapolitanum in Palaestina, Praefectum emeritum Pontificalis Domus;

FRANCISCUM HENGSBACH, Episcopum Essendiensem;

VINCENTIUM SLADKEVICIUS, Episcopum titulo Aborensem, Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » Kaisiadorensem;

IOANNEM MARGÉOT, Episcopum Portus Ludovici;

IOANNEM BAPTISTAM WU CHENG-CHUNG, Episcopum Sciiamchiamensem.

Auctoritate propterea Omnipotentis Dei et sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli necnon Nostra creamus sollemniterque renuntiamus Cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae singulos ipsos quorum nunc modo protulimus nomina. Ex quibus praeterea ad Ordinem Cardinalium Diaconorum pertinebunt:

EDUARDUS MARTÍNEZ SOMALO;

ACHILLES SILVESTRINI;

ANGELUS FELICI;

ANTONIUS MARIA JAVIERRE ORTAS;

IACOBUS MARTIN.

Reliquos vero omnes ad Ordinem pertinere volumus Presbyterorum. Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

II - LEX QUAEDAM IN CONSISTORIO SANCITUR

Dein Beatissimus Pater Constitutionem Apostolicam *Pastor bonus* de Romana Curia manu propria subsignavit et publici iuris fieri iussit, Ss.mi ad latera stantibus Sebastiano Baggio, Subdecano Romanaeque Ecclesiae Camerario et Augustino Casaroli, Status Secretario.

Quo facto, eidem Augustino Portuen. nominationis scripta documenta Summus Pontifex tradidit, ut singulis creatis et renuntians S.R.E. Cardinalibus, qui in Aula Paulina ante convenerant, afferret.

CONSISTORIUM UNICUM

I - IMPOSITIO BIRETI ATQUE TITULORUM ET DIACONIARUM COLLATIO

Consistorio secreto absoluto, Ss.mus D.nus noster, una cum Patribus Cardinalibus, Aulam Paulinam petiit, in qua antea convenerant novensiles S. R. E. Cardinales, Legati extraordinarii et Oratores, Episcopi et Romanae Curiae Praelati quibus solet intimari, frequentissimusque e variis nationibus populus, ut rubrum Biretum, seu proprium acceptae dignitatis ornamentum, singulis imponeret creatis Cardinalibus iisdemque titulum vel diaconiam in Urbe assignaret per Apostolicas sub plumbo simul delatas Litteras, de re fidem facientes.

Liturgia verbi expleta, Summus Pontifex, post audita verba a rev.mo d.no Eduardo Martínez Somalo, ex noviter creatis primo, banc allocutionem habuit :

Venerati e Cari Fratelli!

1. Parla a noi Pietro — il primo fra i presbiteri, e testimone delle sofferenze di Cristo.

Parla a noi qui riuniti nell'odierno Concistoro.

Le sue parole sono piene della sollecitudine pastorale per l'ovile, che lo Spirito Santo gli ha affidato — a Gerusalemme, ad Antiochia, e qui a Roma, nella capitale del mondo di allora.

Parla ai co-anziani, dividendo con loro la stessa sollecitudine pastorale, che anche a loro è stata partecipata.

Le parole di Pietro non cessano di essere un programma per le generazioni sempre nuove dei pastori della Chiesa.

L'Apostolo dice : compite il vostro ministero pastorale « volentieri », diventando « modelli » vivi per coloro che Cristo vi ha affidato. « Umiliatevi dunque sotto la potente mano di Dio, ... gettando in lui ogni vostra preoccupazione ... Siate temperanti, vigilate ».*

Ecco le parole-chiave nella lettera dell'Apostolo Pietro.

2. Compiere il ministero pastorale — qui a Roma, in questa Sede dove fu Pietro, primo testimone della Croce e della

[1] *1 Pt* 5, 6-7.

Risurrezione di Cristo, e, con Pietro, anche Paolo. Insieme essi costituiscono il duplice fondamento di tutta la Chiesa.

Compiere il ministero pastorale sul luogo di una tale eredità, è la grande sollecitudine ed al tempo stesso la responsabilità, che l'uomo può sostenere solamente « mentre una preghiera saliva incessantemente a Dio dalla Chiesa per lui ».[2]

La solennità di oggi porta in sé un ardente invito a tale preghiera, a tale « sentire cum Ecclesia » — perché il Successore indegno dei Vescovi di Roma sulla Sede di Pietro, ed insieme con lui tutta la Chiesa, « canti senza fine le grazie del Signore » — come ci esorta a fare l'odierno Salmo responsoriale.[3]

3. Oggi il collegio dei Cardinali, legati a questa Sede romana, si è ingrandito con l'aggregazione di nuovi membri.

Avrebbe dovuto essere associato in questo giorno al Collegio cardinalizio anche Hans Urs von Balthasar. Nel momento in cui egli avrebbe potuto raccogliere con l'elevazione alla porpora un meritato premio terreno per il ministero ecclesiale svolto nelle scienze sacre, il Signore lo ha chiamato ad una diversa esaltazione, quella della vita eterna. Questa speranza della sua gloria nel cielo conforta la tristezza di non averlo oggi qui, associato agli altri nuovi Cardinali.

Vi sono, tra essi, Vescovi che hanno speso le loro energie a diretto servizio della Sede Apostolica; Pastori di Chiese antiche e recenti nelle varie parti del mondo; persone impegnate da lunghi anni nello studio e nella difesa della dottrina della Chiesa; Padri di Comunità cristiane in difficoltà o perseguitate.

Nel Collegio dei Cardinali si riflette ora in modo più ricco il mistero del Popolo di Dio peregrinante nel mondo. È un Popolo raccolto da tutto il mondo, comprendente uomini di

[2] *At* 12, 5.
[3] *Sal* 88 [89], 1,

ogni razza e di ogni cultura, aperto ad ogni apporto che sia autenticamente umano.

4. In pari tempo è necessario riferire questa varietà e molteplicità del Collegio Cardinalizio alla radice comune, costituita dall'unità della sede episcopale romana.

I Cardinali appartengono per uno speciale titolo al clero di Roma. Tale.vincolo con la Città e la diocesi del Papa si rende ancor oggi manifesto mediante l'assegnazione a ciascun Cardinale del titolo di una chiesa in questa Città o di una diocesi suburbicaria. Secondo l'antichissima tradizione, come è noto, gli elettori del Vescovo di Roma erano i membri del presbiterio della Città. L'assegnazione ad ogni Cardinale di una chiesa dell'Urbe ricorda e mantiene ancor oggi il significato della consuetudine antica: i Cardinali diventano così elettori del Vescovo di Roma, del Successore di Pietro, e suoi consiglieri e cooperatori nel governo della Chiesa universale.

La Chiesa manifesta così anche nel Collegio cardinalizio la sua natura. Come famiglia di Dio, la Chiesa è protesa verso tutti gli uomini, raccoglie di mezzo a tutte le stirpi cittadini per il Regno e li unisce nel vincolo dell'unica fede e carità, per la comunione con il fondamento e principio visibile dell'unità, il ministero di Pietro.

5. La tradizione dei primi secoli in diverso modo ha messo in evidenza il significato della Sede romana, legata all'eredità apostolica di Pietro e Paolo: essa presiede nella carità alla Chiesa universale e, al tempo stesso, è ad essa unita nel vincolo della stessa missione.[4]

« Servo dei Servi di Dio », amava qualificarsi Gregorio Magno, e questa espressione della consapevolezza della missione del Vescovo di Roma sembra adeguatamente riflettere

[4] Cf. *Lumen gentium,* 13.

il principio evangelico: « Chi vorrà diventare primo tra voi, si farà vostro servo».[5]

Il cardinalato è anch'esso segno di una particolare partecipazione a questo servizio della Sede romana e del suo Vescovo. Ciò trova espressione dappertutto, in tutte le sedi episcopali del mondo, dove i Pastori sono Cardinali, e nella stessa Roma — per i Cardinali impegnati nelle molteplici attività che la Sede Apostolica svolge per il bene di tutta la Chiesa.

6. Oggi viene promulgato il documento « Pastor Bonus », che descrive in modo nuovo i compiti della Curia Romana già definiti antecedentemente, in accordo con le decisioni del Concilio, nella Costituzione « Regimini », promulgata da Paolo VI nell'anno 1967.

La nuova normativa, già prevista dal mio Predecessore, corrisponde alla promulgazione del Codice di Diritto Canonico. Essa è pure conseguenza di una lunga consultazione, alla quale hanno partecipato il Collegio dei Cardinali, le Conferenze dei Vescovi, per il tramite dei loro Presidenti, e, ovviamente, i Dicasteri interessati della Curia Romana.

Nel redigere il documento ho voluto anzitutto che l'immagine della Curia corrispondesse alle esigenze del nostro tempo, ben considerando i cambiamenti avvenuti in questi ultimi anni.

In secondo luogo, occorreva adeguare l'ordinamento della Curia ai nuovi Codici di Diritto Canonico Occidentale ed Orientale.

E stato delineato con maggiore logicità l'ambito delle competenze dei singoli Dicasteri, per renderli più idonei al conseguimento delle loro finalità, tenendo soprattutto conto dell'attività e della figura giuridica degli organismi « post-conciliari » della Curia, nella luce del loro scopo precipuo, che è

[5] Cf. *Mt* 20, 26.

quello di promuovere nella Chiesa particolari attività pastorali e lo studio dei relativi problemi.

In tutto ciò mi è parso necessario proporre nuove e permanenti strutture per l'affiatamento e la collaborazione tra tutti i Dicasteri.

((In una parola, la mia preoccupazione è stata quella di andare risolutamente avanti affinché la conformazione e l'attività della Curia corrispondano sempre più alla ecclesiologia del Concilio Vaticano II, siano sempre più chiaramente idonee al conseguimento dei fini pastorali della conformazione della Curia, e vengano incontro in forma sempre più concreta alle necessità della società ecclesiale e civile».[6]

7. La creazione di nuovi Cardinali ci riporta con la memoria alla singolare tradizione del martirio nella Chiesa: « usque ad effusionem sanguinis ».

Occorre dunque che risuonino con un'eco adeguata nella nostra assemblea quelle parole che abbiamo sentito nel Vangelo di oggi :

« Ecco : io vi mando come pecore in mezzo ai lupi... E non abbiate paura di quelli che uccidono il corpo, ma non hanno potere di uccidere l'anima; temete piuttosto colui che ha il potere di far perire e l'anima e il corpo nella Geenna ...

Chi dunque mi riconoscerà davanti agli uomini, anch'io lo riconoscerò davanti al Padre mio che è nei cieli ».[7]

In queste parole di Cristo viene racchiuso l'invito al timore di Dio, e, in pari tempo, alla fortezza che soltanto il timore di Dio può infondere nell'uomo.

8. Cari e Venerati Fratelli!

Siamo chiamati ad una particolare testimonianza, a confessare Cristo in modo singolare dinanzi agli uomini : « Quello

[6] Const. Apost. *Pastor bonus,* 13. *AAS* 70 (1988), p. 841 sq.

[7] *Mt* 10, 16 ss.

che vi dico nelle tenebre, ditelo nella luce, e quello che ascoltate all'orecchio, predicatelo sui tetti».[8]

Siamo chiamati ad attuare questa « potenza nella fede », grazie alla quale sappiamo opporci alle varie forze e potenze di questa terra — e soprattutto a colui, che è il « Principe di questo mondo », il « Padre della menzogna », che « va in giro come un leone cercando chi divorare », secondo le parole dell'Apostolo.[9]

9. Occorre che noi siamo forti con la fede di Maria, umile serva del Signore.

In questo Anno Mariano la Chiesa pellegrina nel mondo per testimoniare la fede, sente vicina a sé, in modo particolare, la Madre di Dio nella quale vede il proprio modello nell'ordine della fede, della carità, della perfetta unione con Cristo.[10] In questo Anno Mariano la Chiesa apprende da Maria con maggiore chiarezza ed affetto la dimensione materna della propria vocazione, « perché, come Maria è al servizio del mistero dell'incarnazione, così la Chiesa rimane al servizio del mistero dell'adozione a figli mediante la grazia ».[11] In questo Anno Mariano la Chiesa si sente particolarmente impegnata sotto la pressione di tanti problemi sociali e culturali della nostra epoca, a custodire la fede ricevuta da Cristo, sull'esempio di Maria, che serbava e meditava nel suo cuore tutto ciò che riguardava il suo Figlio divino.[12]

Proprio Lei — insieme con tutta la Chiesa — magnifica Dio e proclama la sua misericordia, di generazione in generazione.

Lei prima « testimone delle sofferenze di Cristo »[13] —ed anche prima partecipe di quella gloria che per opera di Cristo « si manifesterà in noi ».

[8] *Ibid.* 10, 27.

[9] *1 Pt* 5, 8.

[10] Cf. *Lumen gentium,* 63.

[11] Lett. Enc. *Redemptoris Mater,* 43.

[12] *Ibid.*

Perseveriamo nella filiale unione con Lei perché Dio — che ci ha chiamati alla sua eterna gloria in Cristo — sia in tutto ciò magnificato.

A lui lode e gloria nei secoli.

Deinde, professione catholicae Fidei prolata et beato Petro ac domino Papae sacramento dicto, novensiles Cardinales ad Ss.mum accesserunt, qui singulis Biretum imposuit et de more assignavit :

EDUARDO MARTÍNEZ SOMALO, *diaconiam Ss.mi Nominis Iesu;*

ACHILLI SILVESTRINI, *diaconiam S. Benedicti extra Portam S. Pauli;**

ANGELO FELICI, *diaconiam Ss. Blasii et Caroli ad Catinarios;*

PAULO GRÉGOIRE, *titulum Dominae Nostrae a Ss.mo Sacramento et Sanctorum Martyrum Canadensium;*

ANTONIO PADIYARA, *titulum S. Mariae Reginae Pacis in monte Viride;*

IOSEPHO FREIRÉ FALCÄO, *titulum S. Lucae ad viam Praenestinam;*

MICHAELI GIORDANO, *titulum S. loachimi;*

ALEXANDRO IOSEPHO MARIAE DOS SANTOS, *titulum S. Frumentii ad Prata fiscalia;**

IOANNI CANESTRI, *titulum S. Andreae Apostoli de Valle;*

ANTONIO MARIAE JAVIERRE ORTAS, *diaconiam S. Mariae Liberatricis ad collem Testaceum;*

SIMONI IGNATIO PIMENTA, *titulum S. Mariae Reginae Mundi in loco « Torre Spaccata » ; **

MARIO PEVOLLO BRAVO, *titulum S. Bartholomaei in Insula;*

EDUARDO BEDAE CLANCY, *titulum S. Mariae in Vallicella;*

LUCAE MOREIRA NEVES, *titulum Ss. Bonifacii et Alexii;* ,

IACOBO ALOISIO HICKEY, *titulum S. Mariae Redemptoris Matris ad Turrim Bellamonicam;**

EDMUNDO CASIMIRO SZOKA, *titulum Ss. Andreae et Gregorii ad Clivum S cauri;*

In actu Consistorii ad hanc dignitatem evectum vel evectam.

LADISLAO PASKAI, *titulum S. Theresiae Virginis;*

CHRISTIANO WIYGHAN TUMI, *titulum Ss. Martyrum Ugandensium ;*

IOANNI HERMANNO GROËR, *titulum Ss. Ioachimi et Annae in regione Tusculanae*

IACOBO MARTIN, *diaconiam S. Cordis Christi Regis;*

FRANCISCO HENGSBACH, *titulum S. Mariae de Guadalupe in Monte Malo;*

VINCENTIO SLADKEVICIUS, *titulum Spiritus Sancti ad Ferratellam ;*

IOANNI MARGÉOT, *titulum S. Gabrielis Archangeli ad Aquam Transversam;*

IOANNI BAPTISTAE WU CHEN-CHUNG, *titulum Beatae Virginis de Monte Carmelo in Mostacciano;**

II - TRADITIO ANULI

Postridie, in Petriano foro, infra Missam una cum creatis Cardinalibus vesperi celebratam, Ss.mus iisdem Anulum tradidit, cooperatores eos constituens universalis ministerii sui. Qua oblata occasione, hanc homiliam habuit :

1. *O Roma felix!*

La Chiesa che è in Roma rivolge oggi lo sguardo verso le sue origini. L'inizio della sua esistenza si collega con i nomi degli Apostoli Pietro e Paolo, si collega con l'eredità particolare che essi hanno portato a Roma e hanno qui lasciato. L'hanno lasciata non soltanto alla Chiesa di Roma, ma anche a tutto il mondo.

La testimonianza apostolica — l'eredità apostolica.

Oggi è il giorno in cui questa testimonianza apostolica è stata sigillata con la morte, con il martirio. Proprio questa morte degli Apostoli, quale testimonianza definitiva, costituisce il « sigillo » della loro eredità.

Noi ritorniamo costantemente ad essa, perché viviamo di

essa e ci sviluppiamo da essa. Oggi lo manifestiamo in modo particolare sia qui a Roma, sia nel mondo intero.

0 *Roma f elio) !*

2. La testimonianza apostolica è stata la testimonianza di uomini, di uomini chiamati da Cristo.

La loro storia è conosciuta sufficientemente sia per quanto riguarda Simon Pietro, sia per Paolo di Tarso.

La storia degli uomini ha la sua caratteristica « umana » ; la sua « autenticità » umana. I testi del Nuovo Testamento, i Vangeli e le Lettere ci permettono di conoscere quest'autenticità umana di Simone figlio di Giona, come anche di Saulo di Tarso.

In questo modo diventa ancor più trasparente la scelta operata da Cristo nella chiamata di ciascuno di essi. Scegliendo Simon Pietro, Gesù ha chiamato un uomo generoso, ma anche impulsivo, che era in grado di dire al Maestro : « Anche se tutti si scandalizzeranno di te, io non mi scandalizzerò mai »,[1] ma che poco dopo veniva dolorosamente meno alla sua promessa. È noto — fu quello il momento del rinnegamento e poi delle lacrime amare del pentimento.

Tuttavia Cristo scelse proprio questo uomo — e confermò questa decisione anche dopo il rinnegamento di Pietro.

Il suo imprigionamento a Gerusalemme, ricordato dalla prima lettura, tratta dagli Atti degli Apostoli, mostra quanto questo Apostolo, esposto in seguito alla persecuzione e alla morte, dovesse consolidare in sé la convinzione di essere sostenuto dalla potenza di Dio stesso.

Dato che Cristo un giorno gli aveva detto : « Tu sei pietra »,[2] egli, in base alle esperienze della propria vita, doveva acquistare la sicura certezza di essere una tale « pietra » non grazie a se stesso, ma soltanto ed esclusivamente in virtù della potenza di Dio.

[1] *Mt* 26, 33.
[2] Cf. *ibid.* 16, 18.

3. Conosciamo bene anche Paolo di Tarso. Mediante gli Atti degli Apostoli e le Lettere, il profilo spirituale di quest'Apostolo si delinea molto chiaramente.

Saulo, fariseo, nemico del nome di Cristo, persecutore dei discepoli e seguaci del Nazareno, viene personalmente convertito da Cristo. Convertito vuol dire fatto passare dalla vita nella quale camminava con accanimento ad una vita diametralmente opposta. Da persecutore ad Apostolo. E lo stesso fervore che dimostrava nel combattere Cristo, egli lo trasferisce nel professarLo e nel proclamarLo, raggiungendo con l'annuncio del Vangelo gli angoli più lontani dell'Impero Romano.

Uomo di grandi lotte e combattimenti spirituali. Noi sentiamo un'eco di queste lotte e combattimenti anche nelle parole della seconda lettura di oggi, tratta dalla Seconda Lettera a Timoteo: « Cerca di venire presto da me ... U Signore ... mi è stato vicino e mi ha dato forza, perché per mio mezzo si compisse la proclamazione del messaggio e potessero sentirlo tutti i Gentili : e così fui liberato dalla bocca del leone ... Ho combattuto la buona battaglia, ho terminato la mia corsa, ho conservato la fede. Ora mi resta solo la corona di giustizia che il Signore, giusto giudice, mi consegnerà in quel giorno ».[3]

4. La Chiesa che è a Roma ritorna a queste due figure, a entrambi gli Apostoli con i quali è collegata la sua apostolica eredità.

E lo fanno nello stesso giorno anche le altre Chiese, perché quest'eredità apostolica di Pietro e Paolo è importante e fondamentale per tutti. Per tutta la Chiesa in Occidente e in Oriente.

Con gioia grande saluto la delegazione della carissima Chiesa di Costantinopoli, presieduta dal Metropolita Damaskinos di Svizzera. Con questa presenza e con la reciproca par-

[3] 4, 9. 17. 7-8.

tecipazione delia Chiesa Cattolica alla festa di S. Andrea al Phanar si esprime il comune desiderio di consolidare le fraterne relazioni che s'addicono a Chiese sorelle, impegnate nella ricerca del ristabilimento della piena unità. L'eredità tramandata dagli Apostoli ed accettata in forme e modi diversi fin dai primordi, ci lega in uno spirito di profonda stima, di affetto, di mutua comprensione e di carità.

Saluto pure gli Arcivescovi metropoliti, recentemente nominati, ai quali viene oggi imposto il sacro Pallio. Tale rito, che si compie presso la tomba di Pietro per mano del suo Successore, è stato sempre interpretato come una manifestazione del « pasce oves meas », detto da Gesù a Pietro.[4] II Pallio è, perciò, simbolo di speciale legame col Vescovo di Roma, « principio e fondamento perpetuo e visibile dell'unità della fede e della comunione».[5] Esso è, al tempo stesso, richiamo ad un più generoso spirito di servizio e di fedeltà nella quotidiana dedizione al gregge di Cristo. Vi auguro, venerati Fratelli, che l'odierna cerimonia rafforzi in ciascuno di voi il proposito di lavorare per il Regno di Cristo così che, secondo l'auspicio espresso da un'antica formula, « unde advenit fastigium visibile, inde florescat amor invisibilis ».

Col contributo di tutti sarà così efficacemente custodita l'eredità comune e universale. Pietro ha portato qui con sé ciò che il Padre stesso gli aveva rivelato su Cristo e che assunse forma di professione di fede per la Chiesa di tutti i tempi: « Tu sei il Cristo, il Figlio del Dio vivente ».[6] Ha portato anche la risposta di Cristo, una promessa per tutta la Chiesa : « Tu sei Pietro e su questa pietra edificherò la mia Chiesa e le porte degli inferi non prevarranno contro di essa».[7]

Paolo ha portato con sé a Roma l'interpretazione più ma-

[4] Cf. *Gv* 21, 15-17.

[5] *Lumen gentium,* 18.

[6] *Mt* 16, 16.

[7] *Ibid.* 16, 18.

tura, in quei tempi, della missione universale della Chiesa. Egli fu, tra tutti gli Apostoli, colui che in misura maggiore percorse varie parti del mondo, ammaestrando tutte le nazioni.[8] In questo modo egli diventò un preannuncio vivente della stessa missione universale, di generazione in generazione.

5. Oggi, ricordiamo con venerazione tutti e due gli Apostoli, rinnoviamo altresì la consapevolezza di questa eredità apostolica, che per mezzo di essi è stata collegata con Roma.

Tale sicura consapevolezza da quel tempo è durata di generazione in generazione, trovando conferma da parte delle più grandi autorità spirituali della storia cristiana.

È noto il passo di Ireneo, che parla della Chiesa di Roma ((antichissima, da tutti voi conosciuta, fondata e costituita dai due gloriosissimi apostoli Pietro e Paolo ». A questa Chiesa — afferma il santo Dottore del secondo secolo — occorre che converga ogni altra Chiesa, cioè l'intera comunità dei fedeli da ogni parte del mondo.[9] Nota è pure, per tralasciarne altre, la riflessione di san Cipriano, vissuto nel terzo secolo: « Il Signore parla a Pietro: Io ti dico — afferma — che tu sei Pietro, e su questa pietra edificherò la mia Chiesa.[10] Sopra una sola persona egli edifica la Chiesa, e benché dopo la risurrezione abbia attribuito a tutti gli Apostoli uguale potestà ... tuttavia, per manifestare l'unità, con la sua autorità egli dispose che l'origine di questa stessa unità cominciasse da un unico principio »."

6. Dal giorno del martirio degli Apostoli Pietro e Paolo, la Chiesa che è in Roma, consapevole di questa speciale eredità che deve a loro, non cessa di supplicare umilmente lo Spirito Santo, lo Spirito di verità, il Paraclito, perché le con-

* Cf. *Me* 16, 15; *Mt* 28, 19.

[9] Cf. Adversus haereses, L. 1, cap. 10.

[10] *Mt* 16, 18.

[11] *Uber de unitate Ecclesiae,* cap. IV, *PL* 4, 499 s.

ceda — malgrado tutte le debolezze umane — di mantenere sempre la sua fede e la fedeltà a tutto ciò che costituisce tale eredità.

Lo specifico ministero (ministerium petrinum) che si collega col servizio del Vescovo di Roma, fa sì che esso abbia una singolare importanza per tutta la Chiesa.

Come responsabile di tale servizio, il Vescovo di Roma è tradizionalmente eletto dai rappresentanti del presbiterio della sua Chiesa, i quali, a partire dall'inizio del secondo millennio, sono raccolti in uno speciale Collegio detto dei « Cardinali », a cui è riservata la competenza esclusiva dell'elezione papale.

A misura della crescita della Chiesa tra le diverse Nazioni della terra, entrano a far parte di questo collegio i rappresentanti delle varie Comunità ecclesiali del mondo. Anche se, come Cardinali, diventano membri del presbiterio della Chiesa di Roma, essi tuttavia esprimono pure l'universale estensione del « ministerium petrinum ». E ad un tempo manifestano quel significativo tratto missionario del « ministerium paulinum », che sin dall'inizio è stato iscritto nell'eredità apostolica della Chiesa che è in Roma.

7. Oggi partecipano alla nostra Solennità i nuovi Cardinali. E concelebrano con il Papa questa solenne Eucaristia, legata al ricordo dei Santi Apostoli Pietro e Paolo.

Tutto — ricorrenza liturgica, rito sacro, luogo ove la celebrazione si svolge — parla loro della grandezza del compito a cui sono stati chiamati. Tutto li richiama con forza al dovere di una coraggiosa testimonianza di unità fra loro e di fedeltà alla Sede di Pietro. Essi sono cooperatori a speciale titolo del Sommo Pontefice, testimoni « usque ad effusionem sanguinis)) dell'autentica fede, della parola rivelata, della verità annunciata nella Chiesa. Da essi ci si attende che siano, come

Pietro, instancabili assertori e costruttori di pace e di concordia all'interno del Popolo di Dio, modelli, come Paolo, di generosa ed incessante dedizione alla proclamazione del Vangelo in ogni parte del mondo.

8. Nell'Anno Mariano ci rendiamo consapevoli, ancora una volta, che nel mistero della Chiesa è presente in modo speciale la Madre di Dio, la Madre di Cristo. L'inizio di questa presenza risale dapprima al momento dell'Annunciazione e dell'Incarnazione e poi, al momento della nascita della Chiesa dallo Spirito Santo, nel giorno della Pentecoste. Maria era in quel giorno con gli Apostoli, era in mezzo alla Chiesa nascente. Ed è rimasta sempre con essa.

« Infatti, nel mistero della Chiesa, la quale pure è giustamente chiamata madre e vergine, la Beata Vergine Maria è andata innanzi, presentandosi in modo eminente e singolare, quale vergine e quale madre».[12] Anche la Chiesa « ad imitazione della madre del suo Signore, con la virtù dello Spirito Santo, conserva verginalmente integra la fede, solida la speranza, sincera la carità ».[13]

Che queste parole del Vaticano II rimangano per voi, venerabili e cari Fratelli, Cardinali dell'Anno Mariano, una particolare fonte di ispirazione lungo l'intero vostro servizio.

9. « Celebrate con me il Signore, / esaltiamo insieme il suo nome. / Ho cercato il Signore, e mi ha risposto / e da ogni timore mi ha liberato ».[14]

La liturgia dell'odierna solennità sembra mettere queste parole del Salmista sulla bocca di entrambi gli Apostoli: Pietro e Paolo.

Accogliamole nello stesso spirito.

[12] *Lumen gentium*, 63.
[13] *Ibid.*
[14] *Sal* 33 [34], 4-5.

Lo esige la nostra debolezza e indegnità.

Tuttavia « la potenza... si manifesta pienamente nella debolezza ».[15] Il Signore è Colui che ci libera da ogni male e ci salva per il suo regno eterno. A lui la gloria nei secoli dei secoli.[16]

Amen.

Adstantes Protonotarii Apostolici, iuxta mandatum in Consistono secreto eis impositum, de omnibus in sacris consistoriis peractis iuridica instrumenta confecerunt.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

KHAMMAMENSIS

Distractis quibusdam territoriis a dioecesi Varangalensi nova dioecesis Khammamensis conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Perinde atque apostolicum ipsum flagitat Nostrum tum Magistri tum officium etiam Pastoris supremi, aptioribus scilicet usque consiliis et rationibus Iesu Christi propagationi confirmationique Evangelii prospiciendi, aliquid efficaciter suscipiendum censemus ac mature perficiendum ut pastoralibus gregis Varangalensis necessitatibus occurratur, qui mirum quantum hisce proximis annis et numero fidelium et apostolatus mole creverit. Inde futurum firmiter confidimus ut non pastoralia modo coepta expediantur inibi rerumque religiosarum incrementa maiora percipiantur, verum ventura iam nunc Ecclesiae Catholicae iisde in locis praeparetur provido animo aetas. Acceptis propterea sententiis ac iudiciis Venerabilium Fratrum Nostrorum, quorum est negotia procurare Congregationis pro Gentium Evangelizatione, ac recepto similiter eorum voto, quorum interest vere aut

[15] *2 Cor* 12, 9.

[16] Cf. *2 Tm* 4, 18.

quoquomodo interesse existimatur, novam in India excitari ecclesiasticam dicionem in orientali iubemus dioecesis Varangalensis provincia, civili nominatim regione « Khammam », quam propterea dioecesim Khammamensem nomine condimus suffraganeamque simul Sedi Metropolitanae Hyderabadensi subdimus. Fines hinc dicionis Khammamensis iidem erunt ac provinciae civilis eodem nomine; regiones tamen vulgaribus titulis « Warangal » et « Karimnagar » ad ipsam pertinebunt dioecesim Varangalensem. Quod vero singulas attinet ad partes tam constitutionis quam gubernationis novi huius gregis, universum perquam religiose ius canonicum iisdem de rebus servabitur. Ceterum hanc Constitutionem simul nunc simul in posterum omne tempus vim suam exserere volumus ad quam felicissimum rerum hic a Nobis praestitutarum effectum Populique Dei in India Nobis nimirum carissimi profectum certissimum.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo Ianuarii mensis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 214.388.

II

PACIENSIS IN CALIFORNIA INFERIORI MERIDIONALI

Paciensis in California Inferiori Meridionali Vicariatus Apostolicus ad gradum evehitur dioecesis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandoquidem consilium fuit divinum ut Ecclesiae universae gubernacula tractaremus, nihil sane aut agere aut curare omittimus quod tum Ecclesiis ipsis tum etiam fidelibus utilitates pariat. Idcirco laetanter perspicientes Paciensem in California Inferiori Meridionali

Vicariatum Apostolicum, Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu propter commemorabilem operam pariterque Venerabilis Fratris Gilberti Valbuena Sánchez, Episcopi titulo Vazaritani Diddensis, huius Vicariatus Ordinarii loci, pastoralem ob sollertiam duodecim per annos, feliciter magnum cepisse incrementum, peropportunum diiudicavimus hunc ipsum Vicariatum ad dioecesis dignitatem attollere. Quapropter ipso plurima prece postulante Episcopo, Conferentia Episcopali nationis Mexicanae consentiente, Congregatione comprobante pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide necnon Venerabili Fratre Hieronymo Prigione, Archiepiscopo titulo Lauricensi, in Republica Mexicana Delegato Apostolico, ex sententiis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi pro Episcopis praepositorum, Nostrae auctoritatis usi plenitudine, *Paciensem in California Inferiori Meridionali* Vicariatum Apostolicum in dioecesis redigimus formam, servatis nempe eodem nomine iisdemque finibus quibus usque adhuc terminatur. Novae dioecesis episcopalis Sedes in urbe La Paz, Baja California Sur, erit, cathedram vero in templo B. M. V. dicato quod fideles « Nuestra Señora de la Paz » vocant, collocamus, factis iuribus debitis cathedralibus propriis. Erit exinde condita dioecesis Metropolitanae Ecclesiae Hermosillensi suffraganea ad iuris normam. Item Consultorum deligatur Collegium qui auxilio sint Episcopo ipsi. Mensam episcopalem constituent curiae emolumenta, fidelium collationes omniaque bona ad praesens ad eundem Vicariatum Apostolicum pertinentia. Ad seminarii dioecesani directionem necnon ad sacrorum alumnorum institutionem quod attinet iuris canonici serventur leges, prae oculis habitis praeceptis a Congregatione pro Institutione Catholica statutis. Selecti autem seminarii alumni ac sacerdotes ad studia perficienda Romam ad Pontificium Collegium Messicanum mittantur. Simul autem ac novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso clerus eiusdem Vicariatus ad ipsam dioecesim ascriptus habeatur. Quoad constitutae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura ceteraque generis eiusdem, quae ius canonicum praescribit adamussim serventur. Auctoritate pariter Nostra dioecesis noviter constitutae Venerabilem Fratrem Gilbertum Valbuena Sánchez confirmamus Episcopum et Pastorem eundemque ab Ecclesiae Vazaritanae Diddensis titulo expedimus. Ad ea denique perficienda quae per has iussimus Litteras, Venerabilem Fratrem Hieronymum Prigione legamus, factis nempe facultatibus necessariis etiam

subdelegandi quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re autem acta, documenta conficiantur atque sinceris exemplis ad Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentisimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

83 **AGNELLUS** Card. Rossi
Cardinalium Collegii Decanus

93 **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 216-022-

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Mercedi a Iesu Molina, Fundatrici Instituti Sororum a S. Maria Anna a Iesu, Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis» *(Mt* XXV, 40). Haec Domini verba ut sibi ipsi prolata accepta videntur a Beata Mercede Maria a Iesu Molina, Instituti Sororum a S. Maria Anna a Iesu Fundatrice. Divina namque instructa sapientia, clare et re intellexit mysterium incarnationem consequens, quo, Verbo Dei carne facto, quivis homo, praesertim cum paupertate aut morbis laborat, aliquo modo alter Christus evadit, Filii Dei incarnati et crucifixi personam induens. Quod Mercedes, non tantum suae assumere visa est vitae principium, sed suas asseclas miro modo edocere. Talem ac tantam fuisse eius caritatis actuosam perfectionem, facile eruitur eius vel summatim inspecta vita. Haec Dei Famula, parentibus Michaele Molina et Rosa Ayala, opibus sed praesertim christianis moribus conspicuis j ortum habet anno **MDCCCXXVIII** in Aequatoriana provincia « Los Ríos » vulgo nuncupata et quidem in loco vulgari sermone « Baba » dicto. Biennio

vix expleto, familia ad urbem Guayaquilium translata, Mercedes patre immature et matrem a. MDCCCXLIII item amittit. Tecto a sorore recepta, iucundius ac levius pro iuvenili aetate vivere incipit, donec ex equo prolapsa in meditationem de vanitate rerum incumbit. Veste votiva mercedaria induta, poenitentem vitam agere satagit. Attamen, ne vota nuncupet monita, matrimonium parat. Sed, veluti arcana vi ducta, ad pristinum redit consilium et, religiosorum votis privatim factis, orationi et castigationi voluntariae se tradit, ad exempla Beatae tunc Mariae Annae a Iesu Paredes conformata. Maiore mota generositate, familiam relinquit et, omnibus suis rebus venditis ac pauperibus datis, a. MDCCCLXVII famula cuiusdam puellarum orphanotrophii fit, gallinarium stabulum inhabitans. Triennio exacto, ad Indios Jibaros evangelizandos discedens, locum vulgo ((Gualaquizam » vocatum petit, longo difficilique itinere per ásperos montes quos ((Cordillera de los Andes » appellant facto. Hic duo praecipua agit : quasi caritatis angelus sese dedit curandis pestífero contagio affectis indiis, et primas cuiusdam instituendae caritatis congregationis normas, auxiliante confessario, exarat. Post decem menses banc Gualaquizae missionem relinquere cogitur et Concham divertit, ubi per biennium usque ad a. MDCCCLXXiii orphanis instituendis in asylo se addicit, donec, ab episcopo D. Iosepho Ignatio Ordofies Lasso vocata, Rivibambam concedit. Hic publice renovat vota et antiquum ad effectum adducens propositum, die xiv Aprilis a. MDCCCLXXIII, Ordinario loci adprobante, religiosarum communitatem nomine et protectione Beatae tunc Mariae a Iesu Paredes condit, quarum munus praecipuum esset seipsas sanctificare puellas orphanas pauperesque excipiendo, instituendo, a malo servando, mulieres quoque lapsas e vitiis conversas colligendo easque in nova gratiae vita confirmando. Famula Dei suum gubernat Institutum usque ad a. MDCCCLXXVII. Sed, sive ad contemplationem plenius colendam, sive ob haud exiguas, oeconomicas etiam, obortas difficultates, ad communitatem ducendam minime idoneam se censet: quare moderatricis officium deponit et humiliora munera admonitricis, magistrae novitiarum, orphanarum custodis et horti cultricis atque ostiariae ad nutum oboedientiae fideliter adimplet. Hoc more, vitam absconditam in Christo gerens, sed insimul magnae in proximos caritatis causae inserviens, ultimos annos aevi sui ducit. Nam, pulmonum morbo affecta, die xn Iunii a. MDCCCLXXXIII piissime in Domino obdormit, sancta ab omnibus habita, ob miram maternamque caritatem in pauperum sublevandas necessitates impensam. Plane liquet hanc

Dei Famulam liaec ac tanta, in difficillimis temporum et locorum adiunctis, minime patrare potuisse, nisi intus suffulta et excitata fuisset superna virtute gratiae et quidem maximo caritatis ardore, quo non tantum suum, sed sui Instituti religiosarum corda inflammavit. Sanctitatis eius fama in dies crescente, supernis confirmata signis, Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis, triennio ab eius obitu vix transacto, apud Curiam Bolivarensem agi coepta est. Processus tamen, ex causis praesertim publicis brevi interruptus, nonnisi annis MCMXXVIII-MCMXXXII celebratus est, addito interim (annis MCMXXIX-MCMXXXI Processu rogatoriali Conchensi in Aequatoriana Republica. Edito die xxvn Novembris a. MCMXXXVII decreto super scriptis Servae Dei tributis, Pius Papa XII commissionem introductionis Causae sua manu die VIII Februarii a. MCMXLVI obsignavit. Deinde annis MCMXLIX-MCMLI, in Curia Bolivarensi Processus Apostolica auctoritate adornatus est super virtutibus in specie Servae Dei. De omnium harum inquisitionum auctoritate decretum exiit die XV Octobris a. MCMLIV. Servatis itaque de iure servandis, quaestio apud Congregationem pro Causis Sanctorum super virtutibus Servae Dei agitata est die x Martii a. MCMLXXXI in Congressu Peculiari et die XXVI Maii eodem anno in Coetu Plenario Patrum Cardinalium. Facta denique die III Iulii eodem anno de praemissis omnibus Nobis vera relatione, Nos die xxvn Novembris a. MCMLXXXI sollemniter ediximus Servam Dei Mercedem a Iesu Molina, Fundatricem Sororum a Sancta Maria Anna a Iesu Paredes, gradu heroico virtutes théologales necnon cardinales, tum erga Deum tum erga proximum, coluisse. Ad miracula quod attinet, inter multa mira precibus huius Venerabilis tributa, una repentina sanatio ac veluti redanimatio trimulae puellulae Zoilae Helenae Cáceres Larrea prolata est a Causae actoribus. Haec enim die xi Martii a. MCMLXV fere duodecim frustula casei letali veneno muribus interficiendis irrorata, matre absente, hauserat. Et nullo adhibito veri nominis antidoto, cum a medicis curantibus prognosis infausta quoad eius vitam edita fuisset, sola deprecatione Venerabilis Mercedis a Iesu Molina suppliciter invocata, plane convaluit et quasi in vitam restitui visa est. Inquisitiones de supernaturali causa huius sanationis rite peractae sunt annis MCMLXXIV-MCMLXXV apud dioecesanam Curiam Rivibambensem; atque mirum eventum praeter naturae ordinem et vires accidisse declaravit Consilium Medicorum Congregationis pro Causis Sanctorum die VI Maii a. MCMLXXXIII. Aliis eiusmodi afíirmantibus iudiciis

huius Congregationis habitis, sive in Congressu Peculiari diei vi Martii sive in Congregatione Plenaria diei xxn Maii a. **MCMLXXXIV,** necnon re tota ad Nos delata die ix Iunii eodem anno, decrevimus constare in casu de vero miraculo a Deo patrato deprecante venerabili Serva Dei Mercede a Iesu Molina. Quibus omnibus rebus peractis, die i Februarii a. **MCMLXXXV**, Nostro per Aequatorianam Rempublicam Apostolico itinere perdurante, infra sollemnem Eucharisticam concelebrationem in permagna platea vulgo « Los Samanes » dicta, urbis Guayaquilii, habitam, ingenti episcoporum, presbyterorum, religiosarum et fidelium multitudine adstante, Venerabilem Servam Dei Beatam declaravimus, sequentibus prolatis verbis : « Nos, vota fratris Nostri Leonidae Proafio Villalba, Episcopi Rivibambensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Serva Dei Mercedes a Iesu Molina Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die ipsius natali : decima secunda Iunii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Faxit Deus ut, Beatae Mercedis a Iesu Molina exemplis et intercessione in cordibus hominum, nostris temporibus odio ac bellis inflammatis, in dies magis ac magis fraternus flammescat amor, donec in Ecclesia et in mundo sola instar solis regnet caritas ! Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Datum Guayaquilii, sub anulo Piscatoris, die i mensis Februarii anno **MCMLXXXV**, Pontificatus Nostri septimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI,** *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £g Sigilli
In Secret. Status tab., n. 216.556.

II

Venerabili Servo Dei Pio a Sancto Aloisio Beatorum honores tribuuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — ((Cum adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, quaesivi sapientiam palam in oratione mea : ante templum postulabam pro illa et usque in novissimis inquirant eam » *(Sir* 51, 18 ss.) : haecque sapientia secundum Evangelium (cf. *Mt*

11, 25) largiter est iuveni Passionistae Pio a Sancto Aloisio concessa, quem Nos hodie exeunte anno internationali iuventutis, peculiari cum animi laetitia in Beatorum numerum rettulimus. Ad iuvenes enim per Epistulam Apostolicam, die xxxi mensis Martii anno MCMLXXXV datam Nos convertentes, scripsimus : ((Vos estis iuventus nationum et societatum; vos estis iuventus cuiusque familiae ac totius generis humani ; vos estis etiam iuventus Ecclesiae » *(AAS* 77, 1985, p. 580). Et haec perennis Ecclesiae iuventus manifesta fit in iis praesertim, qui Christum omnibus rebus anteposuerunt, auditis iuvenili aetate illicientibus verbis: « Sequere me» *(Mt* 19, 21). In hos est sine dubio inscribendus Pius a Sancto Aloisio, alacer Romaniolae filius, ad uberem Congregationis Passionis Iesu Christi hortum traductus, quae Ecclesiae et mundo universo iuvenem dedit eximiae sanctitatis, nempe Sanctum Gabrielem a Virgine Perdolente. Pius ortus est die xxix Aprilis anno MDCCCLXVIII Trebii, vici in territorio Podii Berni siti, intra fines dioecesis Ariminensis, eodemque die est baptizatus et Aloisius Nazarenus Franciscus appellatus. Parentes eius fuerunt Iosephus Campidelli et Philomena Belpani, humiles et demissi agricolae. Sacramentum confirmationis accepit die ix Februarii anno MDCCCLXXIII et primum ad Eucharisticam mensam accessit die ix Iunii anno MDCCCLXXVIII, sollemni Pentecostes. Patre orbatus anno MDCCCLXXIV, est christiane educatus a pia et forti matre et a sacerdotibus paroeciae. Sentiens se ad vitam religiosam et sacerdotalem vocari, cum Passionistas cognovisset in missione ad populum, instanter postulavit ut ab eis reciperetur. Non paucis difficultatibus ex familiaribus superatis, die xxvn mensis Maii anno MDCCCLXXXII vestem religiosam induit in vicino recessu S. Maria di Casale communiter vocato, novitiatum iniens nomine sumpto Pio a Sancto Aloisio. Sedecim annorum, die xxx mensis Aprilis anno MDCCCCLXXXIV, professionem religiosam fecit, quarto addito voto Passionistarum proprio, « promovendi pro viribus devotionem Dominicae Passionis iuxta Regulas et Constitutiones Congregationis ». Praescriptum studiorum curriculum aggressus, Pius omni cura assequendae perfectioni se dedidit per plenam integrae tum Regulae Sancti Pauli a Cruce observantiam. Eius brevis vitae religiosae nota fuit quidem mirabilis diligentia adhibita in muniis cotidianis exsequendis, praesertim deprecatione, assidua mysterii Passionis contemplatione, fervore eucharistico et ardenti erga Virginem Mariam pietate, unde toti communitati suae fuit exemplo. Cum laetitia et serenitate onera tulit constantis et perfecti exercitii evangelicorum consiliorum et com-

Decessores Nostri, perinde ac Nosmet ipsi, cotidiana omnium Ecclesiarum permoti sollicitudine, maximam curarum Nostrorum partem reposuimus necnon firmas omnino spes in Ecclesiae Catholicae condicionibus apud Americae Latinae Nationes. Cuius profecto studii ac diligentiae documentum est ipsa illa Pontificia Commissio quam Pontifex Maximus Pius XII constituit die vicesimo primo mensis Aprilis anno millesimo nongentesimo quinquagesimo octavo ut suo pro munere quaestiones praecipuas coniunctim investigaret de catholica vita fideique tutela ac religionis in America Latina propagatione, eodemque tempore maiorem incitaret operam adiutricem inter varia Curiae Romanae officia, quorum intererat eaedem ut solverentur difficultates, et instrumentis pastorali ratione aptioribus Consilium Episcopale Latino-Americanum (CELAM) valide adiuvaret.

Huic deinde accessit Consilium Generale Pontificiae Commissionis pro America Latina a Summo Pontifice Paulo VI institutum die tricesimo mensis Novembris anno millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, nominatim illo cum proposito ut argumenta et causas hiaioris cuiusdam momenti perpenderet ad Continentem Americae Latinae spectantia deque iis opportuna proferret consilia.

Fructus autem salutaresque effectus, quos ambo haec arcte inter se iuncta Istituta iam adtulerunt, ac pondus ipsum operis, quod hisce

absolverunt superioribus annis adeo sane laudabiliter, iamiam vehementer suadent tum ut ulterius etiam corroborentur tum solidiorem sibi recipiant mobilioremque compagem, novis quoque Romanae Curiae institutis congruentem.

Quapropter Nos, Motu Proprio, certa scientia atque matura deliberatione Nostra, in unum iam coniuncta declaramus quae hactenus vocabantur « Pontificia Commissio pro America Latina» atque «Consilium Generale Pontificiae Commissionis pro America Latina ». Institutum autem, sic conditum, nomen <(Pontificiae Commissionis pro America Latina » perget servare. Eadem praeterea haec Commissio Congregationi pro Episcopis arcte connectitur normisque regitur sequentibus.

I. Princeps habet velut suum propositum Pontificia **Commissio** pro America Latina ut uniformi ratione quaestiones expendat tum doctrinae tum operae etiam pastoralis ad vitam attinentes progressionemque Ecclesiae in America Latina necnon ut officiis Romanae Curiae adsistat et subveniat, quorum magis videlicet refert propriam ob auctoritatem ac munus dirimere peculiares hasce difficultates. Suum per Praesidem dein, statis temporibus, Commissio certiorem facit Summum Pontificem singulis de causis, Eique res suadet et proponit, quae videntur suscipiendae aut ad regimen pertinere, quascumque congruas ipsa censuerit vel opportunas.

II. Commissio suum explet munus coniunctionis inter Apostolicam Sedem diversaque instituta sive plurium nationum sive singularum pro America Latina. Nominatim vero consortionem crebram frequentat :

a) cum Consilio Episcopali Latino-Americano eiusque Secretariatu Generali, dum interea necessitudinem continuam sustinet cum illis diligenterque omnia sectatur quae ad eorum opera et incepta pertinent; ipsius praesertim interest, consilio capto cum idoneis Curiae Romanae officiis, perscrutari decreta ac proposita quae CELAM suis ediderit in sessionibus ;

b) cum episcopalibus Institutis cuiusque nationis aliisque institutionibus Americae Latinae adiuvandae ;

c) cum Confoederatione Latino-Americana Religiosorum (CLAR), collatis consiliis cum Congregatione, cui nomen erit pro *Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae,* potissimum quod ad consociationem spectat et religiosorum communicationem ipsius pastoralis industriae Ecclesiae in America Latina, idcirco etiam quod

tangit illius Confoederationis necessitudinem cum Episcopis dioecesanis, cum episcopalibus Conferentiis ipsoque CELAM ;

d) cum Institutionibus Catholicis Internationalibus ceterisque sodalitatibus et motibus qui in America Latina operantur, sententiis pariter Consilii pro Laicis rite auditis.

III. Pontificiae huius Commissionis Praeses est Praefectus Congregationis pro Episcopis, qui ab Episcopo Vices Praesidis gerente adiuvatur. Iis astant, tamquam Consiliarii, nonnulli Episcopi sive ex Americae Latinae Episcopis, a Romano Pontifice delecti.

IV. Eius membra, a Summo Pontifice nominati, sunt :

Secretarii Dicasteriorum Curiae quorum praesertim interest ; duo Episcopi, qui partes agant Consilii Generalis Episcopalis Americae Latinae; tres Praesules dioecesani de America Latina.

V. Commissio suos habet administros.

VI. Commissio pro America Latina tertio quoque mense plerumque congregabitur ut universas inspiciat tam ordinarias quam extraordinarias quaestiones pertinentes ad munus officiumque Commissionis proprium (cf. art. I et II).

VII. Ut autem universales ponderentur causae maioris cuiusdam momenti Pontificia Commissio pro America Latina convocat, semel saltem in anno, sessionem generalem, ad quam, praeter membra ipsa eiusdem Commissionis, invitantur :

— Praeses Consilii Episcopalis Latino-americani ;

— Praesides ac Secretarii Institutorum Episcopalium apud singulas civitates sive nationes, ad Ecclesiam in America Latina iuvandam, tum aliarum quoque institutionum secundum Sanctae Sedis iudicium;

— Praesides Unionis Superiorum Generalium, Unionis Internationalis Superiorum Generalium et Confoederationis Latino-Americanae Religiosorum.

VIII. In statutis Nostra comprobandis auctoritate subtilius definientur et fusius explanabuntur normae, quibus gubernetur ac temperetur haec Pontificia Commissio.

Quaecumque demum a Nobis hisce ipsis Motu Proprio editis Litteris statuuntur, cuncta firma rataque esse iubemus, contrariis quibuslibet nequaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xvni mensis Iunii, anno **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

II

Ex integro ordinatur materia respiciens muneris Patronorum et Advocatorum exercitium apud Romanae Curiae Dicasteria necnon ipsius Sanctae Sedis causarum patrocinium.

Iusti iudicis Domini Christi Iesu *(2 Tim.* 4, 8) verba et exempla persequens, Ecclesia, inde a suis exordiis, iustitiae administrandae peculiari cum sollicitudine prosecuta est quaestiones, sive quod ad ipsius regionem spectat, sive ad ea quae saecularium structurarum nexus illigant, in quibus ipsammet eiusque fideles vitam degere oportet suumque salutis mandatum exercere. Hinc factum est ut in provincia ipsius ecclesialis Communitatis, propria iuridica ordinatione pollentis, inde a priscis temporibus caveretur ut physicae ac iuridicae personae defenderentur in ecclesiasticis processibus, ad bona propria spiritualia vel cum spiritualibus coniuncta tutanda, quae ad ipsas iure divino humanoque pertinebant. Ceterum Ecclesia ipsa, in sua compage, necessitate quadam adducta est ut flagitaret iurium suorum comprobationem atque observationem, etiam per institutam actionem iudicialem.

Studiosa alumna eius, qui « egenus factus est cum esset dives » *(2 Cor.* 8, 9), pauperum humiliumque affecta est necessitate iura legitime defendendi etiam in iudicio. Cuius muneris explendi onus, quod quandam ecclesialem rationem prae se fert, in se susceperunt causarum Patroni seu Advocati.

Apud Sanctam Sedem idem officium duo expleverunt instituta peculiari laude digna.

Ipse S. Gregorius Magnus constituit septem Ecclesiae defensores, a quibus probabiliter Consistoriales Advocati originem repetunt.

Anno autem **MCXXX**, Innocentius II Procuratoribus Sacrorum Palatiorum Apostolicorum munus commisit causas defendendi coram SS.mo atque tutandi pauperes nulla impensa.

Benedictus XII, Apostolica Constitutione *Decens et Necessarium,* die XXVI mensis Octobris anno MCCCXL data, in duo collegia disiuncta constituit Advocatos Consistoriales atque Procuratores Sacrorum Palatiorum Apostolicorum.

Rerum decursu duo ista collegia sic praeclare quidem munus suum grave multaeque prudentiae expleverunt, ut probationes Summorum Pontificum meruerint atque privilegia.

Nunc vero, dum Constitutionis Apostolicae de Romana Curia recognitio peragitur, veluti ad illam accommodationem perficiendam, cuius Concilium Vaticanum II principia posuit finesque constituit et Codex Iuris Canonici exsecutionem consectatus est, quod ad rem iuridicam attinet, commodum visum est ex toto rem retractare, ratione habita progressionum pervestigationumque, quae etiam in iustitia administranda factae sunt, cum Ecclesia, Fundatori suo obsequens, defensionis opus exercebat humanorumque iurium curabat provectum.

Advocati apud Romanam Curiam

ART. 1

Praeter Advocatos Rotales et pro causis Sanctorum, qui proprium munus exercere pergunt sicut antea secundum praescripta iuris generalis et legis uniuscuiusque Dicasterii propriae, instituitur apud Romanam Curiam Album generale Advocatorum, qui, rogatu eorum quorum interest, patrocinium causarum apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal suscipiant, necnon in hierarchicis recursibus apud Dicasteria Romanae Curiae operam suam praestent.

ART. 2

Cardinalis Secretarius Status, audita Commissione ad hoc stabiliter constituta, curat ut in Albo generali ascribantur nomina Advocatorum, qui qualitatibus praediti sunt, de quibus agitur in subsequenti articulo.

ART. 3

Ut quis in Albo generali ascribi possit oportet :

1. praecellenti vitae christianae integritate ornetur una cum actuosa sedulitate in ecclesiali Communitate secundum propriam uniuscuisque vocationem;

2. congrua institutione theologica praeditus sit, et doctrina iuridica polleat aptis academicis titulis comprobata coniuncta cum idoneo professionis suae usu.

ART. 4

Advocati, quorum nomen in Albo ascribitur, oificio tenentur servandi, praeter iuris universalis praescripta hac de re lata, ethicas normas proprii muneris (deontologiam quam vocant).

ART. 5

§ 1. Si quis ethicas normas proprii muneris graviter violaverit, res deferatur ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, quod ex officio procedat ad normam iuris sanctionibus erogandis, secundum violationum ipsarum gravitatem, haud exclusa ex Albo amotione.

§ 2. Si contra aliquem Advocatum processus poenalis canonicus vel civilis inchoatus fuerit, ipse pendente processu ad cautelam ab exercendo munere suspendatur.

ART. 6

§ 1. Ex Albo praeterea expungantur :

1) qui notorie a fide catholica defecerint;

2) qui in concubinatu vivunt aut matrimonio civili tantum iuncti sunt vel aliter manifesto in gravi peccato perseverant ;

3) qui nomen dederint consociationibus cuiusque generis, quae contra Ecclesiam machinantur ;

4) qui assentiuntur vel suam praestant operam consociationibus vel motibus; suadentibus cogitandi et agendi rationes fidei et catholicae doctrinae de moribus contrarias, vel defendunt proposita et consilia de civili ordinatione, quae adversantur ^praeceptis legis naturalis et christianae ;

5) qui aperte resistunt praeceptionibus doctrinalibus et pastoralibus legitimarum auctoritatum ecclesialium.

§ 2. His in casibus res deferenda est ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae quod ex officio procedat ad expunctionem ex Albo ad normam iuris applicandam.

ART. 7

Sanctae Sedis Advocati

Ex Advocatis praesertim in Albo ascriptis Corpus Sanctae Sedis Advocatorum constituitur, qui patrocinium causarum, nomine Sanctae Sedis vel Curiae Romanae Dicasteriorum, apud ecclesiastica vel civilia tribunalia suscipere valent.

ART. 8

A Cardinali Secretario Status, audita Commissione de qua in art. 2, Advocati Sanctae Sedis ad quinquennium nominantur : graves tamen ob causas, a munere removeri possunt. Expleto septuagesimo quinto aetatis anno a munere cessant.

ART. 9

Sanctae Sedis Advocati officio tenentur exemplarem vitam ad Dei et Ecclesiae praecepta ducendi ac sibi commissa munera summa cum officii conscientia adimplendi. Oportet eos insuper secretum servare in causis et negotiis, quae sub eodem secreto tractanda sunt.

ART. 10

§ 1. In muneribus exercendis apud Tribunalia Romanae Curiae et Status Civitatis Vaticanae, Advocati Sanctae Sedis succedunt membris Collegii Advocatorum Consistorialium et Collegii Procuratorum Sacrorum Palatiorum Apostolicorum, quae proinde ab iis aliisque muneribus cessant. Abrogantur ideo .titulus, iura atque privilegia hucusque horum collegiorum sodalibus tributa.

§ 2. Qui actu sunt Advocati Consistoriales atque Procuratores Sacrorum Palatiorum Apostolicorum, titulum, iura et privilegia personalia, normis peculiaribus ad eos spectantibus disposita, integra servant.

Quaecumque demum a Nobis hisce ipsis Motu Proprio editis Litteris statuuntur, cuncta firma rataque esse iubemus, contrariis quibuslibet nequaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxvni mensis Iunii, anno **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DOMINAE NOSTRAE PARADISI IN CIVITATE MEXICANA

Fidelium Communitas ritus byzantini graecorum melkitarum catholicorum in Mexicana dicione ad Eparchiae gradum **attollitur Dominae Nostrae Paradisi in Civitate Mexicana cognominandae.**

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolorum Principis in sublimi cathedra Dei voluntate positi, illud unum vel maxime tuentur, ut Ecclesiae negotia singulari quidem cura et vigilantia administrentur ac dirigantur pro ipsorum fidelium commodo spiritalique bono. Haec inter negotia maximi momenti et ponderis procul dubio ea quae ad Ecclesias Orientales pertinent adnumerantur, cum sint Nobis ipsae sane carissimae tum antiquitate tum opulentia copiaque praeclararum traditionum et sanctitatis exemplorum. Cum igitur Venerabilis Frater Noster S. R. E. Cardinalis Löurdusamy Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus praepositus, assentiente vero Patriarcha Graecorum Melkitarum catholicorum una cum synodo eiusdem Patriarchatus, efflagitaverit ut Communitas fidelium ritus byzantini Graecorum Melkitarum catholicorum in Mexicana Civitate ad gradum dignitatemque Eparchiae eveheretur, Nos, re profecto diligenter spectata, expostulationibus admotis annuentes, confisi -haec omnia in fidelium utilitatem esse cessura, ex Nostra Apostolica auctoritate, decernimus ut Communitas quam supra memoravimus Eparchiae honore augeatur, *Dominae Nostrae Paradisi in Civitate Mexicana* appellandam, additis pariter iuribus atque obligationibus quae ad hanc pertinent dignitatem et condicionem. Haec quidem res reliquaque secundum codicis orientalis praecepta plane temperentur. Ceterum, hanc tribuendo dignitatem erga istam dilectam Communitatem dilectionem Nostram palam testificari volumus, minime

posthac addubitantes quin singuli novae Eparchiae fideles ex hac quidem re spiritalis vitae vehementiora accipiant incitamenta.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo et vicesimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

D. **SIMON** Card. **LOURDUSAMY**
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco £ß Plumbi
In Secret. Status tab., n. 216.161.

II

CAPITIS HAITIANI

Cathedralis Ecclesia Capitis Haitiani ad dignitatem metropolitanam evehitur ipsoque eius nomine nova conditur provincia ecclesiastica.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui pro Nostro Pastoris munere universae servimus Ecclesiae, necnon supremam quam in eam habemus potestatem exercemus, probata consilia libenter tuemur, unde aliquam Christifideles utilitatem sibi capere possint. Cumque Conferentia Episcopalis Reipublicae Haitianae, idem sentiente Venerabili Fratre Paulo Romeo, Archiepiscopo titulo Vulturiensi atque in Natione Haitiana Nuntio Apostolico, modo a Sancta hac Sede id petierit quod sequitur, Nos igitur, eorum suppleto consensu quorum interest vel interesse censentur, hisce nunc Litteris vi et potestate Nostra Apostolica Ecclesiam Capitis Haitiani iuri Ecclesiae Portus Principis metropolitano subtrahimus et ad gradum archidioecesis metropolitanae eam ipsam extollimus, cui et iura et privilegia tribuimus, quae eiusmodi Ecclesiarum sunt propria ; pariterque eo ipso Capitis Haitiani nomine provinciam ecclesiasticam condimus, quae scilicet constet tum nova metropolitana Ecclesia Capitis Haitiani tum suffraganeis ei sedibus Portus Pacis, Hinchensi et Gonayvesensi. Ipsum autem pro tempore Praesulem Capitis Haitiani

dignitate archiepiscopali insignimus ac Metropolitam eligimus propriis iuribus praeditum et privilegiis lege sancitis necnon congruentibus officiis adstrictum ; de qua tamen electione alterae Litterae Nostrae Apostolicae. Quae hic statuimus, ea ad effectum adducat idem Venerabilis Frater Paulus Romeo quem diximus, cui et facultatem facimus id delegandi ad alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, addito onere curandi ut certum verumque actae exsecutionis litterarum exemplum Congregationi pro Episcopis iusta diligentia mittatur. Quod denique reliquum est, Apostolicas has Litteras et nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis rebus haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 216.667.

III

IZABALENSIS

Administratio Apostolica Izabalensis ad canonicum gradum Vicariatus Apostolici tollitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui arcano prorsus Divinae Providentiae consilio nutuque cunctarum per terras Ecclesiarum ultimam sustinemus curam moderationemque obtinemus, vix quidquam iucundius Nobis accidere solet aut felicius quam adolescentes iam maioribusque vigentes incrementis communitates ecclesiales instruere solidioribus compagibus et quasi firmioribus structuris unde certioribus ipsae passibus progredi valeant plenam ad fidei, actionis, vitae catholicae prosperitatem ac florem. Cum igitur viginti hos superiores per annos Administratio Apostolica Izabalensis tantos convenienter effecerit in viis Evangelii Iesu Christi progressus tamque prospere apostolatus opera exegerit ut accipere sibi

posse videatur robustiorem iam canonicae condicionis formam, idcirco perplacet Nobis ea singula confirmare quae Congregatio ipsa pro Gentium Evangelizatione hac de re prudenter statuerit faciendaque rite censuerit. Suprema scilicet auctoritate Nostra tollimus Administrationem Apostolicam *Izabalensem* canonicum ad gradum *Vicariatus Apostolici,* cui omnem sane concedimus dignitatem ac figuram, ofiîcia et onera addimus quae secundum sacrorum regulas canonum huius modi congruunt Vicariatibus Apostolicis. Fines vero eiusdem huius dicionis iidem erunt et nomen ipsum atque antehac fuerunt et ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione suberit iurisdictioni. Reliqua autem quae novum ad Vicariatum Apostolicum Izabalensem attinent, omnia et singula canonici iuris gubernabuntur adamussim normis. Has denique Litteras Nostras tam nunc quam in posterum esse tempus validas iubemus, quibuslibet rebus minime obstantibus, ut quae iis decreta sunt ab universis quorum interest aut interesse potest quam religiosissime adserventur vinique suam plene obtineant.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco *f&* Plumbi
In Secret. Status tab., n. 216.182.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Teresiae a Iesu de los Andes Beatorum honores tribuuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Unum petii a Domino, hoc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluptatem Domini et visitem templum eius» *(Ps* 27, 4).

Maxime hoc exoptavit etiam Venerabilis Serva Dei Teresia a Iesu, Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte

Carmelo novicia. A pueritia arcanam Dei praesentiam repperit in templo animae suae sensitque se solummodo ex cultu spiritali et sine intermissione ei tribuendo gaudium capturam. Omnibus itaque relictis rebus se totam dedidit vultus Domini contemplationi, cui, puro cum corde et libero, se omnino obtulit brevique magnam est assecuta perfectionem, seu singularem cum Divino Magistro similitudinem, quem ex toto corde et ex tota anima et ex omnibus viribus et ex omni mente dilexit (cf. *Lc* 10, 27), Ipsa scripsit: ((Credo sanctitatem in amore esse positam. Volo sancta esse ; idcirco me amori dabo, quoniam purificat et ad expiandum iuvat. Qui amat non aliam habet voluntatem, quam Amati. Ideo facere volo Iesu voluntatem. Qui amat, incommoda subit. Ego per omnia volo incommoda subire. Nullam volo mihi voluptatem dare. Me immolare volo constanter ut Ei similis fiam, qui pro me patitur meque amat. Amor non repugnans oboedit. Amor fidelis est. Amor non vacillat. Amor est coniunctionis duarum animarum vinculum. Amore Iesu me iungam)). Venerabilis Serva Dei orta est Sancti Iacobi in Chile die xin mensis Iulii anno **MCM** a Michaele Fernández Jaraquemada et Lucia Solar Armstrong. Biduo post sacramentum accepit Baptismi et est Ioanna appellata. Familia, pia quidem et locuples, eam bene educavit, quae inter cetera didicit sapientiam fidei pretiosiorem esse cunctis gemmis et omnia pretiosa huic non valere comparari (cf. *Prv* 3, 15). Anno **MCMVI**, quasi sensibili modo, Iesus eius cor sibi capere est orsus, inventa in puellula mutua laetaque benevolentia quae, volventibus annis, adeo crevit, ut facta sit indissolubilis amicitia et plena donatio, ex qua in iucunditate vixit et in occultatione. Ita iam tum Venerabilis Serva Dei ad altissima bona cursum iniit, « aspiciens in auctorem fidei et consummatorem Iesum » *(Heb* 12, 2). Eodem tempore ferventem coluit pietatem erga Virginem Mariam et teneram eius fiduciam. « Omnia ei narrabam, quae mihi eveniebant, Eaque me alloquebatur. Eius sentiebam vocem in me, sed clarissime et expresse. Mihi consilia dabat et omnia dicebat, quae ut Domino nostro placerem mihi erant facienda. .Licet .affirmare iam tum Dominum nostrum una cum Sanctissima Virgine manu me prehendisse ». Die xi mensis Septembris anno **MCMX**, post diligentem praeparationem, ad Eucharisticam mensam maximo cum fructu accessit. Dies illa, quae est eius infixa memoriae, quodammodo lapis miliarius fuit in via quae ad sanctitatem ducit. Ad eius formationem multum contulerunt etiam boni sacerdotes et Sorores a Sacro Corde, in quarum Ephebeo Iacobopolitano studia exercuit elementaría, media

et superiora, primum uti alumna externa, deinde uti interna (annis MCMXV-MCMXVIII). Dum firma voluntate et perseverantia suam indolem ad continentiam formabat, ad facilitatem erga ceteros, ad patientiam in rebus adversis, diligenter incumbebat in exsequenda munera familiaria, religiosa et scholastica. Cotidie Missae intererat et Communionem accipiebat; meditabatur virtutesque explicabat; vitae rationem sequebatur, quae fidem eius simplicem et solidissimam significaret et familiaritati cum Domino faveret. Tredecim annos nata animadvertere coepit appetitionem e domo sua exeundi ut in Instituto religioso se Domino consecraret. Insequentes egit annos continuo et ardenter Carmelum cupiens, iam in mundo secundum eius religiositatem vivens. In suo memoriali libello annotavit : « Divini Piscatoris retibus amatoriis capta sum. De eo uno cogito. Is est, quem volo. Diem appeto, quo Carmelum ingrediar ut eum solum persequar et ex eius vita vivam : ut pro salvandis animis amem et patiar ». Actioni obsequens gratiae, gradatim Christi imaginem insculpebat in se et die xvin mensis Decembris anno MCMXV votum privatum castitatis nuncupavit posteaque vovit se nullum voluntarium peccatum committere velle. Interea, scriptis deducta Sanctae Teresiae a Iesu Infante et Beatae Elisabethae a Trinitate, altius in dies Christum crucifixum contemplabatur, postulans ut posset eum consolari, dolores eius communicando : ((Iesus significavit mihi necesse esse Carmelitidem semper vivere sub cruce, ut ibi amare et pati discat ». Quo melius huic acerrimae spiritus appetitioni responderet, se devovit : « Cruci affixa esse volo. Vitam agere volo patiendo, ut meis et peccatorum culpis satisfaciam, ut sacerdotes sancti fiant ». Etiam cum obscuritate et ariditate interiore afficiebatur, inito itinere non deerravit, nec fervore caritatis defecit, sed ad voluntatem Dei se conformabat omniaque offerebat ut animis communionis cum Domino et deprecationis donum obtineret. Voluit esse sal terrae (cf. *Mt* 5, 13), qui solvitur, in silentio et in occultatione, ut mundum purificaret et consecraret (cf. *Ez* 16, 4; *Lev* 2, 13); spiritu pauper, res suas et praesertim se ipsam donavit; bonum Christi odorem effudit in familia, in Ephebeo, inter condiscipulas et qui cum ea usum habuerunt. In catechesim tradendam incubuit et in opera caritatis erga pauperes et imprimis erga pueros egenos; libenter sacerdotes adiuvabat in apostolatu. Ex Apostoli hortatione (cf. *Philp* 4, 4) semper est in Domino gavisa statuitque quodlibet ferre gaudium et laetitiam; amicitiam coluit; cum ardore et peritia in variis ludis se exercuit; religiose

pulchris universi rebus est fruita, musica et cantu. In ornili re signa videbat caelestis Patris perfectionis et bonitatis. Non tamen fluxa et caduca ab aeternis non distinxit; unde dicebat se in mundo exsulem se sentire et omnibus viribus optabat magna fieri sancta, iter faciendo ostensum a Sancta Teresia a Iesu, quam matrem suam et magistram putabat. Et quamquam familia nitebatur eam, in circulos inserens, a vocatione carmelitana intervertere, illa tamen, a terrenis aliena, solum rebus animae ac regni superni flagrabat. Eius namque pax et gaudium in solitudine erant, in assidua deprecatione, in aeternarum veritatum meditatione, in voluntaria sui castigatione. Cum iam esset propositum ad effectum adductura, vehementior facta est se immolandi voluntas : « Non Thabor quaero, sed Calvariam. Gratia Dei intellexi vitam Carmelitidis continuam esse abnegationem, non solum carnis, sed et voluntatis et proprii iudicii)) ; simul autem animas intuebatur : « Haec est Carmelitidis vocatio : puram esse hostiam quae continuo se pro mundo peccatore offerat ». Relicta familia, quam tenere amabat, die VII mensis Maii anno MCMXIX ingressa est pauperem et solitarium Carmelum « de los Andes » appellatum, ubi nomen cepit Sororem Teresiam a Iesu. Tandem contenta fuit; dicebat enim se caelum in terra invenisse sibique solum Deum satis esse. Facile Carmeli spiritum imbibit, plenum ostendens erga Dei voluntatem et erga Regulam obsequium, singularem se colligendi facultatem et offerendi, deprecationis amorem et contemplationis, solitudinis cellae, ademptionis et apostolatus precationis suique immolationis. In paupertate, in disciplina et in reiectionibus novae vitae rationis semper parata fuit ad suum ((fiat » pronuntiandum ; sciebat « amore omnia dulcia et levia fieri » ; ideo totam se Deo et Communitati tradidit, quam exemplo virtutum suarum aedificavit cuique servivit uti horti cultrix aliisque humilibus laboribus. Die xiv mensis Octobris eodem anno vestem induit religiosam et novitiatum inchoavit. Animae gaudium vix continendum fuit : « Felix sum nec esse desinam, quia Dei sum ». Eucharistiam contemplans, quam maxima pietate prosequebatur, animadvertit se vocari ad communicandum, in silentio, Redemptoris sacrificium et ad navandam ei operam in regno suo constituendo. Ad hoc spectans, superiorum permissu epistularum commercio utebatur cum multis personis, quas fidei suae luce illuminabat et igne caritatis suae incendebat. Sed iam terrena eius peregrinatio in exitu erat. Per hebdomadam sanctam anni MCMXX typho aegrotavit qui, paucis diebus eam acerbis doloribus laborantem ad supremum vitae

sacrificium adduxit die xn mensis Aprilis, post acceptam pie et laete Unctionem infirmorum et professionem religiosam factam in articulo mortis. Scripserat: « Carmelitidi mors nequaquam terribilis est, sed verae vitae est initium ei, quae currit ad amplexum Eius, quem in terra super omnia amavit; in amorem se mersura vadit in aeternum ». Et statim omnes sibi persuasum habuerunt Venerabilem Servam Dei caelestem Ierusalem ingressam esse cum veste nuptiali cumque lampade accensa. Fama sanctitatis, ultro diffusa apud multos populos, Episcopo Sancti Philippi suasit ut Canonizationis Causam iniret. Actus est igitur processus ordinarius informativus (annis MCMXXXXVII-MCMLXXII) simulque duo processus rogatoriales, indeque processus cognitionalis (annis MCMLXXVI-MCMLXXVIH). Postea faventi cum exitu, de virtutibus Sororis Teresiae a Iesu quaesierunt Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum; die autem xxn mensis Martii anno MCMLXXXVI editum est coram Nobis Decretum super virtutibus. Interim Sancti Iacobi in Chile instructus erat (annis MCMLXXXIV-MCMLXXXV) processus de sanatione quae miraculo facta dicebatur, iuvenis Hectoris Richardi Uribe Carrasco, correpti fibrillatione ventriculari et intermissione respirationis ex emissione electrica, cum detrimento cerebri anoxyco et peripneumonia ex aspiratione. Pro tabulis iudicialibus haec sanatio, deprecationi Venerabilis Servae Dei tributa, a Consilio Medicorum agnita est celérrima, perfecta et constans. Post Congressum Peculiarem Consultorum Theologorum et Congregationem Ordinariam Patrum Cardinalium et Episcoporum, qui sanationem hanc praeter naturam effectam esse affirmaverunt, sivimus Decretum ad hoc pertinens vulgari, quod coram Nobis factum est die XVI mensis Martii anno MCMLXXXVII. Deinde decrevimus ut Beatili - catio fieret inter Nostrum hoc pastorale iter in Chiliam. Hodie igitur, Sancti Iacobi in Chile-, in agro consaepto 0'Higgins vocato, inter sacra haec sumus elocuti : « Acogiendo el deseo de nuestro hermano Manuel Camilo Vial Bisopatrón, Obispo de San Felipe de Aconcagua, y de muchos hermanos en el Episcopado y de numerosos fieles : después de haber oído el parecer de la Congregación para las Causas de los Santos, declaramos con Nuestra Autoridad Apostólica que la Venerable Sierva de Dios Teresa de Jesús de los Andes pueda ser de ahora en adelante llamada Beata y que se podrá celebrar su fiesta en los lugares y del modo establecido por el derecho el día doce de abril, día de su nacimiento para el cielo. En el nombre del Padre y del Hijo

y del Espíritu Santo ». Quae autem statuimus, volumus nunc et in posterum firma sint, rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Sancti Iacobi in Chile, sub anulo Piscatoris, die **III** mensis Aprilis, anno **MCMLXXXVII**, Pontificatus Nostri nono.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 214.513.

II

Sanctus Ioannes de Britto Patronus apud Deum dioecesis Sivagangaiensis in India confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat Sanctum Ioannem de Britto ab Ecclesiae Sivagangaiensis fidelibus egregia pietate coli tamquam exemplar clarissimum Christianae vitae atque magistrum fidei, spei et caritatis. Quare, cum Venerabilis Frater Eduardus Francis, Episcopus eiusdem dioecesis, communia vota cleri populique excipiens, electionem Sancti Ioannis de Britto in Patronum apud Deum Ecclesiae suae rite probaverit atque, datis litteris die xi mensis Decembris superiore anno, petiverit ut electio et approbatio huiusmodi iuxta « Normas de Patronis constituendis » et ad normam « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, confirmarentur, Nos libenti quidem animo istius Pastoris precibus annuendum esse censemus. Iis igitur comprobatis, quae Congregatio pro Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Sanctum Ioannem de Britto Patronum apud Deum dioecesis Sivagangaiensis confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Quod nunc vero auctoritate Nostra sancimus in spirituale quidem cedat bonum filiorum Sivagangaiensium, quos in Christo Domino habemus carissimos. Denique volumus atque mandamus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque nunc et semper obtineant effectus. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx mensis Aprilis, Anno Mariali **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

ffi **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £& Sigilli
In Secret. Status tab., n. 216J,79.

CONVENTIO

INTER SANCTAM SEDEM ET BAVARIAM

ad immutationes quasdam inducendas in Concordatum die XXIX m. Martii a, MCMXXIV initum

ACCORDO

tra la Santa Sede e la Repubblica di Baviera con cui si apportano modifiche ed integrazioni al Concordato con la Baviera del 29 marzo 1924, modificato da ultimo con l'Accordo del 7 luglio 1978.

TRA LA SANTA SEDE,

rappresentata dal suo plenipotenziario, Monsignor Joseph Uhaé, Arcivescovo titolare di Tharros, Nunzio Apostolico nella Repubblica Federale di Germania,

E

LA REPUBBLICA DI BAVIERA,

rappresentata dal Signor Dr. h.c. Franz Josef Strauß, Presidente dei Ministri,

viene concluso il seguente Accordo :

L'attuale indirizzo dell'Università Cattolica di Eichstätt, orientato alla formazione degli insegnanti, ha bisogno di essere modificato in vista dello sviluppo a lungo termine nel numero degli studenti e delle limitate possibilità professionali dei candidati all'insegnamento. All'ente gestore dell'Università deve essere reso possibile, nel quadro della ga-

VERTRAG

zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Freistaat Bayern zur Änderung und Ergänzung des Bayerischen Konkordats vom 29. März 1924, zuletzt geändert durch den Vertrag vom 7. Juli 1978.

ZWISCHEN DEM HEILIGEN STUHL,

vertreten durch dessen Bevollmächtigten, den Apostolischen Nuntius in der Bundesrepublik Deutschland, Joseph Uhac, Titularerzbischof von Tharros,

UND

DEM FREISTAAT BAYERN,

vertreten durch den Ministerpräsidenten Dr. h.c. Franz Josef Strauß,

wird nachstehender Vertrag geschlossen :

Die bisherige Ausrichtung der Katholischen Universität Eichstätt im Schwerpunkt auf die Lehrerbildung soll im Hinblick auf die langfristige Entwicklung der Studentenzahlen und die eingeschränkten Berufschancen von Lehramtsbewerbern geändert werden. Dem Träger der Universität soll ermöglicht werden, im Rahmen der staatlichen Ge-

ranzia statale, di istituire anche dei corsi di diploma, di magistero (Magisterstudiengänge) e di complemento, così come di erigere una Facoltà di Scienze Economiche in Ingolstadt.

Nel desiderio di assicurare così, in maniera stabile, l'attrattività e la capacità funzionale dell'Università Cattolica di Eichstätt, la Santa Sede e la Repubblica di Baviera hanno deciso di adattare il su menzionato Concordato alle nuove esigenze. A tal fine la Santa Sede e la Repubblica di Baviera hanno convenuto su quanto segue :

Gli articoli qui sotto indicati del Concordato fra la Santa Sede e lo Stato Bavarese del 29 marzo 1924, modificato da ultimo con l'Accordo fra la Santa Sede e la Repubblica di Baviera del 7 luglio 1978, ricevono la formulazione seguente :

I. All'art. 5 il § 1 riceve la formulazione seguente :

«§ 1

Lo Stato garantisce l'istituzione ed il funzionamento di una Università Cattolica in gestione ecclesiastica, avente

a) i seguenti corsi di studio a livello scientifico :

— Teologia cattolica,

— altre Scienze umanistiche, come Matematica e Geografia, secondo disposizioni più particolari ad opera di uno scambio di Note tra la Nunziatura Apostolica ed il Governo Bavarese,

— Scienze economiche,

währleistung auch Diplom-, Magister- und Aufbaustudiengänge einzurichten sowie in Ingolstadt eine Wirtschaftswissenschaftliche Fakultät zu errichten.

In dem Wunsche, auf diese Weise die Attraktivität und Funktionsfähigkeit der Katholischen Universität Eichstätt auf Dauer zu sichern, haben der Heilige Stuhl und der Freistaat Bayern beschlossen, das oben erwähnte Konkordat den neuen Erfordernissen anzupassen. Zu diesem Zweck sind der Heilige Stuhl und der Freistaat Bayern wie folgt übereingekommen :

Die nachstehend angeführten Artikel des Konkordats zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Staat Bayern vom 29. März 1924, zuletzt geändert durch den Vertrag zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Freistaat Bayern vom 7. Juli 1978, erhalten folgende Fassung:

I. In Art. 5 erhält § 1 folgende Fassung :

»§ 1

Der Staat gewährleistet die Errichtung und den Betrieb einer Katholischen Universität in kirchlicher Trägerschaft

a) mit folgenden wissenschaftlichen Studiengängen :

— Katholische Theologie,

— Geisteswissenschaften im übrigen sowie Mathematik und Geographie nach näherer Bestimmung durch Notenwechsel zwischen der Apostolischen Nuntiatur und der Bayerischen Staatsregierung,

— Wirtschaftswissenschaften,

b) i seguenti corsi di studio a livello professionale superiore :

— Pedagogia religiosa e attività formativa della Chiesa,
— Materie sociali.

La sede dell' Università Cattolica è Eichstätt. L'ubicazione dei corsi di studio a livello scientifico e di quelli a livello professionale superiore è stabilita mediante scambio di Note tra la Nunziatura Apostolica ed il Governo Bavarese.

L'erezione ed il funzionamento dell'Università Cattolica in gestione ecclesiastica restano garantiti finché ed in quanto essa venga gestita nel quadro delle leggi vigenti per tutti ed a tenore delle speciali norme del presente Accordo ».

II. All'art. 5 il § 2 co. 1 riceve la formulazione seguente :

« § 2

(1) Lo Stato rimborsa all'ente gestore dell'Università Cattolica, dietro sua richiesta, il 90 per cento delle spese effettivamente sostenute (anche per investimenti). Verranno tuttavia prese in considerazione soltanto le spese per un ammontare quale risulta per equiparabili Alte Scuole statali e istituzioni di Alte Scuole statali. Con l'inizio dell'anno che segue l'avvio dell'attività accademica della Facoltà di Scienze Economiche il rimborso delle spese da parte dello Stato si riduce all'85 per cento».

III. All'art 5, § 2 co. 2, e §§ 4 e 5 le parole « Complesso Accademico ecclesiastico » vengono sostituite con le parole « Università Cattolica ».

6) mit folgenden Fachhochschulstudiengängen :

— Religionspädagogik und kirchliche Bildungsarbeit,
— Sozialwesen.

Der Sitz der Katholischen Universität ist Eichstätt. Der Standort der wissenschaftlichen Studiengänge und der Fachhochschulstudiengänge wird durch Notenwechsel zwischen der Apostolischen Nuntiatur und der Bayerischen Staatsregierung festgelegt.

Errichtung und Betrieb der Katholischen Universität in kirchlicher Trägerschaft bleiben gewährleistet, solange und soweit sie im Rahmen der für alle geltenden Gesetze und nach Maßgabe der besonderen Bestimmungen dieses Vertrages unterhalten wird«.

II. In Art. 5 erhält § 2 Absatz 1 folgende Fassung:

»§ 2

(1) Der Staat ersetzt dem Träger der Katholischen Universität auf dessen Antrag 90 vom Hundert des tatsächlichen Aufwandes (auch für Investitionen). Es wird jedoch nur ein Aufwand berücksichtigt, wie er bei vergleichbaren staatlichen Hochschulen und Hochschuleinrichtungen entsteht. Der Aufwendungsersatz des Staates vermindert sich mit dem Beginn des Jahres, das der Aufnahme des Studienbetriebs der Wirtschaftswissenschaftlichen Fakultät folgt, auf 85 vom Hundert«.

III. In Art. 5 § 2 Absatz 2 sowie §§ 4 und 5 werden die Worte »Kirchliche (n) Gesamthochschule« durch die Worte »Katholische (n) Universität« ersetzt.

Questo Accordo, i cui testi italiano e tedesco fanno ugualmente fede, dovrà essere ratificato e gli Strumenti di ratifica dovranno essere scambiati, possibilmente presto, a Bonn-Bad Godesberg.

Esso entra in vigore il giorno dello scambio degli strumenti di ratifica.

In fede di che il presente Accordo è stato sottoscritto.

Fatto in doppio originale.

Monaco, 8 giugno 1988

JOSEPH UHAC

PROTOCOLLO FINALE

Nell'atto di sottoscrivere l'Accordo oggi concluso tra la Santa Sede e la Repubblica di Baviera sono state fatte le seguenti concordi dichiarazioni che costituiscono parte integrante dell'Accordo stesso :

I. Nel Protocollo finale, all'art. 5 § 2, vengono aggiunti commi 3, 4 e 5:

(3) Il rimborso delle spese da parte dello Stato comprende anche le spese dell'ente gestore dell'Università Cattolica, per i professori emeriti, per gli officiali in pensione e per gli altri destinatari di previdenza del medesimo ente.

(4) Il rimborso delle spese per costi di personale non relativi all'organico e per costi di gestione può essere stabilito in maniera forfettaria d'intesa tra lo Stato e l'ente gestore dell'Università Cattolica.

Dieser Vertrag, dessen italienischer und deutscher Text gleiche Kraft haben, soll ratifiziert und die Ratifikationsurkunden sollen möglichst bald in Bonn-Bad Godesberg ausgetauscht werden.

Er tritt mit dem Tag des Austausches der Ratifikationsurkunden in Kraft.

Zu Urkunde dessen wurde dieser Vertrag unterzeichnet.

Geschehen in doppelter Urschrift.

München, 8. Juni 1988

FRANZ JOSEF STRAUSS

SOHLUßPROTOKOLL

Bei der Unterzeichnung des am heutigen Tage zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Freistaat Bayern geschlossenen Vertrages sind folgende übereinstimmende Erklärungen abgegeben worden, die einen integrierenden Bestandteil des Vertrages bilden:

I. In das Schlußprotokoll zu Art. 5 § 2 werden folgende Absätze 3, 4 und 5 eingefügt:

(3) Der Aufwendungsersatz des Staates umfaßt auch die Ausgaben des Hochschulträgers für die emeritierten Professoren, die Ruhestandsbeamten und die sonstigen Versorgungsempfänger des Trägers der Katholischen Universität.

(4) Der Aufwendungsersatz für nicht auf Personalstellen bezogene Personalkosten und für Sachkosten kann einvernehmlich zwischen dem Staat und dem Träger der Katholischen Universität pauschal festgelegt werden.

(5) Lo Stato rimborsa F 85 per cento delle spese per i costi (anche di investimenti) relativi alla preparazione dello svolgimento dei corsi della Facoltà di Scienze Economiche, in quanto la spesa sia fatta dopo il conferimento dell'incarico di progettazione per la ristrutturazione dell'edificio destinato alla Facoltà di Scienze Economiche.

II. Nel Protocollo finale, all'art. 5 § 1, all'art. 5 § 2, all'art. 5 §§ 1 e 2, all'art. 5 § 5, le parole « Complesso Accademico ecclesiastico » vengono sostituite con le parole « università Cattolica » ; e all'art. 5 §§ 1 e 2, le paróle « ed anche di quelli esclusi dal medesimo § 1 » vengono soppresse.

Monaco, 8 giugno 1988

JOSEPH UHAC

(5) Für die zur Vorbereitung des Studienbetriebs der Wirtschaftswissenschaftlichen Fakultät anfallenden Kosten (auch für Investitionen) leistet der Staat Aufwendungsersatz in Höhe von 85 vom Hundert, soweit der Aufwand nach der Erteilung des Planungsauftrags für den Umbau des Gebäudes für die Wirtschaftswissenschaftliche Fakultät anfällt.

II. Im Schlußprotokoll zu Art. 5 § 1, zu Art. 5 § 2, zu Art. 5 §§ 1 und 2, zu Art. 5 § 5 werden die Worte » Kirchliche (n) Gesamthochschule« durch die Worte »Katholischein) Universität« ersetzt und im Schlußprotokoll zu Art. 5 §§ 1 und 2 die Worte »auch von den in § 1 ausdrücklich ausgeschlossenen« gestrichen.

München, 8. Juni 1988

FRANZ JOSEF STRAUSS

Conventione inter Apostolicam Sedem et Bavariam rata habita, die XXII, mense Iulio, anno MCMLXXXVIII Ratihabitionis Instrumenta accepta et reddita mutuo fuerunt. Exinde, ab eodem die, huiusmodi Conventio inter Apostolicam Sedem et Bavariam pacta vigere coepit secundum quod in eadem Pactione statutum est.

HOMILIA

In Petriana basilica habita die Pentecostes, Mariali anno volvente.*

1. ((Essi furono tutti pieni di Spirito Santo »-[1]

Questo è il giorno *(haec est Dies),* in cui la potenza del mistero pasquale si manifesta nella nascita della Chiesa.

Questo è il giorno, in cui davanti a Gerusalemme — davanti agli abitanti della Città e ai pellegrini — si compiono le parole rivolte da Gesù agli Apostoli dopo la risurrezione : « Ricevete lo Spirito Santo)).[2]

Leggiamo negli Atti degli Apostoli : « Furono tutti pieni di Spirito Santo e cominciarono a parlare in altre lingue come lo Spirito dava loro il potere di esprimersi ».[3]

In questo discorso, subito compreso da coloro che l'ascoltavano, pur provenienti da diversi paesi del mondo di allora, si esprime l'inizio della missione : « Come il Padre ha mandato me, anch'io mando voi »,[4] ((Andate dunque in tutto il mondo e ammaestrate tutte le nazioni ».[5]

Sin dal giorno della sua nascita, la Chiesa porta in sé la missione del Figlio e dello Spirito Santo, e, in virtù dello Spirito di verità, lo Spirito-Paraclito, perdura in essa la missione del Figlio : il Vangelo dell'eterna salvezza.

2. ((Li udiamo annunziare nelle nostre lingue le grandi opere di Dio))[6] — esclamano colmi di stupore i partecipanti alla Pentecoste di Gerusalemme.

« Quanto sono grandi, Signore, le tue opere, ... / la terra è piena delle tue creature ... / Mandi il tuo Spirito, sono creati / e rinnovi la faccia della terra ».[7]

Tuttavia, « la grande opera di Dio », che gli Apostoli annunziano il giorno di Pentecoste — per mezzo di Pietro — porta solamente un nome : « Gesù Cristo ». E vi è una sola espressione della potenza di Dio, manifestatasi in mezzo a noi : « Gesù è Signore ».[8]

* Die 22 m. Maii a. 1988.

[1] *At* 2, 4.

[2] *Gv* 20, 22.

[3] *Ibid.* 2, 4.

[4] *Ibid.* 20, 21.

[5] *Mt* 28, 19.

« *At 2,* 11.

[7] *Sal* 103 [104], 24. 30.

» *1 Cor* 12, 3.

Questa grande — la più grande — opera di Dio nella storia della creazione e nella storia dell'uomo è legata al nome di Gesù di Nazaret, il Figlio di Dio che « spogliò se stesso, assumendo la condizione di servo, che si è fatto obbediente fino alla morte, e alla morte di Croce, che è stato esaltato da Dio e a cui Dio ha dato il nome che è al di sopra di ogni altro nome : Gesù Cristo è il Signore, a gloria di Dio Padre ».[9]

Signore — *Kyrios* — significa Dio (Adonai).

Proprio questa verità, questa « grande — la più grande — opera di Dio » viene annunziata da Pietro il giorno di Pentecoste. Egli parla per virtù dello Spirito Santo. «... Così nessuno può dire: "Gesù è Signore" se non sotto l'azione dello Spirito Santo)).[10]

3. Sin dal giorno della Pentecoste di Gerusalemme la Chiesa pronuncia questa verità salvifica : « Gesù è Signore ». Essa viene annunziata dagli Apostoli, accolta dagli ascoltatori di diversi popoli e nazioni della terra. Essi confessano : ((Gesù Cristo — il crocifìsso e risorto —- è Signore » !

Sin dal giorno di Pentecoste, in virtù dello Spirito Santo — che dà la vita— inizia la peregrinazione nella fede del nuovo Israele, del popolo messianico.

La dignità di figli di Dio, nei cui cuori lo Spirito Santo dimora come in un tempio, è divenuta l'eredità di questo popolo. Il comandamento nuovo di amare, come Cristo ci ha amati,[11] è diventato la sua legge. Il regno di Dio iniziato sulla terra da Dio stesso — è diventato il suo fine. Così insegna il Concilio Vaticano II: ((...il popolo messianico, pur non comprendendo in atto tutti gli uomini, e apparendo talora come un piccolo gregge, costituisce per l'umanità un germe validissimo di unità, di speranza e di salvezza ».[12]

«La Chiesa è in Cristo come un sacramento ... dell'intima unione con Dio ».[13]

4. Sin dalla Pentecoste dello scorso anno 1987 abbiamo iniziato un periodo particolare nel pellegrinaggio della Chiesa-Popolo di Dio su tutto l'orbe della terra. Esso è stato chiamato ((Anno Mariano », per indicare come un tempo d'Avvento prima dell'inizio del terzo millennio dopo Cristo.

[9] Cf. *FU* 2, 7 — 9. 11.

[10] *1 Cor* 12, 3.

[11] Cf. *Gv* 13, 34.

[12] *Lumen gentium,* 9.

[13] *Ibid.* 1.

Tra tutti coloro che in virtù dello Spirito Santo furono in grado di pronunciare il nome « Gesù » (((Gesù è Signore ») — Maria fu la prima. E questo si compì il giorno dell'annunciazione, quando lo Spirito Santo discese su di Lei nel segreto della casa di Nazaret. Divenendo nella sua verginità, in virtù di questo Spirito, Madre del Figlio di Dio, accolse mediante la fede tutto il mistero di Lui, così com'era annunziato sin dall'inizio, sin dal protovangelo nel Libro della Genesi e durante la storia del Popolo di Dio nell'Antica Alleanza — dai Profeti : ((Lo Spirito Santo scenderà su di te, su te stenderà la sua ombra la potenza dell'Altissimo. Colui che nascerà sarà dunque santo e chiamato Figlio di Dio)).[14]

5. Da quel momento, dall'annunciazione a Nazaret, Maria — come proclama il Concilio — « avanzò nella peregrinazione della fede e serbò fedelmente la sua unione col Figlio sino alla Croce, dove, non senza un disegno divino, se ne stette soffrendo profondamente ... e associandosi con animo materno ai sacrificio di Lui, amorosamente consenziente all'immolazione della vittima da lei generata ».[15]

Sotto la Croce il « fiat » di Maria (« avvenga di me »), pronunciato al momento dell'annunciazione, ha raggiunto il suo zenit in virtù dello Spirito Santo : il « fiat » dell'incarnazione si è fatto sentire in tutta la maturità della fede della Madre di Dio al centro del mistero della Redenzione del mondo. ((Beata te, che hai creduto ».[16]

Questo ((fiat », suscitato dalla potenza dello Spirito Santo, costituisce anche quasi l'ultima preparazione alla piena manifestazione della stessa potenza, operata nella nascita della Chiesa.

Ed ecco: «...vediamo gli Apostoli prima del giorno della Pentecoste "perseveranti d'un sol cuore e nella preghiera con le donne e Maria, madre di Gesù" ».[17] Vediamo dunque ((Maria implorante con le sue preghiere il dono dello Spirito che l'aveva già ricoperta nell'annunciazione ».[18]

6. Il Concilio Vaticano II esprime con queste parole il legame che esiste organicamente tra la discesa dello Spirito Santo sulla Vergine nell'annunciazione a Nazaret, e la sua discesa sugli Apostoli nel giorno di Pentecoste.

[14] *Le* 1, 35.

[15] *Lumen gentium,* 58.

[16] Cf. *Lc* 1, 45.

[17] *Lumen gentium,* 59.

[18] *Ibid.* 59.

Se la Chiesa guarda alla Vergine come alla sua « figura », lo fa perché in Lei per prima sono state compiute dallo Spirito Santo quelle «grandi opere di Dio», che, sin dal giorno di Pentecoste, sono diventate la parte della Chiesa : della sua consapevolezza e della sua missione mediante la fede.

La fede di Maria è divenuta per la Chiesa quasi la « stella polare » sulla via lungo la quale essa procede, iniziando dal cenacolo di Gerusalemme, attraverso le generazioni e i secoli. Perciò anche la solennità di Pentecoste è stata scelta come il giorno dell'inaugurazione dell'« Anno Mariano » della Chiesa.

7. Oggi desideriamo non solo ricordare quella inaugurazione, ma — ricollegandoci ad essa — desideriamo allo stesso tempo rendere nuovamente presente il legame che esiste tra la nascita della Chiesa e la fede della Madre di Dio. La Chiesa contemplandoLa « alla luce del Verbo fatto uomo, con venerazione penetra più profondamente nell'altissimo mistero dell'Incarnazione e si va ognor più conformando col suo Sposo ».[19] Si potrebbe aggiungere : la Chiesa allo stesso tempo penetra sempre più profondamente nel suo proprio mistero, in questa realtà divino-umana che lo Spirito Santo, Divino paraclito, per opera della Croce e risurrezione di Cristo crea sempre di nuovo nei cuori degli uomini e allo stesso tempo nel profondo della storia dell'uomo sulla terra —: quanto contorta e a volte ingarbugliata, quanto anche esposta all'azione del « principe di questo mondo » e alle molteplici debolezze di ognuno e di tutti.

8. E per questo anche, lungo il suo cammino attraverso la storia dell'umanità, la Chiesa pronuncia — oggi e ogni giorno — le seguenti parole :

«Vieni! / Vieni, Santo Spirito... / Vieni, padre dei poveri... / Vieni, luce dei cuori ... / Vieni, datore della grazia che salva ... / Vieni, luce ... / invadi nell'intimo il cuore degli uomini ... / Piega ciò che è rigido, / scalda ciò che è gelido ... / Guida coloro che si sono sviati ... / Lava ... / infondi coraggio / sana le ferite dei cuori ... / *Sine Tuo Numine / nihil est in homine / nihil est innoxium ... ».*

9. Così la Chiesa prega, oggi e ogni giorno. Maria prega insieme con la Chiesa, così come nel Cenacolo, prima del giorno di Pentecoste.

Lo Spirito Santo ha fatto sì che Ella fosse in modo particolare presente nel mistero di Cristo e della Chiesa. In tutta la peregrinazione

" ***Lumen gentium,*** **65.**

della fede del Popolo di Dio, tra tutte le nazioni della terra. Per questo Popolo Ella «brilla... quale segno di sicura speranza e di consolazione)).[20] E perciò — anche oggi — sentiamo la Madre di Dio particolarmente unita con la Chiesa mediante le parole, piene di lode, del « Magnificat » : « Grandi cose ha fatto in me l'Onnipotente e Santo è il suo nome ».[21]

« Grandi cose »... « grandi opere di Dio »...

Maria — e la Chiesa nascente nel giorno di Pentecoste : gli apostoli, i discepoli, le donne radunati nel Cenacolo ...

Non hanno detto i partecipanti a questo evento in Gerusalemme: « Li udiamo annunziare nelle nostre lingue le grandi opere di Dio »? ... magnalia Dei !

EPISTULAE

I

Cunctos ad Ecclesiae Presbyteros redeunte iam anno MCMLXXXVIÏI feria V in Cena Domini.

Carissimi in sacerdotio Fratres!

1. In Cenaculum nos hodie revertimur omnes. Tot huius terrae in locis sacras circum aras collecti celebramus peculiari omnino modo Ultimae Cenae memoriam illam intra Populi Dei communitatem cui iure deservimus. In vespertino ritu ipsius Feriae Quintae in Cena Domini voces Christi « in vigilia passionis » prolatae nostris resonant in labiis haud secus atque aliis singulis diebus, verumtamen novo quodam modo, habita videlicet ratione illius Vesperae unicae quae ab Ecclesia *hoc ipso die* commemoratur.

Sicut Dominus noster eodemque tempore *in persona Christi* verba enuntiamus : « Accipite, comedite : *hoc est corpus meum...* bibite ex hoc omnes: *hic est* enim *sanguis meus)).* Sic enim ipse nobis praecepit Dominus, cum apostolis dixit: ((Hoc facite in meam commemorationem » *(Lc* 22, 19).

Quod dum nos vicissim agimus, nostra vivum in mente cordeque tenere debemus *totum incarnationis mysterium.* Qui feria illa quinta de suo corpore nuntiavit: « tradetur », suoque

[20] *Ibid.* 68.

[21] Cf. *Lc* 1, 49.

de sanguine : « effundetur », aeternus est Filius qui mundum Ingrediens Patri dicit: ***a*** *corpus autem aptasti mihi..., ut faciam, Deus, voluntatem tuam » {Heb* 10, 5-7).

Illud nominatim Pascha appropinquat in quo Dei Filius, veluti orbis Redemptor, Patris complebit voluntatem per oblationem et *sui Corporis sanguinisque sui immutationem* in Calvariae loco. Hoc namque sacrificio « per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa » *{Heb* 9, 12). Siquidem « novi et aeterni » est Foederis hoc sacrificium. Arcte quidem coniungitur nempe illud cum incarnationis mysterio: Verbum, quod caro est factum (cfr. *Io I,* 14), suam offert naturam humanam tamquam « homo assumptus » in personae divinae unitate.

Hoc vero anno, qui universa ab Ecclesia traducitur uti Annus Marialis, decet memorari, cum de Eucharistiae institutione sermo sit simulque sacerdotii sacramenti, ipsius Incarnationis veritatem. Eam quippe effecit *Spiritus Sanctus in Virginem Nazarethanam superveniens,* haec cum Angelo nuntianti suum « fiat » respondens reddidisset (cfr. *Lc* 1, 38).

> <(Ave verum corpus natum de Maria Virgine
> vere passum immolatum
> in cruce pro homine ».

Ita idem profecto corpus! Eucharistiam cum celebramus nos sacerdotali fungentes ministerio nostro, praesens redditur Verbi incarnati mysterium, Filii consubstantialis Patri, qui uti homo « natus ex muliere » filius est Virginis Mariae.

2. Ultimae Cenae tempore adfueritne Christi Mater in Cenáculo necne haud constat. In Calvariae tamen monte Cruci adstabat, « ubi » — sicut tradit Concilium Vaticanum Secundum — « non sine divino consilio stetit (cfr. *Io* 19, 25), vehementer cum Unigenito suo condoluit et sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens Tam longe sese propulit illud a Maria annuntiationis tempore « fiat » declaratum.

Quotiens ergo *in persona Christi* agentes sacramentum peragimus unius eiusdemque sacrificii, cuius est ac remanet

[1] **Const. dogm.** ***Lumen Gentium,*** **58.**

unicus Christus ipse sacerdos et unica victima, *oblivisci nullo modo huius debemus participati Matris doloris,* in qua sermones sunt impleti quos Simeon in templo Hierosolymitano pro tulerat : « tuam ipsius animam pertransiet gladius » *(Lc* 2, **35).** Recte hae voces ad Mariam sunt dictae quadraginta post diebus quam ortus erat Iesus. In Calvariae loco sub Cruce ad extremum usque completi iidem sunt sermones. Cum ipsius in Cruce Filius sese iam omni cum plenitudine aperiret veluti « signum, cui contradicetur », eius modi immolatio, haec nempe Filii mortalis agonia, maternum quoque Mariae attigit animum.

En, cruciatus Matris animi quae illo patiebatur, « victimae de se genitae immolationi amanter consentiens ». Summum hic pervenitur ad *culmen Mariae praesentiae in mysterio Christi atque Ecclesiae in terris.* Invenitur hoc culmen in via ipsa «peregrinationis fidei», de qua peculiarem mentionem facimus et cura habemus hoc Anno Mariali.[2]

Cari Fratres: cui denique magis quam nobismet ipsis est opus fide alta et inexpugnabili, nobis id est qui ob ipsam in Cenáculo incohatam successionem apostolicam sacramentum celebramus Christi sacrificii? Ideo sine intermissione altius pervestigetur oportet spiritalis nostra coniunctio cum Dei Matre quae *in fidei peregrinatione « anteit » universo Dei Populo.*

Ac praesertim, cum Eucharistiam celebrantes cotidie deversamur in Calvariae loco, necesse est Illa nobis proxima adsit quae heroicam per fidem in summum perduxit suam cum Filio consociationem, ibi omnino in Calvaria.

3. Ceterum, nonne reliquit nobis Christus peculiarem hac de re significationem? Ecce, animam iam in Cruce agens verba expressit vim quae nobis adferunt tamquam testamenti. « Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, *dicit matri: "Mulier, ecce filius tuus". Deinde dicit discipulo: " Ecce mater tua".* Ex illa hora accepit eam discipulus in sua » *(Io* 19, 26-27).

Discipulus ille, Ioannes apostolus, una erat cum Christo Ultimae Cenae tempore. Ad « duodecim » enim pertinebat qui-

[2] Cfr. Litt. Enc. *Redemptoris Mater,* 30: *AAS* 79 (1987), p. 402.

bus et verba Eucharistiae institutionis et mandatum pronuntiavit Magister: «Hoc faci te in meam commemora tionem ». Accepit ideo sacrificii eucharistici potestatem celebranda quod in Cenáculo est institutum in Passionis pervigilio ceu sacramentum Ecclesiae sanctissimum.

Iam vero propria impendente morte suam huic discipulo commendavit Iesus Matrem. Ioannes « accepit eam ... in sua » : primam ipsam veluti testem suscepit incarnationis mysterii. Et ipse deinde uti evangelista ratione quam altissima simulque etiam simplicissima veritatem explicavit de Verbo quod « caro factum est et habitavit in nobis » *(Io* 1, 14) : veritatem scilicet incarnationis atque ipsius Emmanuelis veritatem.

Accipiens vero sic « in sua » Matrem quae Cruci adsistebat Filii, eodem tempore recepit *id omne quod in ipsa erat supra Calvariae montem,* nempe quod ipsa « vehementer cum Unigenito suo condoluit et sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens ». Hoc autem totum — tota nempe *experientia* iam humanas excedens vires *sacrificii nostrae redemptionis in animo Matris ipsius Christi Redemptoris insculpta* — illi creditum viro est qui in Cenáculo potestatem acceperat hoc sacrificium reddendi iterum praesens per sacerdotale Eucharistiae ministerium.

Nonne eloquentiam hoc maximam cuique nostrum exhibet? Si quo certo sensu adsistens Cruci ipse Ioannes personam omnium sustinet hominum, cuiusque scilicet viri ac mulieris, quibus Matris Dei spiritali ratione offertur maternitas, quanto illud magis ad nostrum unumquemque valet, quippe sacramentali via qui vocati simus ministerium ad sacerdotale Eucharistiae in Ecclesia!

Animum revera conturbai Calvariae veritas, Christi nempe in mundi salutem sacrificii! Perturbat pariter *Dei mysterium,, cuius sumus in sacramentali ordine ministri* (cfr. *1 Cor* 4, 1). Nonne tamen periculum nobis minatur ut satis simus ministri digni? Periculum porro ut consentanea cum fidelitate Eucharistiam celebrantes nos praebeamus prope Christi Crucem?

Proximi ideo huic esse Matri studeamus cuius in animo via quadam unica et incomparabili mysterium inscribitur mundi salutis.

4. « Beata autem Virgo divinae maternitatis dono et munere, quo cum Filio Redemptore unitur, ... etiam cum Ecclesia intime coniungitur » — praedicat Concilium pergitque *«Deipara est Ecclesiae typus,* ut iam docebat S. Ambrosius, in ordine scilicet fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis. In mysterio enim Ecclesiae, quae et ipsa iure mater vocatur et virgo, Beata Virgo Maria praecessit, eminenter et singulariter tum virginis tum matris exemplar praebens ».[3]

Ac paulo quidem post conciliare documentum hanc enucleat typologicam similitudinem: « Iamvero *Ecclesia,* eius arcanam sanctitatem contemplans et caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens, per verbum Dei fideliter susceptum *et ipsa fit mater:* praedicatione enim ac baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat. *Et ipsa est virgo,* quae fidem Sponso datam integre et pure custodit». Propterea Ecclesia « imitans Domini sui Matrem, virtute Spiritus Sancti, virginaliter servat integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem ».[4]

Apud Crucem in Calvariae loco Mariam «accepit ... discipulus in sua » sibi nempe a Christo demonstratam verbis iis: « Ecce mater tua ». Concilii autem docet magisterium quantopere *Ecclesia universa* Mariam « in sua » susceperit, quam penitus etiam huius Matris Virginis mysterium ad Ecclesiae pertineat mysterium intimamque eius veritatem.

Praecipuum aliquod pondus adferunt haec omnia et momentum singulis filiis Ecclesiae filiabusque. *Quae cuncta peculiarem nobis quoque inferunt significationem,* utpote qui sacramentali Presbyteratus signo iam simus notati, qui licet « hierarchicus » sit, simul tamen « ministerialis » est ad Christi exemplar, primi hominum salutis famuli.

Si vero in Ecclesia omnes — viri et feminae qui per baptismum sacerdotis communicant Christi munus — commune obtinent « regale sacerdotium » de quo Petrus loquitur Apostolus *(1 P t* 2, 9), ad se similiter referant* omnes oportet Constitutionis conciliaris voces supra adlatas; quae nihilo minus ad nos peculiari spectant modo.

[3] Const. dogm. *Lumen Gentium,* 63.

[4] *Ibid.* 64.

Maternitatem Ecclesiae — ad Mariae exemplar maternitatis — percipit *in eo* Concilium *quod ipsa* « filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat ». Ubi quasi quandam vocis comprehendimus imaginem reboantem Sancti Pauli sermonum de filiis nempe quos iterum ille parturit (cfr. *Gal* 4, 19), haud secus ac vera parturit mater. Cum autem in *Epistula ad Ephesios* de Christo legimus Sponso qui suum veluti corpus « nutrit et fovet » Ecclesiam (5, 29), facere sane non possumus quin hanc Christi sponsalem coniungamus sollicitudinem cum cibi eucharistici dono, quod tot conferri potest cum matrum curis quibus « nutriunt et fovent » partus.

In mentem redigi nimirum interest biblicas locutiones illas, quo maternitatis Ecclesiae veritas secundum Dei Matris speciem propius ad conscientiam nostram sacerdotalem moveatur. Quodsi nostrum quisque vivendo *spiritalem maternitatem* implet masculina potius ratione tamquam « *Spiritus paternitatem* », Maria hac in re, uti Ecclesiae typus, suas agit partes. Atque prolati superius commonstrant loci quam alte demum partes illae inscriptae intimis sint in rationibus ipsis sacerdotalis nostri ac pastoralis ministerii. Nonne Pauli similitudo « parturiendi » nobis omnibus adhaeret multis in vitae casibus, quibus implicamur ipso in opere *« generationis » et « regenerationis »* hominis per Spiritus virtutem datoris videlicet vitae? Experimenta quae hic fiunt vehementiora sane confessarii ipsi habent diversissimis in orbis locis neque ii dumtaxat.

Appropinquante igitur Feria Quinta in Cena Domini ab integro est rursus haec altius perscrutanda arcana veritas vocationis nostrae: haec nempe « paternitas in Spiritu » quae humana quidem ratione ad maternitatem accedit. Ceterum: nonne Deus Conditor ac Pater eandem ipse instituit similitudinem suum inter amorem ac matrum humanarum (cfr. *Is* 49, 15; 66, 13)? Agitur proin de personae sacerdotalis nostrae proprietate cuius testatur *apostolicam maturitatem fecunditatemque spiritalem.* At si universa «Ecclesia a Maria ... etiam propriam discit maternitatem »,[5] idem nonne et nos facere

[5] Cfr. Litt. Enc. *Redemptoris Mater,* 43: *AAS* 79 (1987), p. 420.

oportet? Qua de causa cuique est nostrum necesse « eam accipere in sua », perinde ac Ioannes apostolus ipsam in Calvariae receperat loco, ut singuli nempe nos Mariam sinamus « intra » habitare proprium sacramentale sacerdotium, veluti matrem et illius <(sacramenti magni » (cfr. *Eph* 5, 32) mediatricem cui vita ipsa nostra servire cupimus.

5. *Mater Virgo est Maria* atque Ecclesia ad ipsam se conferens tamquam proprium typum ibidem sese agnoscit quoniam et illa vicissim «mater vocatur et virgo ». Virgo idcirco est quandoquidem « *fidem Sponso datam integre et pure custodit)).* Secundum doctrinam vero in *Epistula ad Ephesios* traditam (cfr. 5, 32) Christus Ecclesiae est sponsus. Sponsalis autem redemptionis vis quemque impellit nostrum ut fidelitatem erga hanc adservemus vocationem, qua redditi participes sumus salutiferi Christi muneris — sacerdotis prophetae ac regis.

Inter Ecclesiam comparatio ac Mariam Virginem aliquid nobis eloquenter nimirum nuntiat qui nostram *sacerdotalem vocationem cum caelibatu* consociamus, id est ut « nos ipsos castremus propter regnum caelorum ». Memoria quidem teneamus cum apostolis collocutionem ubi electionis istius explicavit iis significationem (cfr. *Mt* 19, 12) studeamusque rei causas funditus pervidere. Libere quidem coniugio renuntiamus, libere nostram condere recusamus familiam, quo melius Deo famulemur fratribusque. Dici possumus paternitatem nos declinare « secundum carnem » ut maturescat in nobis paternitas augescatque « secundum spiritum », quae — ut est iam dictum — simul maternas quoque possidet qualitates. Virginalis erga Sponsum fidelitas, suam peculiarem quae detegit testificationem hac ipsa in vitae forma, nobis vicissim intimam permittit communicare Ecclesiae vitam quae Virginis sectata exemplar operam sedulo dat ut « fidem Sponso datam integre et pure » custodiat.

Hoc propter exemplar — ita profecto, ipsum prototypum quem in Maria reperit Ecclesia — *electio sacerdotalis nostra caelibatus omnem in vitam deponatur eius in corde* oportet. Ad hanc est Matrem Virginem decurrendum, obvii cum fimus

in via destinata difficultatibus. Eius adhibita ope conquirere nobis necesse est altiorem usque viae huius intellegentiam necnon declarationem illius usque pleniorem nostris in animis. Opus denique est illam effici in nostra vita paternitatem « secundum spiritum » quae unus fructuum sit cum quis « se castra veri t propter regnum caelorum ».

Ex Maria pariter, quae singularem prae se fert « perfectionem » ipsius « mulieris » biblicae apud *Protoevangelium* (cfr. *Gn* 3, 15) atque *Apocalypsim* (12, 1), contendamus *adsequi facultatem convenientis cum feminis necessitudinis* tum etiam adfectionem erga eas *testatam ipso a Iesu de Nazareth.* Cuius rei documenta tot detegimus in Evangelii locis. Hoc argumentum magni quidem momenti est in cuiusque sacerdotis vita et Annus Marialis suadet ut iterum suscipiatur peculiariterque inspiciatur. Suam ipsius ob vocationem suumque ministerium novo quodam pacto aperire debet sacerdos *quaestionem dignitatis et vocationis* feminarum tum in Ecclesia tum in huius temporis orbe. Usque ad intimas partes intellegendum ei est quid nobis universis dicere voluerit Christus, cum sermocinaretur cum Samaritana (cfr. *Io* 4, 1-42), cum adulterami lapidibus iamiam interituram tueretur (cfr. *Io* 8, 1-11), cum testimonium ei redderet cui condonata multa erant peccata quandoquidem amaverat multum (cfr. *Lc* 7, 36-50), cum inter Mariam colloqueretur ac Martham Bethaniae (cfr. *Lc* 10, 38-42; *Io* 11, 1-44) et postremo, cum feminis ipsis prius quam reliquis cunctis « bonum nuntium » suae resurrectionis paschalem aperiret (cfr. Mt 28, 1-10).

Iam inde ab apostolorum aetate munus Ecclesiae multiplici quidem modo *a viris ac feminis* est participatum. Nostris vero diebus post Concilium Vaticanum Secundum haec res ipsa secum etiam infert novam quandam appellationem cuique nostrum destinatam, si quidem Sacerdotium quod varias complemus apud Ecclesiae communitates revera esse vult ministeriale ideoque apostolica ratione efficax fructuosumque.

6. Congressi nos hodie, Feria Quinta in Cena Domini, ad ipsius ortus locum Sacerdotii nostri gestimus iam significationem eius intime denuo retractare per opticum ipsum vitrum

conciliaris doctrinae de Ecclesia eiusque munere. Matris Dei species hanc pertinet etiam ad doctrinam tota in eius summa. Hinc quoque proficiscuntur huius considerationis sententiae.

E Crucis fastigio loquens in Calvariae monte discipulo Christus dixit: «Ecce mater tua». Atque-recepit eam discipulus ((in sua » veluti Matrem. *Mariam inducamus etiam nos uti matrem in interiora « nostra » Sacerdotii nostri.* Nos enim aequabiliter adnumeramur « fidelibus nempe, ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur » Dei Mater.[6] Certo quodam pacto nobis ita peculiare « ius » est huius ipsius amoris propter Cenaculi mysterium. Dicebat namque Iesus: « Iam non dico vos servos vos autem dixi amicos » *(Io* 15, 15). Hac sine « amicitia » cogitatu perquam difficile est eum nobis credidisse post apostolos sui Corporis Sanguinisque Sacramentum, suae redimentis mortis ac resurrectionis sacramentum, ut suo nos nomine ineffabile hoc celebraremus sacramentum, quin immo *in persona Christi.* Dempta praecipua hac « amicitia » arduum item cogitare est vesperam Paschatis illam, cum Resuscitatus sese apostolis videndum praebuit eisque nuntiavit : « Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis; quorum retinueritis, retenta sunt » *(Io* 20, 22-23).

Talis vero obligat amicitia. Sanctum talis amicitia incutere debet timorem acrioremque officiorum nostrorum conscientiam, alacritatem maiorem dedendi ex se ea omnia quae Deo adiuvante tribui possunt. In Cenáculo porro huius modi amicitia altis quidem firmata radicibus est ipsa Paracliti pollicitatione : « Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quae dixi vobis ... ille testimonium perhibebit de me; sed et vos testimonium perhibetis » *(Io* 14, 26; 15, 26-27).

Christi *amicitia indignos nos semper esse arbitramur.* At sanctum excolere nos convenit timorem ne fideles ei persistere aliquando cessemus.

Explorata haec omnia et cognita habet Christi Mater. Plane enim intellexit quid sibi voces vellent a Filio enuntiatae animam in Cruce exhalante : « Mulier, ecce filius tuus ... Ecce

[6] Cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium,* 6B.

mater tua». Ad ipsam dirigebantur et ad discipulum, eorum scilicet unum quibus in Cenáculo dixerat Christus : « Vos amici mei estis » *(Io* 15, 14) : ad Ioannem nominatim eosque omnes qui per Ultimae Cenae arcanum eandem communicant « amicitiam ». *Dei Mater,* quae — ut docet Concilium — materno amore cooperatur ad gignendos et educandos eos omnes qui fratres Filii eius fiunt quique ipsius sunt facti amici, *quantum poterit praestabit ut hanc valeant ei sanctam adservare amicitiam,* ut pares ei semper esse possint.

7. Una porro nos cum Ioanne apostolo et evangelista oculos rursus animi nostri *ad « mulierem amictam sole »* convertamus quae in eschatologico Ecclesiae orbisque termino comparet apud Librum *Apocalypsis* (cfr. 12, Is). In ea haud difficulter eadem forma deprehenditur quae historiae principio hominum post originariam labem praenuntiata tamquam Servatoris Mater est (cfr. *Io* 3, 15). In *Apocalypsi* cernimus illam hinc veluti excelsam mulierem inter visibilia creata illinc vero ut ipsam quae *interesse pergit certamini spiritaH ad boni victoriam de malo.* Hoc geritur ab Ecclesia certamen, quae cum Matre Dei coniungitur sicut proprio cum « exemplari », « adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in caelestibus », quem ad modum in *Epistula ad Ephesios* legitur (6, 12). Cuius quidem certationis spiritalis initium ab eo ipso repetitur tempore quo homo « suadente Maligno ... libertate sua abusus est, seipsum contra Deum erigens et finem suum extra Deum attingere cupiens ».[7] Dici itaque *homo* potest, obcaecatus spe illa fore ut ultra creaturae modum, quae erat, extolleretur (ex verbis temptatoris : « eritis sicut Deus » : cfr. *Gn* 3, 5), veritatem suae exsistentiae quaerere desiisse suaeque progressionis in Illo qui est « primogeni tus omnis creaturae » *(Col* 1, 15) atque simul cessa visse hanc creaturam seque ipsum in Christo dedere Deo ex quo omne capit originem. *Amisit homo conscientiam sacerdotem esse sese totius adspectabilis orbis,* quem videlicet ad semet convertit unum ac solum.

P roto evangelii verba ad Sacrarum Scripturarum initium dicta atque *Apocalypsis* ad terminum, idem referuntur ad certamen quo distringi tur homo. Intra prospectum vero spiritalis

[7] Cfr. Const. past. *Gaudium et Spes,* 13.

huius pugnae, quae progrediente historia pugnatur, Filius mulieris orbis Redemptor est. Quae redemptio per sacrificium peragitur quo Christus — novi aéternique testamenti mediator — « per proprium sanguinem ... introivit semel in Sancta » recludens in Patris domo apud ipsam' Trinitatem Sanctissimam iis spatium destinatum « qui vocati sunt aeternae hereditatis » (cf. *Heb* 9, 12. 15). Idcirco omnino Christus cruci adfixus ac resuscitatus est « pontifex futurorum bonorum » *(Heb* 9, 11) *eiusque sacrificium novam significavit spiritalis historiae directionem hominis ipsius ad Deum,* Creatorem ac Patrem, in quem universae creaturae primogenitus omnes in Spiritu Sancto adducit.

Nobis permittit sacerdotium, cuius principium in Ultimam Cenam incidit, ut necessariam hanc mutationem spiritalis hominum historiae simul etiam geramus. Nam in Eucharistia redemptionis exhibemus sacrificium, idem profecto quod « per proprium sanguinem » obtulit in Cruce Christus. Per hoc porro sacrificium nos sacramentales ipsius dispensatores, una videlicet cum iis cunctis, quibus ex eius celebratione servimus, *attingimus perpetuo decretorium ipsum discrimen ac tempus spiritalis dimicationis illius,* quae secundum *Genesis* atque *Apocalypsis* libros cum « muliere » coniungitur. Qua in contentione tota Illa cum Redemptore consociatur. Nostrum propterea sacerdotale ministerium ei quoque iungitur quae et Servatoris est Mater et Ecclesiae « prototypus ». Hoc quidem pacto omnes ad eam adhaerescentes in certamine spiritali hoc persistunt quod volvente hominum historiae curriculo toto geritur. Ea praeterea in pugna peculiares sustinemus partes ob sacerdotium sacramentale nostrum. Singulare quoddam ministerium in opere redimendi orbis absolvimus.

Praedicat Concilium *Mariam in fidei peregrinatione procedentem* suam per coniunctionem cum Filio perfectam ad Crucem usque anteire, eminenter ac singulariter sese praemoristrantem omni Dei Populo, qui eadem progrediens via Christum sectatur in Spiritu Sancto. Nonne proin cum ea nos uti Ecclesiae *pastores* presbyteri coniungamus insigniter oportet, quippe qui communitates etiam nobis creditas *perducere debeamus* eam per semitam quae a Cenáculo Pentecostes Christum sequitur totam per hominis historiam?

8. Hodie sic nobis, carissimi in sacerdotio fratres, cum episcopis conglobatis in tot huius terrae dissitis locis, explicare tale voluimus argumentum hisce annuis litteris Nostris, quod pariter Nobis concinnere maxime videbatur cum Anni Marialis sententia ac doctrina.

Eucharistiam ita celebrantes tot apud altaria per orbem disseminata, *gratias* Sacerdoti referamus aeterno de *munere* nobis quod ipse in Sacerdotii contulit sacramento. Et in hac gratiarum actione voces similiter audiantur quas evangelista in ore Mariae collocat consobrinam invisentis Elisabeth : « *fecit mihi magna,* qui potens est, et sanctum nomen eius » *(Lc* 1, 49). Mariae item gratum testemur nos animum ob ineffabile Sacerdotii donum, ex quo in Ecclesia cuique famulari possumus homini. *Utinam gratiarum haec actio nostrum vicissim excitet studium!* Nonne per sacerdotale ministerium nostrum ea omnia complentur quae proximis recensentur versibus cantici Mariae *Magnificat?* En enim Redemptor, ille Deus Crucis atque Eucharistiae, reapse « exaltat humiles » et « esurientes implet bonis». Ipse namque, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (cfr. *2 Cor* 8, 9) humili *commisit* Virgini Nazarethanae mirandum *egestatis suae arcanum* unde divites fiunt homines. Quod idem ministerium credit per Sacerdotii sacramentum.

Sine intermissione grates de his habeamus. Omni nostra ex vita gratias persolvamus. Omnibus cum opibus quibus valemus gratias reddamus. Una cum Maria sacerdotum Matre referamus grates. « *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo» *(Ps* 116 [115], 12-13).

Singulis demum Nostris in sacerdotio atque episcopatu fratribus dilectione cum fraterna ad communis nostrae festivitatis diem tum salutatione ex animo sinceram transmittimus tum Apostolicam ipsam Benedictionem.

Ex Aedibus Vaticanis die xxv mensis Martii, in Sollemnitate Annuntiationis Domini, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

II

E.mo Praesidi Consilii pro Mariali Anno.

AL VENERATO FRATELLO IL SIGNOR CARDINALE LUIGI DADAGLIO PRESIDENTE DEL COMITATO CENTRALE PER L'ANNO MARIANO.

1. « Il tempo è compiuto e il regno di Dio è vicino ; convertitevi e credete al Vangelo ».[1] Con queste parole pronunciate da Gesù all'inizio del suo ministero pubblico mi rivolgo a Lei ed ai carissimi fratelli e sorelle partecipanti al convegno internazionale dedicato allo studio dei contenuti e delle prospettive dottrinali e pastorali dell'enciclica « Redemptoris Mater ». L'incontro, organizzato dalla Pontifìcia Accademia Mariana Internazionale sotto gli auspici del Comitato Centrale per l'Anno Mariano, si inserisce nella serie di iniziative che, allo scopo anche di preparare la Chiesa e l'umanità al giubileo cristologico del Duemila, si propongono di approfondire sempre più la conoscenza del mistero di Maria.[2]

2. Nel linguaggio neo-testamentario la « pienezza del tempo » coincide con la venuta del Regno di Dio nella persona e nell'opera di Gesù Cristo, alla quale deve corrispondere l'adesione di fede dell'intero Popolo di Dio. Questa risposta corale trova il suo apice ed il suo punto di riferimento in Maria che con il « fiat » dell'Annunciazione e di tutta la sua vita si fa modello di un ((sì » pienamente libero e totalmente disponibile. Senza la sua accettazione dell'iniziativa divina la storia della salvezza non avrebbe avuto il decorso che noi conosciamo.

La Madre del Signore riveste un ruolo particolare nel cammino storico della comunità dei credenti, essendo a lei spettato di generare nel tempo l'eterno Figlio di Dio. Essa però non costituisce un principio parallelo a quello di Cristo e della Chiesa, bensì, con Cristo e con la Chiesa, è manifestazione dell'attività salvifica di Dio nella storia ; è luogo di incontro tra il divino e l'umano, tra la grazia e la fede ; è paradigma del comportamento dell'uomo verso Dio : con la sua vicenda pur unica e irripetibile, Maria ci invita agli atteggiamenti di figliolanza, di discepolato e di apertura allo Spirito.

3. Ella diventa così una sorta di ((esegesi vissuta » del Vangelo. Il suo mistero potrebbe essere spiegato anche a partire dalla frase

[1] *Mc* 1, 15.

[2] Cf. Enc. *Redemptoris Mater,* 4.

programmatica di Gesù, a cui ho fatto riferimento: « Il tempo è compiuto e il Regno di Dio è vicino ; convertitevi e credete al Vangelo ».[3]

((Convertitevi » — Nell'Immacolata Concezione di Maria, Dio pone in atto la sua volontà salvifica di ristabilire lo stato della giustizia primordiale. Già dall'inizio della sua esistenza la Madre del Messia fu avvolta dall'amore redentivo e santificante di Dio. La sua elezione è frutto della grazia : in lei si manifestano in maniera singolare l'iniziativa mirabile del Padre, l'azione santificante dello Spirito e la redenzione perfetta compiuta da Cristo. Anche se appartiene alla schiera dei redenti, di tutti gli uomini bisognosi di salvezza,[4] essa non conobbe una storia senza Dio. Divenne così per grazia l'immagine della nuova umanità, l'icona della Chiesa futura, « senza macchia e ruga »,[5] creazione purificata e trasparente davanti a Dio. Tutto in lei è pura grazia e solo grazia (« sola gratia »).

((Credete al Vangelo » — Essendo vergine, Maria pronuncia il suo « sì » alla maternità. La fede è la ragione profonda della sua verginità : dalla fede verginale e dal grembo verginale il Figlio di Dio fece il suo ingresso nella storia umana. Mediante questa fede Maria accolse il « Figlio della Promessa » e il suo grembo divenne il luogo in cui la povertà umana è resa capace di aprirsi al divino e di collaborare così alla propria salvezza. La sua fede è insieme responsabile adesione e fiducioso abbandono all'azione divina : « Nulla è impossibile a Dio » :[6] Una fede attiva nella sua passività, passiva nella sua attività («sola fides»). Se credere significa «abbandonarsi» alla parola di Dio, riconoscendo quanto siano imperscrutabili i suoi giudizi e inaccessibili le sue vie,[7] « Maria, che per l'eterna volontà dell'Altissimo si è trovata, si può dire, al centro stesso di quelle "inaccessibili vie" e di quegli "imperscrutabili giudizi" di Dio, vi si conforma nella penombra della fede, accettando pienamente e con cuore aperto tutto ciò che è disposto nel disegno divino ».[8]

« Il Regno di Dio è vicino » — Come Genitrice del Figlio di Dio Maria dona al mondo Colui che è il Regno di Dio in persona. Il Figlio di Dio diventa il Figlio dell'uomo grazie anche alla partecipazione

[3] *Me* 1, 15.
[4] Cf. *Lumen gentium,* 53.
[5] *Ef* 5, 26.
[6] *Le* 1, 37.
[7] Cf. *Rm* 11, 33.
[8] Enc. *Redemptoris Mater,* 14.

di una donna che diventa la Madre del Figlio di Dio « nato da donna, nato sotto la legge».[9] Nell'ordine attuale della Provvidenza non si può pensare il Dio Incarnato senza la Vergine Maria. Ma la sua maternità supera la sfera puramente biologica, perché è una maternità resa possibile nella fede, una maternità misteriosa nella quale Dio Padre si rivela come tale all'umanità. Maria dona al mondo il Redentore, dalla cui redenzione essa stessa dipende, perché nessuno si salva da se stesso : è Cristo il salvatore di tutti (« solus Christus »).

((Il tempo è compiuto » — In Gesù Cristo Dio ha posto la pienezza di ogni cosa, ed egli nel suo tempo ha accolto tutti i tempi e tutte le generazioni. Anche nella Vergine Assunta in cielo si incontrano il ((già adesso » della salvezza e il « non ancora » della pienezza ; l'elezione da parte di Dio comporta la salvezza completa. Là dove c'è la totalità della grazia, c'è anche la totalità della salvezza : in Maria si incontrano così la grazia e la gloria. E poiché la grazia e la fede sono state straordinarie, anche la glorificazione è stata straordinaria. L'esistenza di Maria fu la risposta completa al disegno salvifico di Dio, e proprio mediante questa piena e incondizionata disponibilità di Maria il Verbo ha fatto il suo ingresso nella storia, che è diventata storia della salvezza (((totus Christus »);

4. Maria Santissima, guardata alla luce della parola programmatica di Gesù,[10] ci si manifesta con le sembianze della donna credente, discepola esemplare del Cristo. Maria è l'icona perfetta del volto di Dio, non secondo la natura come suo Figlio,[11] bensì secondo la grazia come « serva del Signore ».[12] In Maria, Immacolata e Assunta, la Chiesa canta la piena vittoria della grazia, e nella singolare santità di lei si riconosce pienamente come la sposa immacolata dell'Agnello.[13] Con lei, Vergine e Madre, la comunità dei cristiani canta la vittoria della fede, e si manifesta come sacramento, segno e strumento di salvezza, luogo d'incontro tra Dio e l'umanità.

Tanto la Chiesa quanto Maria sono al servizio della salvezza : non una accanto all'altra, ma in un rapporto reciproco. E poiché la

[9] *Gal* 4, 4.
[10] Cf. *Me* 1, 15.
[11] Cf. *Col* 1, 15.
[12] *Lc* 1, 38.
[13] Cf. *Apc* 19, 7.

Chiesa esiste da Abele il giusto,[14] così anche Maria non è stata mai fuori di essa. La Chiesa si comprende come comunità dei credenti e nel Nuovo Testamento la Madre del Signore appare come la credente per eccellenza : « Beata perché ha creduto ».[15] La Chiesa, quale comunità messianica di salvezza, trova in Maria un esempio sublime di fede e di carità ed a lei ispira la sua missione : « Come Maria è al servizio del mistero dell'incarnazione, così la Chiesa rimane al servizio del mistero dell'adozione a figli, mediante la grazia ».[16]

L'esistenza esemplare della Madre di Gesù diventa paradigmatica per la Chiesa, che trova in essa un modello di fede, di speranza e di perfetta unione con Cristo.[17] L'incondizionata disponibilità di Maria nel compiere la volontà di Dio è modello per la comunità escatologica chiamata a seguire senza compromessi il Cristo, in tutta la sua storia: dal Presepio fino al Calvario, alla Risurrezione, alla gloria.

Per tutti i cristiani Maria è così figura che suscita e rinnova la speranza, assicura la forza liberatrice della grazia, illumina la condizione dell'uomo e lo invita a donarsi con fiducia a Dio e a lasciarsi accogliere dal suo infinito amore.

Questi pensieri desidero proporre a tutti gli studiosi radunati per codesto convegno internazionale, mentre formo cordiali auspici che i loro interventi offrano a vantaggio di tutta la Chiesa un valido contributo per una conoscenza sempre più profonda del mistero di Maria, Madre del Redentore e modello di fedeltà per i credenti.

Con tali voti ben volentieri imparto a Lei, Signor Cardinale, ed a tutti i partecipanti a codesto incontro la Benedizione Apostolica.

Dal Vaticano, 22 Maggio 1988.

IOANNES PAULUS PP. II

[14] Cf. *Lumen gentium,* 2.

[15] Cf. *Lc* 1, 45.

[16] Enc. *Redemptoris Mater,* 43.

[17] Cf. *Lumen gentium,* 58.

ALLOCUTIONES

I

Ad eos qui plenario coetui Pontificii Consilii instrumentis communicationis socialis praepositi interfuerunt.*

Dears Brothers in the episcopate,
Brothers and Sisters in Christ,

"The Lord be with you".

1. This greeting is a familiar part of our liturgical célébrations. It itself, it is a beautiful prayer that those whom we address may truly be filled with the Spirit of God and may truly reflect in their lives the grâce of Jesus Christ.

The liturgical salutation reminds us of another greeting offered to the Blessed Virgin Mary by the Angel Gabriel : "Hail, full of grâce, the Lord is with you I".[1] Gabriel's greeting was not a prayerful hope, but the récognition of a fact : that the Lord truly was with Mary.

In this Marian Year, it is appropriate to recali with the members, consultors and staff of the *Pontifical Commission for Social Communications* during your annual plenary meeting that one of the most significant messages of ail time was brought by the patron of communicators, the Angel Gabriel, to Mary—the news that she had been chosen by God the Father to be the Mother of his Son.

Let us examine the context and the content of that message to see what we can learn in our own works as communicators.

2* The Angel said, "Hail, full of grâce!". By this greeting, he recognized the unique dignity of Mary as one who had been especially blessed by God. While it is true that only Mary had the privilège of being conceived free from sin and full of grâce, it is equally true that every person is a *child o f Cod* with a special destiny. Should not our communication and indeed ail communication reCognize the dignity and the transcendent destiny of every human being?

In ail our work of communication, this means that we should tirelessly proclaim and défend the dignity of every person as a child of God destined for eternai life. We must join with ail men and

* Die 3 m. Martii a. 1988.

[1] *Lk* 1:28.

women of good will in *defending the rights and dignity* of every human being—the right to life from the moment of conception until natural death, the right to decent housing, éducation and a just wage for meaningful work, the right to practise and openly profess religious belief.

It is in *the profession of religious belief',* however, that we must go beyond the message offered by other persons of good will who do not share our faith, for we must *publicly communicate the good news of Jesus Christ,* our Saviour and Lord. The cost of proclaiming this message has always been great. Even in the infancy of Jesus, Simeon referred to him as a "sign that is spoken against".[2] Simeon likewise said to Mary: "A sword will pierce through your own soul also".[3] The Apostles Peter and Paul paid the price of martyrdom for proclaiming the message of Jesus, and thereby have become models for thousands of followers of Christ throughout the ages who have offered their lives in witness to the Gospel. In this age, Blessed Titus Brandsma gave his life as a priest and as a Journalist in defence of the rights and dignity of every person and in witness to his faith in Jesus Christ.

3. How should Catholic communicators imitate the Blessed Virgin Mary, the Apostles and the martyrs in their witness to the faith?

First, every Catholic Communicator, like every member of the Church, should be a model of *personal integrity.* Each of us should proclaim the Gospel in our daily life by seeking to be truly "full of grace". Every Catholic Communicator should also be a model of *professional compétence,* for without such expertise there can be little positive impact in the competitive and demanding world of the Communications media.

Second, I would also hope that every Catholic in the communications media will be *fearless in the présentation and defence of truth*—even when that truth may be unpopulär at a particular time or in a particular place. The number of children deliberately killed before birth remains a terrible scandal in a world which professes to be civilized. It is a scandal which can easily be ignored unless there are people in the communications media who will make known this continuing tragedy. The death and suffering of so many innocent people due to violence, hunger and disease are situations which must also be

[2] *Lk* 2:34.
[3] *Lk* 2:35.

made known through the communications media, so that those in need may be helped. The persistent denial of essential human rights, including the right to profess and practise religion publicly, is likewise a subject which deserves to be brought before the attention of the world so that the power of public opinion may help to break the chains of oppression.

Third, Catholics in the communications media can help to *teli the good news* as it is li ved by millions around the world. The compassionate love of the Blessed Virgin Mary in visiting her cousin Elizabeth at her time of need is reflected over and over again in the lives of those who care for the sick and the dying; who educate the poor and the handicapped, and who seek to be peacemakers in a troubled world. There are as many interesting stories as there are heroic but humble people in the world—and their unselfish lives will not remain hidden if there are communicators with the imagination and skill to bring their story to a world which needs examples of heroism and hope.

4. At the end of this year, we will mark the twenty-fifth anniversary of that landmark document of the Second Vatican Council *Inter Mirifica.* The communications media are there described as among the *marvels o f technology* which God has destined human genius to discover in création. The communications media have the wonderful power to bring the people of the world together. The media can be messengers of the Good News of Jesus Christ, as the Angel Gabriel was to Mary, and can proclaim that message not just to one person but to multitudes. The power of the communications media is undoubtedly very great, and it dépends on us to guarantee that they will always be instruments at the service of truth, justice and. moral decency.

The task is indeed a challenging one. The Angel Gabriel, however, also said to Mary: "The Lord is with you!".[4] We have the assurance of the continuing présence and help of Jesus in ail that we do to communicate his truth and his love, in ail that we do together with his Blessed Mother to proclaim the greatness of the Lord.

As a sign of that continuing help of the Lord, and invoking the intercession of his Virgin Mother, I willingly impart my Apostolic Blessing to you, your loved ones and ail your associâtes in this important work of communications.

[4] *Lk* 1:28.

II

Ad quosdam seiunctos Fratres coram admissos.*

Dear Friends,

1. It gives me great pleasure to welcome you today to the Vatican, in the course of your visit to Rome for meetings with the Secrétariat for Promoting Christian Unity and other departments of the Holy See. Your stay in Rome will no doubt include a visit to the tombs of the Apostles Peter and Paul, who shed their blood for Christ in this City and whose witness is part of the common héritage of all Christians. Their constancy in confessing Christ is a reminder to ali the Lord's disciples of the duty to make Jesus Christ the centre and criterion of our lives.

The Second Vatican Council constitutes a fundamental point of référence for the Catholic Church's commitment to ecumenism. Since the time of the Council, Lutherans and Catholics have made much progress in overcoming the barriers of séparation between us and in building visible bonds of **unity.** In theological dialogue significant work has been done in regard to matters on which we must achieve **unity** in faith, such as the Eucharist, ministry, and justification by faith ; as also in facing other matters, including the mutual anathemas pronounced in the sixteenth **Century.** Ways have been found to bear common witness on pressing social concerns. Such dialogue and collaboration must continue. I see *the visit to Rome* of the President, the General Secretary and other members of the Lutheran World Fédération as a *sign o f your commitment to the deepening o f our relationship,* and for this I am very grateful.

2. In our work for unity, it is essential that our *ecumenical efforts should have deep spiritual foundations.* They must be, above all, *Christ-centred.* Christ is the Saviour, the "one Mediator between God and men".[1] His Cross is our source of strength, his Résurrection our hope. As we continue building bonds of unity, we do so as co-workers with Christ. For "unless the Lord builds the house, those who build it labour in vain".[2]

* **Die 4 m. Martii a. 1988.**

[1] ***1 Tim*** **2:5.**

[2] ***Ps*** **127:1.**

It follows that our efforts must be directed towards *conversion,* an interior conversion to a deeper life in Christ, a conversion that enables us to see one another in a new light. According to the Council's Decree on Ecumenism, conversion is that "change of heart and holiness of life" which, "along with public and private prayer for the unity of Christians", should be considered as "the soul of the whole ecumenical movement".[3]

3. Only by building our ecumenical hopes on this deeper relationship with Christ can we truly aspire to the goal of *full communion.* Because we already share bonds of unity in Christ through Baptism, we can never be satisfied with anything less than full communion. In the Catholic Church, the Extraordinary Synod of Bishops of 1985 reminded us that "the ecclesiology of communion is the central and fundamental idea" of the documents of the Second Vatican Council,[4] and consequently is the basis from which the Catholic Church "fully assumed her ecumenical responsibility".[5] The deepening of this *biblical and ecclesial sense of communion* within our respective traditions is vital for further progress towards unity between Lutherans and Catholics. May the Holy Spirit lead us along this path !

In this Lenten season, as we look toward Easter, a passage from the First Letter of Peter is an appropriate way of acknowledging the great things that God has done for us, as we work to honour his name : "Blessed be the God and Father of our Lord Jesus Christ ! By his great mercy we have been born anew to a living hope through the résurrection of Jesus Christ from the dead, and to an inheritance which is imperishable".[6] May this be our prayer, and the conviction that sustains us !

[3] *Unitatis Redintegratio,* 8.
[4] *Relatio Finalis, II* C, 1.
[5] *Ibid.,* II O, 7E.
[6] *1 Pt* 1:3.

III

Ad eos qui plenario coetui Pontificalium Operum Missionalium Italiae interfuerunt coram admissos.*

Carissimi Direttori, Delegate e Responsabili delle Pontificie Opere Missionarie in Italia!

1. Sono lieto di accogliervi in speciale Udienza al termine del vostro Convegno nazionale, svoltosi in questi giorni nella città di Pescara. Desidero innanzitutto esprimervi il mio compiacimento per questa vostra presenza, mentre con grande gioia rivolgo il mio saluto più cordiale al Direttore nazionale, Monsignor Enzo Serenelli, ai suoi vari collaboratori e a tutti voi, che, inviati dai vostri Vescovi, avete studiato per quattro intense giornate l'importante e sempre attuale problema delle Missioni.

Alla luce e secondo le indicazioni delle varie relazioni, avete meditato e discusso nei « gruppi di studio » sull'originalità del carisma delle Pontificie Opere Missionarie, sul loro inserimento nel piano pastorale della Chiesa locale, sulla globalità del progetto e sulla qualificazione degli operatori in esso impegnati, cercando di approfondire la spiritualità, l'attualità, la responsabilità delle Pontificie Opere Missionarie, in ordine all'evangelizzazione dei popoli e all'animazione delle Diocesi e delle Parrocchie.

Ringrazio Dio per questa vostra sensibilità e disponibilità, cari sacerdoti e laici, ed auspico vivamente che la vostra azione, animata da rinnovato fervore missionario, possa mantenere sempre ardente, nei molteplici gruppi pastorali, l'ansia per l'annuncio del Vangelo.

Il Signore benedica i vostri sforzi e i vostri sacrifici e li renda fecondi per le Missioni, che amate e servite con entusiasmo e dedizione.

2. Il tema « Cooperazione all'evangelizzazione dei popoli - Pedagogia dei valori universali », che avete trattato durante il Convegno, vi ha certo ulteriormente illuminati sull'impegno missionario, che deve distinguere ogni Diocesi ed ogni Parrocchia, e sull'impegno operativo, che bisogna mantenere ed inculcare, coinvolgendo in modi diversi tutti i fedeli.

Infatti, pur nel mutare dei tempi e delle mentalità, rimangono sempre valide e attuali le parole di Gesù agli apostoli : « Ho altre

* Die 4 m. Martii a. 1988.

Cum fere septem esset annorum in Servum Dei Iacobum Alberione incurrerat, Familiae Paulinae Conditorem, qui iussu Episcopi, Benevolum se conferebat tum ut confessiones peccatorum audiret, tum ut Missam diebus festis celebraret, tum ut sacra triduana vel novendialia praedicaret. Maiorinus coepit mature sacerdotem Alberione colere et diligere, qui non communem pietatem, bonitatem, intellegentiam, gravitatem et sanctitatis studium huius pueri admiratus est. Idcirco Maiorino loquebatur de Opere, quod ei tantum erat cordi, videlicet de « Apostolatu per libros typis exscriptos », eum hortans ut singulis vesperis ter « Ave Maria » recitaret, ut Virgo Maria eum duceret in via ad quam a Domino vocabatur. Puer in recitando ter « Ave Maria » constans fuit et sensim, confessario et magistro spiritus moderante, animadvertit in se oriri vocationem ad sacerdotium et ad Apostolatum per « Bonos Libros ».

Omnibus difficultatibus superatis quae eius obstabant vocationi, duodecim annorum ingressus est Albae Pompeiae Piam Societatem a Sancto Paulo Apostolo, vix ante duos annos, die 20 mensis Augusti anno 1914, conditam.

Eam ingressus est toto cum animi ardore et simplicitate suae puerilis aetatis, alacriterque se dedidit novae vitae studii, apostolatus, pietatis, in qua ambulavit nec residens nec recedens, quin vero in persequendam suam sanctitatis appetitionem incumbens, magno amore et vehementi nisu coleus triplex bonum, quod maxime cupiebat : religiosum, sacerdotale et apostolicum. Machinam suam typogra-

phicam existimabat « pulpitum suum », et officinam typographicam «ecclesiam suam » putabat, in qua verbum Dei multiplicabatur.

Duobus ferme annis quibus Servus Dei in Domo Albana Pompeia vixit, in fervore quo oriens Congregatio Paulina flagrabat, magistros habuit magnos duos animarum formatores : Venerabilem Timotheum Giaccardo, primum Familiae Paulinae sacerdotem, et Venerabilem Franciscum Chiesa : qui eum adiuverunt ut vitia indolis suae corrigeret, sed potissimum sine intermissione in sanctitate proficeret.

Imprimis vero Servus Dei Iacobus Alberione, eius superior et verus « pater in spiritu », cui Maiorinus totum se crediderat, effecit ut multum procederet in via perfectionis, illum adiuvando ut in suo proposito maneret, quod erat : « Cotidie tantillum progredi ».

Dominus, qui Maiorinum elegerat et lòcupletaverat gratia, voluit eum properato in caelo. Priore dimidiato mense Maio, anno 1918, est pleuritide correptus. Breve post intervallum, in valetudinario actum Albano Pompeio, in familiam rediit, ut a suis sedulo curaretur. Et mense Iunio exeunte, eodem anno, tantum convaluerat, ut Albam Pompeiam reverterit superiores et aequales ad breve tempus visum ; quos salutans significavit se ardenter optare ad eos mox redire. Sed die 18 mensis Iulii improviso signa apparuerunt membranae cerebri inflammationis gravis. Quattuor dies fuit in acerba mortis collluctatione. Omnes praesentes aedificans, sollemniter Viaticum accepit et infirmorum Unctionem ; deinde, postremo vita sua devota pro Apostolatu per bonos libros proque vocationibus, die 27 mensis Iulii, omnino Domini voluntati obsequens, tranquille animam exspiravit, aequalibus recitantibus pro eo quartum sancti Rosarii mysterium gloriosum. Saturni dies erat, Virgini Sanctissimae «Portae Caeli » dicatus. Ultima eius verba a sorore audita, fuere: «Al ciel, al ciel... Paradiso ! Paradiso ! ». Quattuordecim annorum erat, duorum mensium ac dierum unius et viginti.

Suo spiritus magistro, qui ab eo moribundo quaesierat : « Malisne sanus fieri an in Paradisum ire », respondit : « Cupio facere voluntatem Dei ».

Qui funeri interfuerunt, quod modo sollemni factum est die 29 mensis Iulii, omnes repetebant : « Alterum sanctum Aloisium sepelivimus ».

Hic puer quattuordecim annorum, in quo incitamentum ad sanctitatem, ad Apostolatum et ad Sacerdotium idem fuit ac amor erga Iesum Magistrum, erga Virginem Sanctissimam et Paulum apostolum, et est excultum vita labori dedita et in gaudio sereno ac fulgido inno-

centium proprio, peridoneus est iuventuti illiciendae et ad magna excitandae.

Servi Dei glorificabo causa est etiam cur omnes sacerdotes et educatores recogitent de « moderationis spiritualis » momento, quod attinet ad adulescentes et iuvenes formandos. Maiorinus enim est quasi fructus quidam artis sapientis et prudentis eius magistri spiritus.

Fama sanctitatis qua Servus Dei Maiorinus Vigolungo vivus gavisus est post eius mortem aucta est et diffusa. Qua re apud Curiam Albae Pompeiensis adornatus est annis 1961-1963 Processus Ordinarius super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere eiusdem Servi Dei Romamque est transmissus. Servatis de iure servandis, Causa introducta est penes Apostolicam Sedem die 11 Septembris anno 1980. Deinde apud eandem ecclesiasticam Curiam instructus est annis 1981-1982 Processus, Apostolica quidem auctoritate, super virtutibus in specie.

Die 18 Decembris anno 1987, apud Congregationem pro Causis Sanctorum, actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, Moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, ut de virtutum gradu heroico exercitarum dissereretur.

Postea, die 16 mensis Februarii anno 1988 in Palatio Apostolico habita est Congregatio Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Cardinali Mario Aloisio Ciappi. Accurata ad Suam Sanctitatem Ioannem Paulum II, facta relatione, Is, attentis suffragiis Congregationis pro Causis Sanctorum, die 28 mensis Martii anno 1988, iussit edi Decretum de gradu heroico virtutum a Servo Dei Maiorino Vigolungo exercitarum.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Maiorini Vigolungo, adulescentis, Societatis a Sancto Paulo alumni.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret inque acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 Martii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. * S.

© Traianus Orisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

Responsio ad propositum dubium

Patres Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Authentice Interpretando proposito in plenario coetu diei 20 Februarii 1987 dubio, quod sequitur, respondendum esse censuerunt ut infra :

D. « Utrum minister extraordinarius sacrae communionis, ad normam cann. 910 §2 et 230 § 3 deputatus, suum munus suppletorium exercere possit etiam cum praesentes sint in ecclesia, etsi ad celebrationem eucharisticam non participantes, ministri ordinarii, qui non sint quoquo modo impediti ».

R. *Negative.*

Summus Pontifex Ioannes Paulus II de supradicta decisione certior factus, die 1 iunii 1988 eam publici iuris fieri iussit.

ROSALIUS I. Card. **CASTILLO LARA,** *Praeses*

Iulianus Herranz Casado, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Giovedì, I° Settembre 1988, si è riunita nel Palazzo Pontificio di Castel Gandolfo, alla presenza del Santo Padre, la Congregazione per le Cause dei Santi.

Dal 3 al 4 Settembre 1988 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Torino.

Dal 10 al 19 Settembre 1988 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Africa Meridionale.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

20 giugno 1988. L'E.mo signor Cardinale Bernardin Gantin, ***Membro della Pontificia Commissione per le Comunicazioni Sociali «in aliud quinquennium)).***

22 » » Le LL. EE. i monsignori: Edward Cassidy, Arcivescovo tit. di Amanzia, Sostituto della Segreteria di Stato; Angelo Sodano, Arcivescovo tit. di Nova di Cesare, Segretàrio del Consiglio per gli Affari Pubblici della Chiesa; Giovanni Battista Re, Arcivescovo tit. di Vescovio, Segretario della Congregazione per i Vescovi, ***Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede.***

» » » S. E. mons. Paul Josef Cordes, Vescovo tit. di Naisso; Mons. Carlo Caffarra; P. Pierre Duprey, P. A., ***Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede a in aliud quinquennium».***

23 luglio » Il sac. Carlo Mazza, ***Membro della consulta pastorale della Peregrinatio ad Petri Sedem.***

NECROLOGIO

19 agosto 1988. Mons. Mario Rossi, Vescovo di Vigevano ***(Italia).***

» » » Mons. Maxime Tessier, Vescovo emerito di Timmins ***(Canada).***

21 » » Mons. Kaseba, Vescovo di Kalemie-Kirungu ***(Zaire).***

22 » » Mons. Domingos de Pinho Brandâo, Vescovo tit. di Filaca.

28 » » Mons. Giuseppe Zaffonato, Arcivescovo emerito di Udine ***(Italia).***

31 » » Mons. Leonidas Proaño Villalba, Vescovo emerito di Riobamba ***(Ecuador).***

An. et vol. LXXX 15 Octobris 1988 N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beati Andreas Taegon, Paulus Chong Hasang aliique CI in Corea martyrium passi Sancti esse decernuntur et definiuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Universae Ecclesiae gaudium quidem atque corona, ut olim de Philippensibus libenter Paulus Apostolus declaravit (cf. *Phil* 4, 1), sed etiam laus praecipuumque ornamentum per saecula haberi debent tot Christifideles, quos constat miris heroum virtutibus vitaeque sanctitate praestitisse hisce in terris. Assidue igitur omnis gratia Deo est habenda, qui, uti Constitutio « Dei Verbum » proprie refert, « ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur et cum eis conversatur, ut eos ad societatem Secum invitet in eamque suscipiat» *[DV,* 2). Pariter constat complures etiam martyrio in Ecclesia donari, « quo discipulus Magistro pro mundi salute mortem libere accipienti assimilatur, Eique in effusione sanguinis conformatur » *{LG,* 42). Quare, cum in eorum numero etiam illi haud pauci habeantur, qui superiore saeculo in Corea, alii videlicet ab anno **MDCCCXXXIX** ad annum **MDCCCLXVI**, alii autem anno **MDCCCLXVI**, mortem propter Christianum Nomen oppetiverunt, maxime Nos iuvat de his hic loqui. Ii enim, qui memoratis temporis intervallis ab idolatris ibi ferum in modum interfecti sunt, CUI iam nunc dinumerantur, qui claritatis causa in duos manipulos plane dividi possunt. At in martyrio eorum omnium adumbrando placet praemittere eiusmodi metam animo forti contigisse non solum

undecim sacros hominum pastores, sed cuiusque etiam condicionis laicos nonaginta duos : viros ac mulieres, iuvenes ac virgines, pueros ac senes, nobiles atque plebeios. - *Prior eorum manipulus.* - I : Rev. Andreas Kim Taegön, primus sacerdos Coreanus, qui vicesimo sexto anno aetatis suae, cum plenus esset Dei caritate, anno MDCCCXLVI immolatus est obtruncato capite. II : Paulus Chöng Hasang, laicus, qui se gessit ut magnus Christi apostolus atque quadraginta quattuor annos natus occisus est in odium Fidei anno MDCCCXXXIX, quo ipso alii multi qui sequuntur. III : Ignatius Kim Chejun, Christianae doctrinae Catechumenis tradendae deditus. IV : Theresia Kim, amita ipsius Rev. Andreae modo memorati, quae quadraginta quattuor annos nata suffocata est sex annis ante eum. V : Caecilia Yu Sosa, mater Pauli nuper memorati. VI : Elisabeth Chöng Chöng-hye, virgo, memoratae Caeciliae filia. VII : Agatha Yi Sosa, martyrium passa quinquagesimo quinto anno aetatis suae. VIII : Petrus Yi Hoyöng, huius Agathae frater, sex mensibus ante eam necatus. IX : Protasius Chöng Kurbo, qui tunc Missionariis illic auxilio erat'. X : Magdalena Kim Obi, quadragesimo quinto aetatis suae anno. XI : Barbara Han Agi, quadraginta septem annos nata, quae cum Magdalena et Protasio, quos modo diximus, operam dabat paganis instituendis aegrotisque curandis. XII : Anna Pak Agi, occisa anno quinquagesimo sexto aetatis suae. XIII : Agatha Kim, mulier undequinquaginta annorum, quae in carcere Baptismum receperat. XIV : Augustinus Yi Kwang-hon, vir duorum et quinquaginta annorum. XV : Barbara Kwön Hui, huius Augustini uxor, apud quos etiam ab aliis celebrabatur liturgia Verbi Dei. XVI : Ioannes B. Yi Kwangnyöl, nunc nominati Augustini frater quadraginta quattuor annorum, catechista. XVII : Agatha Yi, decem et septem annos nata, coniugum Augustini et Barbarae, quos diximus, filia. XVIII : Lucia Park Huisun, puella duodeviginti annorum. XIX : Maria Park K'únagi, huius Luciae modo dictae soror quadraginta trium annorum. XX : Iulieta Kim, virgo quinquaginta sex annos nata. XXI : Agatha Chon Kyönghyob, virgo trium et quinquaginta annorum, quae ipsa atque Iulieta nobiles erant virgines in comitatu Reginae. XXII : Damianus Nam Myöng-hyög, catechista triginta septem annorum praestans. XXIII : Maria Yi Yönhui, huius Damiani uxor triginta quinque annorum, suae aliorumque sanctificationis studiosissima. XXIV: Petrus Kwön Tagin, triginta quattuor annos natus veraeque religionis magnus cultor. XXV : Iosephus Chang Söngjib, medicamentarius trium et quinquaginta annorum, post veram ad

Deum conversionem martyr in vinculis factus. XXVI : Barbara Kim, mulier triginta quattuor annorum, in carcerem inclusa et in ferendis suppliciis fortissima. XXVII : Rosa Kim, vidua quinquaginta quinque annorum, Christianam fidem strenue professa. XXVIII : Magdalena Hö Kye-im, quadraginta sex annos nata. XXIX : Barbara Yi Chöng-hüi, quadraginta annos nata. XXX : Magdalena Yi Yöng-hüi, mulier triginta annorum, soror Barbarae et filia Magdalenae, quas modo diximus. XXXI : Barbara Yi, virgo quindecim annos nata et neptis huius Magdalenae Yi. XXXII : Theresia Yi Mae-im, unum et quinquaginta annos nata, quae una est ex novissimis quinque ad unam eandemque domum pertinentibus. XXXIII : Martha Kim Söng-im, quinquaginta duos annos nata martyrium passa. XXXIV : Lucia Kim, mulier unius et viginti annorum. XXXV : Anna Kim Changgum, domina quinquaginta annorum. XXXVI : Maria Won Kwi-im, virgo viginti annorum. XXXVII : Ioannes Pak, quadraginta annorum vir pius et simplex. XXXVIII : Agnes Kim Hyoju, quae erat viginti quattuor annos nata. XXXIX : Columba Kim Hyo-im, huius Agnetis soror viginti sex annos nata. XL : Franciscus Ch'oe Kyong-hwan, vir triginta quattuor annorum, secundi sacerdotis Coreani pater necnon diligentissimus catechumenorum institutor. XLI : Rev.mus Laurentius Imbert, Episcopus tit. Capsensis necnon secundus Coreae Vicarius Apostolicus, Christi martyr quadragesimo tertio anno aetatis suae. XLII : Rev. Petrus Maubant, missionarius triginta sçx annos natus. XLIII : Rev. Iacobus Chastan, eandem habens aetatem ac Rev. Maubant. Qui tres modo commemorati ad Coream ut missionarii e Gallia venerant, quorum quisque mirabile inter Coreanos apostolicum opus patravit. XLIV : Augustinus Yu Chin-gil, undequinquaginta annos natus, regis publicus interpres et missionariorum auxiliator. XLV : Petrus Yu Taech'ol, puer tredecim annorum et Augustini nunc memorati filius. XL VI : Sebastianus Nam, vir undesexaginta annorum, cuius domus facta erat fidelium Oratorium- XLVII : Barbara Cho Chung-i, huius Sebastiani uxor quinquaginta septem annos nata. XLVIII : Carolus Cho Shinch'öl, insignis in catechesi neophitis tradenda, quadraginta quattuor annos natus. XLIX: Petrus Ch'oe Ch'anghüb, quinquaginta annos natus, valens catechista. L : Barbara Ch'oe Yöng-i, Petri filia uxorque Caroli, quos modo diximus, viginti duos annos nata. LI : Magdalena Son Sobyög, duodequadraginta annos nata nunc memoratae Barbarae mater, quae ambae postero ineunte anno occisae sunt. LII : Magdalena Pak Pongson, vidua atque qua-

draginta quattuor annos nata, apud quam fideles congregari consueverant. LUI : Perpetua Hong Kümju, domina sex et triginta annorum, vidua, de paganis christiane instituendis sollicita. LIV : Lucia Kim, quae in Actis commemoratur ut « gibbosa », quaeque multos paganos ad fidem adduxit. LV : Catharina Yi, domina quinquaginta septem annorum. LVI : Magdalena Cho, huius Catharinae filia triginta tres annos nata. LVII : Magdalena Yi Yöngdög, eiusdem Catharinae soror duodetriginta annorum. LVIII : Maria Yi Indög, alia eiusdem Catharinae soror duorum et-viginti annorum, una ex postremis quattuor, quae vitam communem ducebant. LIX : Magdalena Han Yöng-i, domina quinquaginta sex annorum Christiana fide et caritate praestans. LX : Agatha Kwön Chini, huius Magdalenae filia viginti septem annorum. LXI : Agatha Yi Kyong-i, unum et viginti annos nata, quae cum Agatha Kwön eiusque matre vivebat. LXII: Benedicta Hyon Kyöngnyön, mulier quadraginta annorum, in catechesi aliis tradenda praestans. LXIII : Carolus Hyon Songmun, Benedictae frater quinquaginta annos natus, sollicitus de Ecclesia illic nascenti, septem post annos quam soror ob communem Fidem occisus. LXIV : Barbara Ko Suni, unum et quadraginta annos nata. LXV : Augustinus Pak Chongwön, huius Barbarae maritus duodequinquaginta annos natus, valde sane industrius in proximis catechizandis. LXVI : Andreas Chöng Hwagyöng, vir triginta annorum et memorati Episcopi Imbert adiutor. LXVII : Stephanus Min Kukka, quinquaginta tres annos natus, sollicitus de catechesi paganis tradenda. LXVIII : Paulus Hö, vir quadraginta quinque annorum atque strenuus Fidei defensor. LXIX: Petrus Hong Pyöngju, studiosus catechesis aliis tradendae. LXX: Paulus Hong Yöngju, huius Petri frater, de eadem re sollicitus. LXXI: Ioannes Yi Munu, vir unius et triginta annorum, qui pauperibus auxiliabatur martyrumque corpora sepeliebat. LXXII : Antonius Kim Song-u, vir quadraginta sex annorum, apud quem consueverant plures fideles congregari. LXXIII : Petrus Nam Kyongmun, quinquaginta annos natus, miles et catechista. LXXIY: Laurentius Han Ihyöng, catechista quadraginta septem annos natus, qui valde fidelibus auxiliabatur. LXXV : Susanna U Surim, mulier quadraginta trium annorum, quae maxime Fidem colebat. LXXVI : Agatha Yi Kannan, triginta tres annos nata, quae catechistae Hyon auxilio quidem erat. LXXVII : Iosephus Im Ch'ibaeg, vir trium et quadraginta annorum fortior in Fide. LXXVIII : Theresia Kim Imi, triginta quinque annos nata, ipsius presbyteri Kim adiutrix. LXXIX : Catharina Chöng Ch'ö-

ryöm, undetriginta annos nata, fere ad mortem in odium Fidei ab ipso domino, cuius famula erat, fustibus percussa. - *Alter eorum manipulus.* - I : Petrus Yu Chöngyul, navus catechista in civitate Pyongyang, in odium Fidei occisus anno **MDCCCLXVI**, eo ipso quo qui sequuntur. II : Simeon Berneux, duos et quinquaginta annos natus, Episcopus tit. Capsensis et quartus Coreae Vicarius Apostolicus. III: Iustus De Bretenifres, sacerdos duodetriginta annorum. IV : Petrus Henricus Dorie, sacerdos viginti septem annos natus. V : Ludovicus Beaulieu, sacerdos viginti sex annorum. Qui postremi tres missionarii iuniores unum dumtaxat annum in apostolicum opus vires impenderunt. VI: Doctor Ioannes B. Nam Chongsam, quinquaginta quattuor annos natus. VII: Ioannes B. Chön Chang-un, e civitate «Seoul», typographus et catechista, quinquaginta sex annos natus. VIII : Petrus Ch'oe Hyöng, catechista atque typographus trium et quinquaginta annorum. IX : Marcus Chöng TJibae, septuaginta duos annos natus, studiosus catechesis proximis tradendae. X : Alexius U Seyöng, adolescens duorum et viginti annorum, huius ipsius Marci Chöng TJibae discipulus. XI : Antonius Daveluy, Episcopus tit. Aconensis et Coadiutor Vicarii Apostolici Coreae, duodequinquaginta annos natus, qui ibi plus quam viginti annos egregium pastoris opus elaboravit effecitque. XII : Rev. Martinus Lucas Huin, missionarius triginta annorum. XIII : Petrus Aumaitre, undetriginta annorum sacerdos, in Corea missionarius. XIV: Iosephus Chang Chugi, laicus trium et sexaginta annorum, optimus clericorum adiutor necnon catechumenorum institutor. XV : Lucas Hwang Soktu, quinquaginta quattuor annos natus, Episcopi Daveluy adiutor. XVI : Thomas Son Chasön, martyr factus anno duodetricesimo aetatis suae. XVII : Bartholomaeus Chöng Munho, sexaginta quinque annos natus, Christifidelis sanctitate praestans. XVIII : Petrus Cho Hwasö, anno quinquagesimo secundo aetatis suae decollatus, filius martyris priori manipulo annumerati. XIX : Iosephus Cho Yunho, huius Petri filius undeviginti annos natus. XX: Petrus Son Sönji, laicus quadraginta septem annos natus, catechistae munere unum et triginta annos functus. XXI : Petrus Yi Myöngs Christi martyr factus quadragesimo sexto aetatis suae anno. XXII : Iosephus Petrus Han Wönsö, magna cum diligentia catechesi deditus. XXIII : Petrus Chong Wonji, iuvenis unius et viginti annorum, sicut parentes ob Fidem mortuus. XXIV : Ioannes Yi Yunil, agricola, qui magno cum studio catechesim vicinos docebat, maximo martyrii honore insignitus.

Ita alterius martyrum manipuli, quem diximus, index completur. Constat LXXIX martyres, quibus prior effectus est manipulus, die v mensis Iulii anno **MCMXXV**, reliquos autem XXIV seu alterum manipulum die vi mensis Octobris anno **MCMLXVIII**, inter Beatos publice relatos esse. At, cum Coreanae Dicionis Antistites a Paulo PP. VI, Decessore Nostro ve.me. petivissent ut Causa omnium quos diximus CUI Beatorum Martyrum resumeretur, Ipse deinde, Congressu peculiari Patrum Cardinalium Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum die **VII** mensis Februarii celebrato, anno **MCMLXXVIII**, cum in eorum votis esset ut eiusmodi Causa resumeretur, si Summo Pontifici placuisset, sententiam Sacrae Congregationis die xin mensis Aprilis ratam habuit et confirmavit eo ipso anno, statuens Causam canonizationis eorumdem martyrum resumendam esse, quae de iis omnibus una simul consociatis pertractaret. Posthac autem, consideratis precibus ad hoc Nobis admotis, ut eosdem Beatos martyres, facta dispensatione super praescripto exhibendi unum miraculum rite approbatum, in Sanctorum album referremus, Nos, ut defertur in Rescripto eiusdem Sacrae Congregationis die ix mensis Iunii anno **MCMLXXXIII** edito, postulationi Coreanorum Praesulum ita annuimus ut, a sueta probatione iuridica miraculi in casu dispensatione facta, ad sollemnem canonizationem Beatorum martyrum, de quibus in precibus, quandocumque celebrandam procedi posset. Denique, cum in votis omnium venerabilium Coreae sacrorum Antistitum necnon sacerdotum et religiosorum et fidelium esset ut illi Coreani Beati in Sanctorum numerum ascriberentur anno **MCMLXXXIV**, occasione nempe celebrationis ducentesimae anniversariae memoriae primi Coreani Christifidelis, propterea Ipsi statuimus ut eo ipso anno, Nobis in Coream peregrinantibus pastoralis visitationis causa, exoptata eadem sollemnis tot Martyrum canonizatio in praeclara urbe « Seoul » ageretur die sexto mensis Maii. Hic enim hac ipsa die, clero ac populo astantibus, sub diu in magna Seulensi platea « Youido » inter Sacra hanc pronuntiavimus Canonizationis formulam : « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Andream Kim Taegön, Paulum Chöng Hasang et centum et unum Socios, Martyres Sanctos esse decernimus et definimus,

ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Datum Seuli in Corea, die sexta mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

In Secret. Status tab. n. 142.910.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CALLIANENSIS

Nova Eparchia Callianensis pro fidelibus ritus syro-malabarensis in regione Bombayensi-Poonensi-Nashikensi degentibus conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pro Christifidelibus in regione Mombayensi-Poonensi-Nashikensi frequentioribus factis probe novimus per Apostolicas Litteras, quas superiore anno ad Indiae Venerabiles in episcopatu Fratres die xxvin mensis Maii dedimus, aperte Nos ipsos statuisse novam ritus syro-malabarensis Eparchiam illic iam nunc condendam esse. Probatum enim morem sequimur huius Sanctae Sedis, quae, ut plane constat, etiam Eparchias hic illic constituere consuevit constitutasque ita tuetur, ut et in servando ritu eis sit auxilio. Qui, igitur, vehementer

cupimus ut Ecclesia Syro Malabarensis quam maxime provehatur prospereque ritus eius colatur, Nos de consilio Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Nobiscum hodie collato deque plenitudine Apostolicae potestatis Nostrae necnon harum Litterarum virtute novam in regione quam diximus pro Christifidelibus ritus syro-malabarensis Eparchiam nomine Callianensem condimus eiusque constitutionem lege sancimus, cuius ipsius sedes, una cum Ecclesia Cathedrali, ipsa in urbe « Kalyan » erit. Primusque proinde eiusmodi Ecclesiae particularis sacrorum Antistes ac Pastor hac ipsa die eligitur quidem, altaris tamen Litteris Nostris. Qui demum haec ita iubentes statuimus, Apostolicas ipsas has Litteras et hoc tempore et in posterum ratas esse volumus, quibuslibet contrariis rebus minime obfuturis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

& **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

D. **SIMON** Card. **LOURDUSAMY**
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Franciscus Cascone, *Proton. Apost. s.n.*

Loco ig Plumbi
In Secret. Status tab., n. 219.811.

II

ANTIOQUIENSIS

Ad metropolitanae ordinem Antioquiensis evehitur dioecesis, quae Ecclesia Sanctae Fidei de Antioquia posthac vocabitur, novaque ei cognomina Provincia conditur ecclesiastica.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Spiritali sane prospicientes utilitati Christifidelium ubique terrarum degentium, preces, quas ad novam provinciam ecclesiasticam iusta de causa in Republica Columbiana instituendam Conferentia Episcopalis eiusdem Nationis huic Sanctae Sedi modo adhibuit, audiendas esse censemus. Quare, idem sen tiente Venerabili Fratre Angelo Acerbi, Archiepiscopo titulo Zellensi et in Columbia Nuntio Apo-

stolico, Nos, eiusmodi petitione perpensa eorumque suppleto consensu, quorum interest vel interesse existimantur, probata etiam sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacro Consilio pro Publicis Ecclesiae Negotiis praepositorum, quam ratam facimus, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute hic ea decernimus, quae sequuntur, atque iubemus. Ecclesiam Antioquiensem metropolitano subtrahimus iuri Ecclesiae Medellensis attollimusque ad metropolitanae archidioecesis gradum, cui iura proinde et privilegia tribuimus, quae eiusmodi Ecclesiarum ordinis sunt propria, ipsaque vocabitur Ecclesia Sanctae Fidei de Antioquia; pariterque novam provinciam ecclesiasticam eodem nomine appellandam condimus, quae scilicet constet tum nova metropolitana Ecclesia Sanctae Fidei de Antioquia tum suffraganeis quas ei assignamus dioecesibus Sanctae Rosae de Osos et Apartadoensi hodie constituta, tum etiam Vicariatibus Apostolicis Quidduano et Istiminaënsi, singulis his Ecclesiis particularibus iam nunc a provincia Medellensi omnino distractis. Eundem autem pro tempore olim Antioquiensem, nunc Sanctae Fidei de Antioquia, Praesulem dignitate Metropolitae perpetuo insignimus Venerabilem Fratrem Eladium Acosta Arteaga, quem novae Ecclesiae metropolitanae, iuribus quidem et privilegiis propriis ornatum congruentibusque adstrictum officiis, Archiepiscopum praeficimus, dum eiusdem pro tempore Archiepiscopi iuri metropolitano Ecclesias, quas ei suffraganeas diximus, simul subicimus. Quae omnia hic statuimus, ea ad effectum ab eodem quem diximus Venerabili Fratre Angelo Acerbi adducantur, cui et facultatem facimus id delegandi ad alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, addito onere hoc etiam curandi, ut certum verumque actae exsecutionis litterarum exemplum Congregationi pro Episcopis iusta diligentia mittatur. Quod reliquum denique est, Apostolicas has Litteras nunc ratas esse et in posterum volumus, contrariis quibuslibet rebus haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **BERNARDINUS** Card. **G ANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Franciscus Cascone, *Proton. Apost. s.n.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 212.675.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servo Dei Georgio Matulaitis seu Matulewicz Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Apostolus Gentium, ad Titum scribens, huiusmodi aptis verbis verissimum pastoris exemplar delineat : ((Oportet enim episcoporum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit et exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere» *(Tit* 1, 7-9).

Nunc vero, nemo dubitet quin exemplar, tam claris verbis ab Apostolo Paulo nuper depictum, Venerabili Servo Dei Matulaitis seu Matulewicz adamussim conveniat. Is enim gradus sanctitatis constanter ac-perseveranter ascendens, non solum in suo ministerio episcopali, sed etiam in tota sua navitate apostolica, sacerdotali et religiosa ((pro Christo et Ecclesia » suscepta, potuit cum S. Paulo Apostolo confiteri : ((Omnibus omnia factus sum, ut aliquos utique facerem salvos » *(1 Cor* 9, 22 b).

Venerabilis Famulus Dei Georgius Matulaitis seu Matulewicz in pago v. Lugine" intra fines olim dioecesis Seinensis (nunc Vilkaviskensis) in Lituania a piis honestisque parentibus Andrea Matulaitis et Ursula Matulis die 13 Aprilis a. 1871, novissimus ex octo filiis, natus est. Die 20 eiusdem mensis, eodem anno, in civitate v. Marijampolë, baptismali aqua ablutus, nomen Georgii Boleslai assumpsit. Rudimenta fidei tam a matre, quam a sacerdotibus Marianis paroeciae Mariampolensis accepit.

Cum vix trium esset annorum, anno 1874 patre orbatus est. Post mortem matris (a. 1881), sub tutela fratris germani maioris natu remansit. Sat laboriose studia primaria et quinque annos gymnasii absolvit. Tunc ob gravem morbum phthisis osseae et paupertatem studia derelinquere laboresque agrestes aggredi coactus est. Enituit tamen puerulus tali virtutis nobilitate, ingenii celeritate et maturitate, fervida pietate, ut a vocatione ad statum sacerdotalem, quam in

corde suo iam a pueritia sentiebat, deterreri non posset, quam potius in imo corde fovit.

Anno 1889 a patruele Ioanne Matulewicz secum in Kielce adductus, ibi studia media absolvit et anno 1891 vigesimum aetatis annum agens in Seminario Kielcensi exceptus est. Tunc etiam, ob peculiares illius temporis condiciones, ex patruele, cognomen ((Matulewicz » sibi asseruit. Quietus, mira sedulitate et ingenio amicali conspicuus, fervido amore Dei imbutus, cito condiscipulis cordi esse incepit, apud quos ob raras dotes et animi magnitudinem in summa aestimatione fuit.

Anno 1893 ab episcopo Kielcensi in Seminario Varsaviensi collocatus, hic ita pietate et sedulitate condiscipulos superavit, ut anno 1895 mitteretur ad Academiam Romanam Catholicam Ecclesiasticam Petropolitanam (Russia). Ibi, debitis studiis diligenter peractis, die 20 Novembris 1898 sacerdos ordinatus, mox postea Sacrae Theologiae Magister <(summa cum laude cum nota primus » renuntiatus est.

In aestate anno 1899 officia pastoralia in paroecia v. Daleczyce prope Kielce suscepit. Quae tamen mox ob recrudescentem morbum phthisis osseae derelinquere in Germaniamque pro cura proficisci debuit. Postea annis 1900-1902 disciplinas theologicas, episcopo consentiente, in Universitate Friburgensi Helvetiorum prosecutus, in Sacra Theologia amplum Doctoris gradum est adeptus cunctis suffragiis cum laude.

In Kielce re versus, imprimis in parva paroecia officia pastoralia adimplebat, deinde in Seminario Kielcensi ius canonicum et Latinam linguam docuit. Ingravescente tamen morbo phthisis osseae, cuius dolores usque ad mortem hilari animo et vultu toleravit, Varsaviam in spe valetudinis recuperandae profectus est. In nosocomio pro pauperibus receptus, ibi summos dolores corporales et morales expertus est, in solitudine spirituali relictus, sine possibilitate adhibendi curam specialem vehementioremque qua ei opus erat. Tandem, ne vitam in supremum discrimen adduceret, ad domum Congregationis clandestinae Ancillarum Ss. Cordis Iesu translatus est.

Ecclesiae magisterii studiosissimus, quaestiones sociales et problemata eisdem connexa penitus exploravit, Litteras Encyclicas <(Rerum Novarum » Leonis XIII prosecutus, qui contra pestíferas fabulas marxianas, tunc temporis saevientes, sanam Ecclesiae doctrinam declaravit.

Denique uti peritus in quaestionibus sociologicis a. 1907 ad Academiam Ecclesiasticam Catholicam Petropolitanam acci tus, docuit

prius — uti primus professor huius noviter introducti cursus — Sociologiam ac ab anno 1909 etiam Theologiam dogmaticam. Tum alumni tum Superiores valde admirati sunt eius doctrinam et vitam virtuosam. Quapropter anno 1910 etiam ad officium vicarii rectoris Academiae promotus est.

Iam diu tamen ad altiora vocatum se sentiens et vitam religiosam in imperio Russico, etsi in condicionibus quam maxime adversis extantem, restaurare cupiens, Ordinem Clericorum Regularium Marianorum sibi iam ab infantia cognitum, ab Imperialibus moderatoribus Russicis suppressum et fere exstinctum, clandestine restaurare et reformare coepit. Debitis facultatibus obtentis, anno 1909 vota religiosa in eo nuncupavit et Constitutiones pro Marianis recentioribus rerum condicionibus aptatas conscripsit; eas Sanctus Pius Papa X die 28 novembris anno 1910 approbavit. Vita functo superstite Moderatore Generali, anno 1911 Ven. Dei Famulus ad munus Superioris Generalis a sociis renovati Instituti Marianorum electus est.

Officiis Academiae prudentissime dimissis, Ven. Dei Famulus se Friburgum in Helvetia transtulit, novitiatus Domum aperuit. Primam Domum Marianorum cum novitiatu in America Septentrionali a. 1913 instituit. Pro novitiis in Polonia anno 1915, in Lituania autem anno 1918, Domos aperuit. Bello mundiali primo adhuc saeviente, domum ad orphanos instituendos Varsaviae condidit, quos ducentos numero recepit et pro eorum necessitatibus quasi ostiatim panem, poma terrae, carbones et vestimenta mendicare non erubuit.

Die 23 Octobris anno 1918 episcopus Vilnensis designatus, omni conatu episcopatum recusavit, in vanum implorando multa auctoritates ecclesiasticas pro abrogatione huius consilii, quia se totum bono Congregationis Marianorum dedere volebat et se incapacem satisfacienli fidelibus diversarum nationum ad hanc dioecesim pertinentibus sentiebat. Tandem, voluntati Benedicti Pp. XV obsequens, consecrationem episcopalem Kaunae suscepit et, peregrinatione prius ad Sanctuarium B. V. M. Matris Misericordiae in Porta Aurorae civitatis peracta, Cathedralem Vilnensem die 8 Decembris eiusdem anni ingressus est.

Quanta heroica virtute ac supernaturali prudentia per septem annos dioecesim rexerit, facile comprehenditur, si prae oculis habeantur politicae vicissitudines in quibus civitas Vilnensis eo tempore versabatur. Aerumnosae difficultates omnis generis, seu ethnicae, civiles, militares, sociales, culturales eo tempore quam maxime ortae sunt. In ministerio apostolico eius caritas immensa omnes amplexata est; eius maxima prudentia congruens insigni eius episcopali <(Vince malum in

bono », atque ceterae virtutes tantum salis et aquae habuere, ut tota vita Venerabilis Servi Dei panis sapidus pro fidelibus et hostia Deo munda efficeretur. Pro omnibus fuit indefessus caritatis artifex et pater.

In Lituania anno 1918 novam Congregationem « Sororum Pauperum ab Immaculata Conceptione B. V. Mariae », pro cura puellarum orphanarum et post bellum derelictarum, instituit eiusque statuta conscripsit. Iam uti episcopus Vilnensis, anno 1924 alteram Congregationem Sororum, nempe « Ancillarum Iesu in Eucharistia constituit, ut praesertim pauperes puellas linguae bielorussae, tam catholicas quam orthodoxas, eruditione generali et educatione religiosa instruerent.

Anno 1925, Concordato inito inter Poloniam et Sedem Apostolicam, sedeque episcopali Vilnensi ad Metropolitanam Sedem evecta, Venerabilis Dei Famulus boni Ecclesiae vere studiosus magis quam suae sortis, prudenter suae sedi renuntiare statuit atque exonerari opta vit.

Summus Pontifex Pius Papa XI, qui Nuntius Apostolicus in Polonia episcopum Georgium optime cognoverat et magni faciebat, hac renuntiatione rata habita, statim eum ad dignitatem archiepiscopalem evexit, Sede tit. Adulitana collata, et Visitatorem Apostolicum in Lituaniam misit. Suum munus brevi tempore, ne duorum quidem annorum spatio, feliciter explevit, multas res magni ponderis ad exitum adduxit : institutionem Provinciae Ecclesiasticae Lituanae, necnon reformationem Facultatis Theologicae in Studiorum Universitate publica, atque monasteriorum Sororum, ac praesertim delineamenta Concordati inter Lituaniam et Sedem Apostolicam, ab eo conscripta quo meliores fierent necessitudinis rationes Lituaniae cum Sancta Sede.

Vix hoc opere expleto et relatione cum schemate ad S. Sedem missa, dum ipse Urbem petere cogitabat, gravi morbo correptus, Kaunac, die 27 ianuarii a. 1927, Sacramentis Infirmorum pientissime susceptis, animam Deo reddidit. Corpus eius a. 1936 ad ecclesiam Marianorum in Marijampolë translatum est.

Cum germana sanctitatis fama in vita et post mortem floruisset, Venerabilis Dei famulus communi aestimatione dignus habitus est, qui ad altarium honores aliquando eveheretur. Nihil, proinde, mirum si hac fama sanctitatis impellente, nonnullis quoque signis firmata, causa de Beatorum Caelitum honoribus Venerabili Servo Dei peragi coepta est.

Quibus rebus omnibus rite perpensis, Processus Informativus apud Vicariatum Urbis institutus est, aa. 1953-1956, eodemque tempore Processus Rogatoriales apud Curias Bruklyniensem, Mechliniensem-Bruxellensem, Buffalensem, et Scrantonensem habiti.

Annis 1957-1959 vota faventia prodierunt super scriptis Venerabilis Servi Dei lingua Latina, Lituana et Polonica compositis. Die 9 mensis Februarii a. 1967 Summus Pontifex Paulus Papa VI introductionem causae decrevit et die 16 mensis Martii anno 1968 decretum de non cultu editum est.

Processu autem Apostolico Romae, aa. 1971-1972, Chicagiae, a. 1971 et Varsaviae, aa. 1970-1971 instructo de omniumque processuum iuridica auctoritate decreto die 7 Martii a. 1975 rite lato, Georgium Matulaitis seu Matulewicz christianarum virtutum culmen attigisse die 11 mensis Maii a. 1982 Nos ediximus.

Postquam autem recte disputatum est de mirabili quadam sanatione intercessioni Venerabilis Servi Dei tributa eaque recognita, et per Decretum die 30 mensis Iunii anno 1986 sancita, statuimus sollemnem beatificationem Venerabilis Georgii die 28 mensis Iunii a. 1987 Romae, inter sollemnia sescentesimum annum accepti christianismi a Lituana gente commemorantia, peragere.

Quare inter ritum coram frequentissima fidelium multitudine in Basilica S. Petri Principis Apostolorum a praesidibus Conferentiarum Episcopalium Ecclesiarum Europae concelebratum, haec verba protulimus : ((Nos, vota fratris Nostri Antonii Vaicius Administratoris Apostolici Telsensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Servus Dei Georgius Matulaitis seu Matulewicz nomine Beati in posterum appelletur, eiusque festum die ipsius natali vicesimo septimo mensis Ianuarii, in locis et modis iure sta-r tutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Quae vero per has Litteras decrevimus, et nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XXVIII** mensis Iunii, anno **MCMLXXXVII**, Pontificatus Nostri nono.

® **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI,** *a publicis Ecclesiae negotiis*

In Secret. Status tab., n. ***218419.***

II

Venerabili Servo Dei Marcello Callo, iuveni saeculari in odium fidei interempto, Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae)) *(Ap* 2, 10). Per tot iam saecula innumeri servi Dei pro inconcussa fidelitate sua, eiusmodi praelucente corona, tribulationem passi sunt magnam, illud oculis quidem cementes praeclarum beati Apostoli effatum : « omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu persecutionem patientur » *(2 Tim* 3, 12). Inter tam frequentes Christifideles, qui iam experti sunt ea, iuvenis saecularis Marcellus Callo connumerandus videtur, de quo, cum Malignum magno fortique animo debellaverit, necnon, Dei voluntati per omnem vitam adhaerendo, ipsum tulerit martyrium fidei, nunc proinde maxime Nos iuvat ea exponere, quae sequuntur. Rhedonibus in Gallia die vi mensis Decembris anno **MCMXXI** ex humilibus piisque parentibus secundo loco natus, christianum nomen duobus post diebus is in baptismate accepit. In familia crevit, ubi, cum factum esset ut domus novem omnino filiis constaret non multis post annis, cito Marcellus didicit coepitque suo moderari ingenio seque ad parentum admonitiones conformare. Puerilem enim servabat disciplinam atque, probe conscius difficultatum domesticarum, pietate vel maiore parentes prosequebatur ac fratres. Christianis moribus recte apteque formatus, adhuc puer Deum coepit amare et Eucharistiam, quam anno **MCMXXXII** primum amanter suscepit. Insequenti anno feliciter ipsa Confirmationis unctione die xxv mensis Iunii miles Christi est factus. Puer elementarius omnino diligenter se gessit, nonnullosque per annos, ut sacerdoti inserviret Sacrum facienti, templum cotidie laetus petebat, neque verebatur tenera adhuc aetate extra domum ad aliquid incumbere, ut familiaribus praesenti aliquo esset auxilio. Suaque in urbe is ipse Iuvenum Exploratorum sodalis fuit, apud quos et Fidem solidabat et suam praesertim vocationem ad apostolatum plane colebat et magis magisque provehebat, ex qua tot fructus spiritales posthac manaturi erant. Anno dein **MCMXXXVI** Marcellus Iuventuti Operariae Catholicae nomen dedit, et quidem potissimum, ut operarius interea inter operarios aliquam perutilem apostolatus formam, saltem recti exempli iuvenem se praebens, assidue exerceret. Quod re vera tunc ibi fecit alibique posthac. Altero bello pancosmio Gallia a Germanico exercitu occupata, cum statutum esset ut complures exinde iuvenes in Germaniam

traducerentur, qui in officinis armis apparandis operam darent, tunc Marcellus pro fratre suo, qui ordinationem sacerdotalem suscepturus iam erat, exportatus est. Is tamen, parentibus et fratribus et coniunctis, ipsaque puella quam sibi desponderat, in patria relictis, in Germaniam tamquam missionarius ultro profectus est, ut, quos secuturus erat, eos christiane confirmaret ac sustineret in extera Natione illa. Illic enim eiusmodi mirabilis iuvenis, opera consociata cum sacerdotibus illuc deportatis necnon cum aliis adulescentibus adhuc aut sacerdotium petentibus aut memoratae Iuventutis Catholicae sodalibus, totum actioni se tradidit evangelicae illis in saeptis inter operarios persequendae. Neque sine causa ab omnibus ibidem fortis habebatur Christifidelis necnon doctrinae Unius hominum Magistri suasor firmusque testis. A custodibus tamen comperto eiusmodi apostolatus genere, quamvis clam explicaretur, fautores in carcerem inclusi sunt omnes, inter quos et iuvenis Marcellus Callo, in quem, quinque in custodia mensibus transactis, haec deinde prolata est sententia: ((Catholica sua agendi ratione erga suos gregales is per tempus laboris detrimento fuit rei publicae et populo Germanico ». Cum igitur « nimis catholicus » habitus esset, Marcellus, die **xix** mensis Aprilis anno **MCMXXxxiiii** in campum Gothanüm relegatus, inde miser ad durissimum campum Flossenburgensem die xn mensis Octobris eodem anno translatus est, at ubique ipse contendit comitum fidem spem caritatem augere neque umquam cessavit egentioribus maleque affectis solacio esse. Demum, ad internecionis castra loci « Mathausen » delatus, ibi, tot aerumnis et vexationibus omnisque generis difficultatibus confectus, quas constanter propter Fidem tamdiu sustinebat, omnino ipse elanguit, dieque **xix** mensis Martii anno **MCMXLV** ad Deum abiit. Marcellus Callo, qui iam ante mortem vir sanctus habebatur, etiam famam martyris fidei est assecutus, quae procedentibus annis est aucta, et quidem potissimum in Germania ad loca maximorum animi angorum, cruciatuum et mortis servi Dei. Quoniamque specialem in modum frequenti etiam iuventuti is admirationi coepit esse, sicut martyr qui vita ac morte sibi constitit tenax in fide, idcirco archidioecesis Rhedonensis causam canonizationis laici iuvenis strenui ac fidelis inire non dubitavit. Informativo igitur quem dicunt Processu Ordinario Rhedonensi (annis **MCMLXVIII-MCMLXXII**) necnon Rogatorialibus Processibus apud tredecim Curias episcopales (annis **MCMLXXI-MCMLXXII)** instructis, die **III** mensis Maii anno **MCMLXXIV** Decretum super revisione scriptorum ad iuvenem Marcellum pertinentium dieque **VII** mensis Ianuarii anno **MCMLXXXII** alterum super Causae introductione

sunt edita. Vacatione autem ab instruendo Processu Apostolico impetrata, die ix mensis Ianuarii hoc anno ipsum prodiit Decretum super validitate Processuum Ordinariorum, qui suo tempore peracti sunt. Hoc ipso anno super virtutibus atque martyrio famuli Dei recognitione instituta ac disceptata, cum Theologi Consultores in Congressum Peculiarem die x mensis Martii congregati, tum Patres Cardinales et Episcopi in Ordinario Coetu die xix mensis Maii celebrato, omnes communi sententia proposito dubio respondentes fassi sunt servum Dei Marcellum Callo heroum in modum virtutes théologales et cardinales reliquasque illis adnexas vere coluisse eiusque mortem verum ac certum martyrium existimandam esse. Ipsi dein, re bene reputata, eiusmodi senteniam ad Nos relatam confirmantes, mandavimus ut et super heroicis servi Dei virtutibus et super eius martyrio Decretum conficeretur, Calendisque Iuniis, omnibus de more convocandis convocatis atque astantibus, declaravimus constare tum de virtutibus heroicis tum de martyrio deque causa martyrii Servi Dei Marcelli Callo, iuvenis saecularis.

Statuta ergo die Beatificationis, hodie mane peracta est Beatificatio tum eius, tum Antoniae Mesina et Petrinae Morosini ; quare in Basilica Petriana hanc formulam elocuti sumus inter Sacra : « Nos, vota fratrum nostrorum Iacobi Jullien, Archiepiscopi Rhedonensis, Ioannis Melis Fois, Episcopi Galtellinensis-Norensis, Clementis Gaddi, Archiepiscopi emeriti Bergomensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Marcellus Callo, Antonia Mesina et Petrina Morosini, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Marcelli Callo die decima nona martii ; Antoniae Mesina die decima septima Maii ; Petrinae Morosini die sexta aprilis, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Sueta subinde oratione habita de vita, virtutibus ac martyrio Beatorum, quos modo publice diximus, eos venerati sumus Ipsique summa cum religione primi invocavimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Octobris, anno **MCMLXXXVII**, Pontificatus Nostri nono.

ffi **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco iß Sigilli
In Secret. Status tab., n. 212.905

III

Servo Dei Arnoldo Rèche Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mus P. D. Guerrinus Grimaldi, Archiepiscopus Salernitanus-Campaniensis-Acernensis atque Exc.mus P. D. Ferdinandus Palatucci, Archiepiscopus Amalphitanus-Cavensis ab Apostolica Sede expostulaverunt ut suarum Ecclesiarum fines aliquantulum immutarentur, iidemque cum limitibus civilibus conveniant.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Aloisii Poggi, Archiepiscopi tit. Forontonianensis et in Italia Nuntii Apostolici, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia Pp. II, sibi tributarum, oblatas preces accipiendas esse censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ab archidioecesi Amalphitana-Cavensi separat partem municipii vulgo *Salerno* nuncupati, in praesens patentem in eadem archidioecesi, et finitimae archidioecesi Salernitanae-Campaniensi-Acernensi perpetuo adnectit, ita ut integrum territorium memorati municipii archidioecesi Salernitanae-Campaniensi-Acernensi pertineat.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Guerrinum Grimaldi, Archiepiscopum Salernitanum-Campaniensem-Acernensem, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum

in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 21 mensis Martii anno 1988.

© **BERNARDINUS** Card. G **ANTIN,** *Praefectus*

L. © S.

© **IOANNES BAPTISTA RE**, Arch. tit. Foronovanus, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 999/86.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 5 Augusti 1988. — Cathedrali Ecclesiae Apamiensi R. P. Albertum-Mariam Monléòn, ex Ordine Fratrum Praedicatorum, moderatorem sacerdotum Seminariique alumnorum Communitatis Emmanuelis et Fraternitatis Iesu, in archidioecesi Parisiensi.

— Titulari Ecclesiae « pro hac vice » archiepiscopali Metensi R. D. Áudrys Iosephum Backis, Pro Nuntium Apostolicum in Hollandia.

die 8 Augusti. — Metropolitanae Ecclesiae Remensi Exc.mum P. D. Ioannem Balland, hactenus Episcopum Divionensem.

— Cathedrali Ecclesiae Aniciensi R. D. Henricum Brincard, Congregationis Vindesemensis-Victorinae sodalem.

die IS Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Fidentinae R. D. Carolum Poggi, hactenus Vicarium generalem Episcopi Piacentini.

die 17 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Bagenae R. P. Ioannem Evangelistam Martins Terra, Societatis Iesu sodalem, quem deputavit Auxiliarem sedis metropolitanae Olindensis et Recifensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Casensi Calanensi Jfc. D. Hilarium Moser, Societatis S. Francisci Salesii sodalem, quem deputavit Auxiliarem sedis metropolitanae Olindensis et Recifensis.

die 31 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Amargosensi Exc.mum P. D. Ioannem Nilton dos Santos Souza, hactenus Episcopum Coadiutorem Spelaeopolitanum a Bono Iesu.

— Episcopum Coadiutorem dioecesis Guaxupensis Exc.mum P. D. Iosephum Geraldum Oliveira do Valle, C. S. S., hactenus Episcopum Almenarensem.

die 8 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Drepanensi, Exc.mum P. D. Dominicum Amoroso, S. D. B., hactenus Episcopum titularem Uthinensem.

die 6 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Perusinae-Civitatis Plebis Exc.mum P. D. Ennium Antonelli, hactenus Episcopum Eugubinum.

die 12 Octobris. — Titulari episcopali Ecclesiae Taciamontanensi R. P. Varnerium Siebenbrock, S. V. D., Vicarium episcopalem archidioecesis Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, quem deputavit Auxiliarem metropolitanae Ecclesiae Bellohorizontinae.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

DECRETA

I

GBARNGANA-MONROVIEN.

de mutatione finium.

Cum ad bonum animarum provehendum expostulatum sit ut territoria districtuum civilium vulgo <(Bopolu » et « Gbarma » in Liberiana re publica hucusque ad dioecesim Gbarnganam pertinentia a memorata dioecesi abstrahantur et archidioecesi Monroviensi uniantur. Consilium hoc Christiano Nomini propagando, praehabito favorabili voto omnium quorum interest, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina providentia Papa II tributarum, oblatis precibus obsecundare censuit.

Qua de re hoc Dicasterium statuit ut territoria supra memorata a dioecesi Gbarngana separentur atque archidioecesi Monroviensi adscribantur praesensque ad rem Decretum confici et expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, in sollemnitate Sanctissimae Trinitatis, die **XXIX** mensis Maii, a. D. **MCMLXXXVIII.**

IOSEPHUS Card. **TOMKO,** *Praefectus*

L. ©• S.

© Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 2662/88.

II

ABENGURUEN .-BONDUKUEN.

de mutatione finium.

Ad bonum animarum aptius provehendum Exc.mi ac Rev.mi Domini Bruno Kouamé, Episcopus Abenguruensis, et Alexander Kouassi, Episcopus Bondukuensis in Litore Eburneo vulgo dicto Côte d'Ivoire, expostulaverunt ut territoria paroeciarum vulgo Assuefry et Transua ad praesens ad dioecesim Abenguruensem pertinentia, ab eadem dioecesi Abenguruensi abstraherentur et dioecesi Bondukuensi unirentur.

Itaque, haec Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide omnibus rite perpensis, acceptoque favorabili quorum interest voto, audito Exc.mo ac Rev.mo Domino Antonio Mattiazzo, Archiepiscopo titulo Virunensi atque in eadem Natione Nuntio Apostolico, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia Pp. II tributarum, territoria de quibus supra a dioecesi Abenguruensi distraxit et ad dioecesim Bondukuensem adiunxit, et praesens ad rem Decretum confici et expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die xiv mensis Iunii a. D. **MCMLXXXVIII.**

IOSEPHUS Card. **TOMKO,** *Praefectus*

L. © S.

© Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 1681/88.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

MOLINEN.

Canonizationis Servae Dei Ludovicae Teresiae de Montaignac de Chauvance, Fundatricis Piae unionis Oblatarum a S. Corde Iesu (1820-1885).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Lectissimas inter feminas, quae superiore saeculo in Gallia ardenti caritate SS.mum Cor Iesu excoluerunt, ad devotionem eius fovendam adlaboraverunt multaque excitaverunt opera, ut christiana vita refici posset, procul dubio connumeranda est Serva Dei Ludovica Teresia de Montaignac de Chauvance.

Ea ortum duxit in urbe cui nomen *Le-Havre-De-Grâce,* in finibus dioeceseos Rothomagensis in Gallia, die 14 mensis Maii anno 1820, quinta ex sex liberis, quos parentes eius honestissimi nobileque genere dari genuerunt. Vividum ingenium, sed in pietatem pronum a prima aetate praesetulit. Septennis instituenda tradita est religiosis Sororibus, quae Fideles Iesu Sodales (« Fidèles Compagnes de Jésus ») appellantur ; sed regularum rigorem aegre ferens, ad suos post annum est riversa. Tunc ad coenobium Parisiense «Les Oiseaux» missa est, ubi biennio permansit. Decennis apud amitam suam Dominam de Rafl&n delata est, quae sedulam adhibuit curam ut solida pietate et christianis virtutibus eam imbueret. Amitae sollicitudini optime respondit puella, quae decimum tertium aetatis annum agens ad eucharisticam mensam primum accessit. Eodem tempore in picturae ac musices disciplinis nonnihil versata est. Parisios ad breve tempus reversa, in praedicto coenobio ubi puella per biennium commorata erat, petiit obtinuitque ut in Congregationem Filiarum Mariae cooptantur. Vividior tunc apparuit in Deiparae Virginis devotionis affec-

tus servandaeque virginitatis votum nuncupavit. Anno autem aetatis suae vicesimo tertio Cordi Iesu se totam mancipavit eiusque cultui propagando se voto obligavit. Post amitae obitum (a. 1845), una cum parentibus in urbem Montis Lucii secessit, ubi domicilium constituit. Tunc pietatis et caritatis operibus impensius vacare coepit, praecipuasque curas ad ecclesias convertit quae sacris indigerent supellectilibus. Mox domum conduxit parentum suorum aedibus contiguam, in eaque anno 1852 quattuor puellas parentibus orbatas posuit, quas pie erudiendas suscepit, atque a se erigendi Orphanotrophii fundamenta iecit. Interim morbo tentata est in cruribus, gradiendique impos effecta, septennio permansit assidue in lecto. Neque liberum crurum usum amplius est adepta, sed toto, quod ipsi in reliquum fuit vitae tempore fere iugiter lecto decumbere coacta est. Anno 1853 patrem amisit animumque suum intendit ad opus *Adorationis Reparatricis,* quod in parvo Orphanotrophi sacello instituit. Sed aliud Dei Serva animo moliebatur, aeque nobile opus, quod ex amitae suae consilio ac veluti testamentum sibi creditum esse ducebat; scilicet piarum mulierum coetum seu religiosum sodalitium condere, in quo licet consociatae mulieres nullum religiosae professionis proferrent signum, votis tamen ad promovendum erga SS. Cor Iesu devotionem se obligarent, ut refrigescens ex temporum nequitia populorum pietas, novum inde incitamentum caperet simulque latae ab impiis divinae maiestati iniuriae fervida precum communione resarcirentur. Suadente deinde moderatore operis ((Apostolatus Orationis », Dei Famula suum sodalitium tamquam tertium Ordinem sociavit Congregationi Missionariorum S. Cordis Iesu, quae Issouduni suam sedem habebat, ipsaque, religiosis votis nuncupatis, renuntiata est anno 1865 Antistita Generalis. Omnem tum operam contulit Serva Dei ad Tertium Ordinem firmandum et amplificandum, eumque variis in locis feliciter constituit. Verum cum ista consociatio suis placitis haud plane responderet, foedus quod inierat cum Missionariis Issoudunensibus infregit et ab eorum auctoritate Sodalitium suum penitus abduxit, nomine indito *Piae Unionis **Oblatorum** SS.mi Cordis Iesu.* Novae tunc exaratae sunt regulae, quas Episcopus Molinensis anno 1874 probavit. Anno autem 1880 Generale Capitulum est habitum, quo receptum est ut una constitueretur universae Congregationis summa Antistita, cui ceterae omnes subessent; et Famula Dei cunctis suffragiis ad id munus electa est, quo ad extremum usque vitae diem functa est.

Neque est praetereundum opus quod *Parva Schola Pueri Iesu* seu *Parvi Samuelis* nuncupatum fuit, a Serva Dei institutum ad ecclesiasticas vocationes inter pueros excolendas. Ipsum porro Institutum a Serva Dei conditum Decretum, quod dicitur, laudis ab Apostolica Sede die 4 mensis Octobris a. 1881 meruit; demum anno 1895, decimo ab obitu suae fundatricis, definitivam obtinuit approbationem. Interea Ludovica Teresia diutinis saevisque tentata doloribus, praesertim postremo actuosissimae vitae triennio, ad extrema deducta, hilari laetoque animo omnibus se praebuit, donec die 27 mensis Iunii anno 1885, piissime obdormivit in Domino.

Famula Dei Ludovica Teresia praeclara per totius vitae cursum christianarum virtutum praebuit specimina. Interior autem quae dicitur vita, quaeque divina alitur gratia et roboratur, fons et scaturigo fuit alterius, quae vocatur, exterioris vitae seu actuositatis ipsius Servae Dei. Laudatur in ea potissimum Fidei virtus, quae cunctas eius actiones et cogitationes informabat. Inde eius habitualis in Deum cogitatio, eius in Deum caritas et in proximos; eius prudentia, ac praesertim in rebus adversis fortitudo.

Sanctitatis fama, qua Serva vivens honestabatur, post eius obitum non deferbuit et confirmata est et aucta etiam ob gratias favoresque, quae eius intercessione a Deo concessa ferebantur. Quare de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis agi cogitatum est. Processus igitur episcopali auctoritate, annis 1905-1909, apud Curiam ecclesiasticam Molinensem adornati sunt Romamque ad Sacram tum Rituum Congregationem missi ubi, servatis de iure servandis, Causa beatificationis Servae Dei die 25 Decembris anno 1914 penes Apostolicam Sedem est introducta. Adornatus est deinde eadem in Curia Molinensi, annis 1917-1921, apostolica auctoritate processus super Servae Dei virtutibus in specie. Utriusque autem processus, scilicet tum ordinarii tum apostolici, validitas iuridica fuit agnita per decretum die 27 mensis Iunii a. 1923 latum. Ad primam autem super virtutibus Famulae Dei disceptationem perventum est, varias ob causas, solum die 7 Maii a. 1940, in Coetu, qui vocabatur, antepraeparatorio praedictae Rituum Congregationis. Qui quidem Coetus eum sortitus est exitum, ut amplior et accuratior requireretur conquisitio documentorum vitam et actuositatem Servae Dei spectantium. Quod grave munus est, die 24 eiusdem mensis eodemque anno, commissum Historicae Sectionis Sacrae Rituum Congregationis; quae Sectio Historica, documentis et testimoniis scriptis undique collectis eorumque valore et authenticitate in tuto positis,

amplissimam digessit Positionem, cui titulus *Disquisitio de vita et actuositate Servae Dei* anno 1977 editam.

Quibus peractis novaque Positione super virtutibus rite apparata, Causa ipsa rursus sistere potuit disceptationibus et quidem novae interim institutae Congregationis pro Causis Sanctorum. Idque primum, die 30 mensis Iunii anno 1987, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 1 mensis Martii a. 1988, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Exc.mo ac Rev.mo D.no Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Mcaeensi in Haemimonto. Porro, utraque in congressione, posito dubio utrum constaret de heroicitate virtutum Servae Dei affirmativum est datum responsum.

Quibus de rebus facta per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli relatione, Sanctitas Sua, vota et suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut Decretum de heroicis ipsius Servae Dei virtutibus rite appararetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis Servae Dei Ludovicae Teresiae de Montaignac de Chauvance, Piae Unionis Oblatorum S. Cordis Iesu fundatricis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 Martii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

VIENNEN.

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Liberati Weiss, Michaelis Pii a Zerbo et Samuelis Marzorati, Ordinis Fratrum Minorum Reform, in Odium Fidei, uti fertur, interfectorum.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur.

Liturgia Concilium antegressa Sanctum Asisinatem Patriarcham ita alloquebatur : « O martyr desiderio, Francisée, quanto studio compatiens hunc [Christum] sequeris ... » ; et vere sanctus Franciscus martyrium subire cupiebat et Evangelium infidelibus, praesertim Saracenis, praedicatum ire ; haec praecipua proposita, ob quae in Syriam se conferre volebat, uti de eo affirmat sanctus Bonaventura : « Desiderio flagrans martyrii, statuit mare transmittere et ad Syriae partes adire, ut fidem christianam et paenitentiam praedicaret Saracenis et ceteris infidelibus» *(Fonti Francescane,* n. 1170, p. 914).

Alterum autem iter facere temptavit : « Iter ideo ingressus est ad Marochium, Miramolino eiusque genti Evangelium praedicaturus et ita optatam martyrii palmam quaesiturus » *(ibid.,* n. 1171, p. 915 et n. 420, p. 456).

Alia vero confecit itinera, quandoquidem caritatis ardor eum ad martyrium incitaret. Anno 1220, nuntiato martyrio a quinque primis suis fratribus Martyribus et Missionariis in Marochio accepto, sanctis videlicet Berardo et Sociis, Franciscus et totus exoriens Ordo magno sunt gaudio affecti.

In Regula, a Papa Honorio III die 29 mensis Novembris anno 1223 approbata, caput XII loquitur de ((Iis Fratribus qui, inflatu moti divino, ad Saracenos infideles proficisci volent ... ». Tum primum factum est ut Conditor eiusmodi sententiam in sua Regula collocaret.

Et Fratrum Minorum historia est praecipue missionalis, hincque facta ad martyrium, quia missionale munus proprium est vitae et contentionis Fratrum Minorum. Hanc ob causam, per saecula, multi sancti Francisci discipuli Missionibus se tradiderunt et plures donum sunt adepti martyrii. Ecclesia, sollicita Mater et Magistra, supremo suo Magisterio per beatificationem et canonizationem martyrium ra-

tum habuit tot Fratrum Minorum, tum temporibus antiquis, tum saeculis posterioribus, tum et recentioribus temporibus, sicut feliciter regnans Summus Pontifex egit quod attinet ad beatum Salvatorem Lilli eiusque Socios martyres.

Primis admodum annis saeculi xvin Sancta Sedes votum suum significavit ut Evangelium gentibus Aethiopiae nuntiaretur; quamobrem a Superioribus Ordinis Fratrum Minorum animosos postulavit missionarios, quibus officium crederet catholicam fidem nuntiandi eximio illi populo.

Ex religiosis qui vocati responderunt peculiari existimatione sunt digni, propter suam fidelitatem et oboedientiam erga Ecclesiam et propter fortitudinem in morte pro Christo Iesu obeunda, hi Servi Dei : Liberatus Weiss, Michael Pius a Zerbo et Samuel Marzorati.

Liberatus Weiss, natus in oppido, patrio sermone *Konnersreuth* appellato, anno 1675 et Ordinem Fratrum Minorum ingressus in Provincia Sancti Bernardini in Austria, sacerdos ordinatus est anno 1698.

Rogatum Superiorum accipiens, huncque secutus statim, petiit ut ad Missionem Aethiopiae proficisceretur. Cum in P. Michaelem Pium a Zerbo incidisset, conatus est una cum eo ad Aethiopiam pervenire, sed infecta re ambo Cairum reversi sunt.

Michael Pius a Zerbo ortus est probabiliter anno 1670; Ordinem Franciscanum est ingressus in Provincia Sancti Didaci in finibus Insubrium, seu in Pedemontio. Ordinatus sacerdos, et ipse hortationi respondens Congregationis de Propaganda Fide, Cairum profectus est, ubi ad P. Liberatum Weiss se iunxit.

Samuel Marzorati, natus anno 1670, introivit in Ordinem Fratrum Minorum Provinciae Longobardae. Sacerdos ordinatus, post aliquod praeparationis tempus, is quoque profectus est ut missionarius ad Dioscoridis Insulam, ex qua varias ob causas fuit ei decedendum, et Cairum attigit.

Hoc modo hi tres missionarii, cum inter se occurrissent seseque praeparavissent, ad Aethiopiam abierunt et, post multas vicissitudines, anno 1712 Gondaram, tunc temporis imperii caput, pervenerunt.

Etsi benex accepti sunt, non tamen potuerunt aperte laborare quoniam res publica instabilis erat et multi iis diffidebant. Cum seditio orta esset, qua est imperator deiectus, qui eos observabat et longe ab urbe capite refugium eis paraverat, a novis moderatoribus inquisiti sunt et captivi Gondaram ducti.

In iudicium vocati, iterum de causa suae praesentiae interrogati sunt; libere responderunt se a Summo Romano Pontifice missos esse ut veram praedicarent religionem; doctrinam defenderunt de duplici Christi natura, circumcisionis inutilitatem religiosam, et orthodoxiam Eucharistiae Ecclesiae Romanae.

Has veritates cum persuasione affirmaverunt et plena cum voluntate, ac se etiam dixerunt paratos esse ad vitam proiciendam.

Eorum pressa et ultima responsio haec fuit : « Incircumcisi monemur, sicut omnes; et credimus atque profitemur duas in Christo naturas, easque usque ad extremam sanguinis guttam profitebimur ».

Oblata est eis vivendi facultatem, si haec répudiassent, sed eorum voluntas inconcussa mansit; qua re, die 3 mensis Martii anno 1716, post aliam, et ultimam quidem, interrogationem, lapidatione damnati sunt, quae est extemplo confecta.

Eorum martyrii nuntius celeriter in Europam advenit; attamen duo fere saecula transierunt priusquam est Causa beatificationis inita. Multiplices rerum mutationes, bella, regiminum et imperiorum eversiones huius retardationis causae praecipuae fuerunt. Itaque solum a mense Novembri anni 1932 et ad mensem Maium anni 1943 acti sunt Processus Vindobonae et alii Processus in diversis locis, quorum intererat, collectis antea multis firmis et gravibus instrumentis.

Positio super martyrio, ex officio concinnata, completa est anno 1984. Deinde diligenter inspecta est primum a Consultoribus Historicis die 16 Maii a. 1984, et postea a Consultoribus Theologis in Congressu Peculiari diei 15 Decembris a. 1987, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali. Quem Congressum secuta est, Calendis Martii anni huius 1988, Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Iosepho Casoria. Porro, utraque in congressione, exposito dubio num de martyrio constaret praedictorum Servorum Dei affirmativum est latum responsum.

Facta postmodum de his omnibus rebus per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione Summo Pontifici Ioanni Paulo II, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super martyrio eorundem Servorum Dei rite appararetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto necnon Causae ponente, meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus

Pater declaravit: *Constare de martyrio et causa martyrii Servorum Dei Liberati Weiss, Michaelis Pii a Zerbo et Samuelis Marzorati, sacerdotum Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 Martii, Anno Mariali 1988.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. & S.

ffi Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA

BARCINONENSIS

DECRETUM

quo Facultas Philosophiae Catalauniae, olim a S. Francisco Borgia nuncupata, curae et operi Archiepiscopi Barcinonensis committitur.

In Ecclesiae multiplicibus inceptis ad altiorem culturae progressum provehendum peculiare habent pondus praeclarae studiorum Universitates ac Facultates Ecclesiasticae ab Apostolica Sede Societati Iesu concreditae, praesertim eo consilio ut in iis scientiarum investigatio de mundo, de homine ac de Deo faveatur atque christiana sapientia sedulo tradatur. Quas inter et Facultas Philosophica Sancti Francisci Borgiae annumeratur, quae anno millesimo octingentesimo sexagesimo quarto opera Provinciae Aragoniae Societatis Iesu Dertusae suum habuit initium ac postea ad Castrum Octavianum in Barcinonensi Archidioecesi sedem suam transtulit.

Mutatis vero temporum rerumque adiunctis, Praepositus Generalis eiusdem Societatis Iesu huius Facultatis curam committendam esse

censuit Archiepiscopo Barcinonensi, qui rem sibi delatam, matura deliberatione praehabita, libenter suscipiens, Apostolicam Sedem adivit, eidem significans omnia ad hoc munus necessaria se rite comparisse.

Quamobrem Congregatio pro Institutione Catholica, re undique perpensa, auctoritate a Summo Pontifice Ioanne Paulo div. Prov. Pp. II sibi collata, habita Conferentiae episcopalis Hispanicae sententia ad normam art. 61 Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana » ac Praeposito Generali Societatis Iesu audito, petitionem sibi allatam excipiens, ad decus et incrementum Ecclesiae Barcinonensis totiusque Hispaniae, Facultatem Philosophicam Sancti Francisci Borgiae, in urbe Castro Octaviano iam vigentem Societatique Iesu concreditam, hoc decreto curae et operi Archiepiscopi Barcinonensis committit ac eam in posterum *Facultatem Philosophiae Catalauniae* nominanda decernit sedemque eius in Urbe Barcinonensi constituit eidemque mandat ut, quaestiones philosophicas methodica investigatione perscrutans et patrimonio philosophico perenniter valido innixa, eorum solutionem naturalis rationis lumine inquirat atque cum christiana mundi, hominis et Dei visione cohaerentiam monstret, relationes philosophiae cum theologia recta in luce ponendo. Hunc in propositum aptam cum Facultate Theologica Barcinonensi instituet operam, quo, servata methodo philosophicis disciplinis propria, novis quaestionibus ex variis scientiis exsurgentibus efficacius responderi valeat.

Haec autem Congregatio statuit ut Facultatis studiorum curriculum in tres cyclos seu gressus distinguatur iuxta ipsius Facultatis Statuta ; facta eidem potestate gradus academicos Baccalaureatus, Licentiae et Doctoratus Philosophiae conferendi iis studentibus, qui, praescriptum studiorum curriculum legitime emensi, praescripta examina feliciter superaverint omniaque ad amussim servaverint quae Statuta servanda iusserint; omnibus ipsi agnitis ac collatis iuribus, honoribus, privilegiis ac officiis, quibus Ecclesiasticae Facultates per orbem catholicum constitutae merito fruuntur.

Hoc idem Dicasterium E.mum Archiepiscopum Barcinonensem pro tempore eiusdem Facultatis *Magnum Cancellarium* nominat atque renuntiat, eidem mandans ut, vi tum pastoralis ipsius muneris tum academicae Ecclesiae legis, Facultatem promoveat ac tutetur, debite in eius doctrinam, mores ecclesiasticamque disciplinam vigilans.

Haec Congregatio denique praecipit ut omnia compleantur quae in Codice Iuris Canonici, in Constitutione Apostolica « Sapientia Chri-

stiana » atque annexis Ordinationibus ceterisque Apostolicae Sedis documentis de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis, necnon in Statutis ab hac eadem Congregatione approbatis adimplenda praescribuntur.

Ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die xxv mensis Iulii, a. D. **MCMLXXXVIII.**

VILLELMUS Card. **BAUM,** ***Praefectus***

L. 85 S.

© Iosephus Saraiva Martins, ***a Secretis***

In Congr. pro Inst. Cath. tai)., n. ll^/Sn/ll.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, **23** Settembre **1988,** S. **E.** il Signor **JEAN-BERNARD RAIMOND**, Ambasciatore di Francia presso la Santa Sede.

Lunedì, **3** Ottobre **1988,** S. **E.** il Signor **RICHARD TÖTTERMAN,** Ambasciatore di Finlandia presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza :

Giovedì, **6** Ottobre **1988,** S. **E.** il Signor **TURGUT ORAL**, Primo Ministro di Turchia.

Da Sabato 8 a Martedì 11 Ottobre 1988 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Francia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

17 giugno 1988. Mons. François Bacqué, Arcivescovo tit. eletto di Gradisca, ***Pro-Nunzio Apostolico in Sri Lanka.***

23 settembre » S. E. mons. Lorenzo Antonetti, Arcivescovo tit. di Roselle, ***Nunzio Apostolico in Francia.***

» » » S. E. mons. Giulio Einaudi, Arcivescovo tit. di Villamagna di Tripolitania, ***Nunzio Apostolico in Cile.***

26 » » Mons. Lorenzo Civili, ***Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana.***

3 ottobre » Mons. Giovanni Lajolo, Arcivescovo tit. eletto di Cesariana, ***Segretario dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

23 luglio 1988. Il Prof. Antonio Quacquarelli, ***Consultore della Sezione Storica della Congregazione per le Cause dei Santi.***

4 agosto 1988. S. E. mons. Camillo Ruini, Vescovo tit. di Nepte; S. E. mons. Antonio Bianchin, Vescovo tit. di Vannida; — i Padri: Umberto Betti, O.F.M.; Nicola Cerasa, O.F.M.; Jean Beyer, S.I.; ***Consultori della Congregazione per i Vescovi.***

17 » » I Padri: Ary Roest Crollius, S. I.; Emilio Platti,0. P.; Gwénolé Jeusset, O.F.M. ; James Chukwuma Okoye, C.S.Sp. ; Michel Lagarde, P.A.; Thomas Michel, S.I. ; — le Suore : Christiane Megarbane, F.M.M.; Lucie Pruvost, S.B., ***Consultori delia Commissione per i rapporti religiosi con l'Islam, presso il Segretariato per i non Cristiani.***

29 settembre » Mons. Hans Paffhausen, ***Capo dell'Ufficio Personale nella Sezione Ordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.***

3 ottobre » Mons. Jean-Louis Tauran, ***Sotto Segretario del Consiglio per gli Affari Pubblici della Chiesa.***

6 » » Mons. Francesco Marchisano, Vescovo tit. eletto di Populonia, ***Segretario della Pontificia Commissione per la conservazione del Patrimonio artistico e storico.***

» » » Mons. Paolo Rabitti, ***Sotto-Segretario della Pontificia Commissione per la conservazione del Patrimonio artistico e storico.***

NECROLOGIO

10 settembre 1988. Mons. Antonio Campelo de Aragào, Vescovo emerito di Petrolina ***(Brasile).***

12 » » Mons. Edmundo Lis Kunz, Vescovo tit. di Tolemaide di Fenicia.

20 » » Mons. Patrick James Skinner, Arcivescovo emerito di Saint John's Newfoundland ***(Canada).***

21 » » Card. Maximilien de Fürstenberg, del titolo del S. Cuore di Gesù al Castro Pretorio.

» » » Mons. Gino Paro, Arcivescovo tit. di Torcello.

22 » » Mons. Frederick Hall, Vescovo emerito di Kisumu ***(Kenya).***

24 » » Mons. Henry A. Pinger, Vescovo emerito di Chowtsun ***(Cina).***

27 » » Mons. Natale Mosconi, Arcivescovo emerito di Ferrara e di Comacchio ***(Italia).***

4 ottobre » Mons. Frederico Didonet, Vescovo emerito di Rio Grande ***(Brasile).***

7 » » Mons. Heinrich Maria Janssen, Vescovo emerito di Hildesheim ***(Repubblica Federale Tedesca).***

9 » » Mons. Gentil Diniz Barreto, Vescovo emerito di Mossoró ***(Brasile).***

An. et vol. LXXX 15 Novembris 1988 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

quibus Commissio quaedam ad plenam ecclesialem communionem Fraternitatis sacerdotalis a sancto Pio X sodalium vel eidem coniunctorum expediendam instituitur.

IOANNES PAULUS PP. II

1. Ecclesia Dei adflicta illegitimam cognovit episcopalem ordinationem ab Archiepiscopo Marcello Lefebvre die tricesimo mensis Iunii collatam, unde ad nihilum sunt omnes conatus redacti horum superiorum annorum ut nempe in tuto collocaretur ipsa cum Ecclesia communio Fraternitatis Sacerdotalis a Sancto Pio Decimo quam idem condidit Reverendissimus Dominus Lefebvre. Nulli enim rei profuerunt eius modi conamina, quae prioribus mensibus fervidius usque fiebant quibusque Apostolica Sedes patientiam adhibebat et indulgentiam, quantam quidem ullo modo fieri licebat.[1]

2. Maestitia vero haec praesertim a Sancti Petri Successore persentitur, ad quem videlicet primum unitatis Ecclesiae tutela pertinet,[2] quantumvis parvus numerus eorum fuerit qui hisce recta via implicantur eventibus, quoniam unusquisque homo a Deo diligitur iam ex sese

[1] Cf. *Nota informativa* diei 16 Iunii 1988 in diurnario «L'Osservatore Romano» (17 Iunii 1988), pp. 1-2.

[2] Cf. Concilium Oecumenicum Vaticanum I, Const. *Pastor aeternus,* cap. 3: *DS* 3060.

Christique sanguine est redemptus de Cruce in omnium hominum salutem profuso.

Adiuncta peculiaria, tum obiectiva tum etiam subiectiva, in quibus actus Archiepiscopi Lefebvre evenit, universis quidem opportunitatem praebent ut alte res ponderentur atque officium fidelitatis renovetur erga Christum eiusque Ecclesiam.

3. In semetipso talis actus fuit *inoboedientia* adversus Romanum Pontificem in causa quadam gravissima summique omnino ponderis pro Ecclesiae unitate, cuius generis est episcoporum ordinatio per quam nempe sacramentaliter sustinetur apostolica successio. Quam ob rem talis inoboedientia — secum quae infert veram repudiationem Primatus Romani — actum *schismaticum*[3] efficit. Atque eundem peragentes actum, quamquam publicum *monitum* ad illos deferendum curaverat Cardinalis Praefectus Congregationis pro Episcopis superiore die decimo septimo mensis Iunii, Reverendissimus Dominus Lefebvre necnon sacerdotes Bernardus Fellay, Bernardus Tissier de Mallerais, Richardus Williamson et Alfonsus de Galarreta in gravem incurrerunt excommunicationis poenam iam ecclesiastica disciplina praestitutam.[4]

4. Huius autem schismatici actus *radix* dignosci potest in ipsa aliqua imperfecta et pugnanti sibi notione Traditionis : imperfecta, quandoquidem non satis respicit indolem *vivam* eiusdem Traditionis, quae — uti clarissime docet Concilium Vaticanum Secundum — « est ab Apostolis ... sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit : crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ex contemplatione et studio credentium, qui ea conferunt in corde suo, tum ex intima spiritualium rerum quam experiuntur intellegentia, tum ex praeconio eorum qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt ».[5]

Sed omnino discors est pugnans Traditionis notio quae universali Ecclesiae Magisterio opponitur, quod quidem pertinet ad Romanum Episcopum Episcoporumque coetum. Nemo profecto traditioni fidelis haberi potest qui ligamina nempe recidit ac vincula ab eo cui Christus ipsa in persona Apostoli Petri, ministerium commisit unitatis in Ecclesiam suam.[6]

[3] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 751.

[4] Cf. *ibid.,* can. 1382.

[5] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Const. dogm. *Dei Verbum,* 8. Cf. Conc. Oec. Vat. I, Const. *Dei Filius,* cap. 4: *DS* 3020.

[6] Cf. *Mt* 16, 18; *Lc* 10,16; Conc. Oec. Vat. I, Const. *Pastor aeternus,* cap. 3: Dig 3060.

5. Facinore modo patrato ante oculos obversante, nos debere intellegimus cunctos fideles conscios reddere quarundam rerum quas tristis eventus hic prae se omnino fert.

w) Exitus reapse quem Episcopi Lefebvre motus nuper habuit omnibus fidelibus potest dare ansam debetque aperte ac penitus cogitandi de propria erga Traditionem Ecclesiae fidelitate, sincere a Magisterio sive ordinario, sive extraordinario, a Conciliis praesertim, a Nicaeno ad Vaticanum IL Ex hac quidem meditatione, omnibus persuadendum est reiterato efficacique modo, oportere sane adhuc dilatare et fidelitatem augere, amotis omnino falsis interpretationibus ac arbitrariis et non legitimis amplificationibus de rebus ad doctrinam, liturgiam disciplinamque pertinentibus.

Praesertim ad Episcopos, per munus quidem pastorale, officium grave pertinet perspicacem exercendi vigilantiam caritatis et fortitudinis plenam, ut eiusmodi fidelitas ubique servetur.[7]

Necesse tamen est, ut omnes Pastores et reliqui Christifideles plane denuo agnoscant non modo auctoritatem, sed etiam Ecclesiae thesaurum, quae et in charismatum varietate et in rerum spiritalium necnon apostolatus traditionibus innituntur, quaeque et pulchritudinem efficiunt unitatis in varietate : illius nempe « temperationis », quam Spiritus Sancti impulsu ad Caelum effert terrestris Ecclesia.

b) Velimus praeterea, et theologos viros et alios scientiarum ecclesiasticarum peritos admonere, ut et eorum sententia hisce in adiunctis exquiratur. Amplitudo, enim, et altitudo praeceptorum Concilii Vaticani II renovatum postulant investigationis studium, quo Concilii perpetuitas una cum Traditione omnino illustretur, in iis potissimum doctrinae partibus, quae, cum fortasse novae sint, nondum bene a quibusdam Ecclesiae portionibus intellectae sunt.

c) Hisce in adiunctis ante omnia cupimus sollemnem et concitatam, paternam ac fraternam provocationem ad eos omnes interponere, qui quoquo modo hucusque cum navitate Archiepiscopi Lefebvre coniuncti sunt, ut grave servent officium adhaerendi ad Christi Vicarium in unitate Ecclesiae Catholicae, neque velint ullo modo tam pravam usque sustinere agendi rationem. Omnes scire debent formalem schismati adhaesionem gravem esse in Deum iniuriam atque excommunicationem prae se ferre lege Ecclesiae rite statutam.[8]

[7] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 386; Paulus PP. VI, Adhort. Ap. *Quinque iam anni* (8 Decembris 1970): *AAS* 63 (1971), pp. 97-106.

[8] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 1364.

His omnibus fidelibus catholicis, qui se vinctos sentiunt quibusdam antecedentibus formis liturgicis et disciplinaribus traditionis Latinae, significare optamus etiam voluntatem Nostram — quacum petimus ut consocientur voluntates Episcoporum eorumque omnium, qui in Ecclesia ministerium exercent pastorale — facilem iis reddendi communionem ecclesialem rationibus necessariis ad tuendam observantiam eorum appetitionum.

6. Consideratis momento et multiplicitate quaestionum in hoc documento memoratarum, haec quae sequuntur decernimus :

a) instituitur *Commissio,* cuius erit Episcopis cooperari, Dicasteriis Curiae Romanae et circulis quorum interest, ut plenam expediat communionem ecclesialem sacerdotum, seminariorum alumnorum, communitatum aut singulorum religiosorum coniunctorum Fraternitati conditae ab Archiepiscopo Lefebvre, qui cupiant Petri Successori in Ecclesia Catholica cohaerere, suas servantes traditiones spiritales et liturgicas, iuxta Protocollum superiore die 5 mensis Maii obsignatum a Cardinali Ratzinger et ab Archiepiscopo Lefebvre;

b) haec Commissio constat ex Cardinali Praeside et aliis membris Curiae Romanae, pro numero qui opportunus habebitur secundum rerum temporumque adiuncta;

c) insuper, ubique observandus erit animus eorum qui se sentiunt traditioni Latinae liturgicae divinctos, idque per amplam ac liberalem applicationem normarum iamdiu ab Apostolica Sede editarum, quod attinet ad usum Missalis Romani iuxta editionem typicam anni 1962.[9]

7. Iam exeunte hoc anno, peculiari modo Sanctissimae Virgini dicato, exoptamus adhortari omnes ut se adiungant continuae deprecationi quam Christi Vicarius, per intercessionem Matris Ecclesiae, Patri adhibet ipsis Filii verbis : *Vt unum sint!*

Datum Romae, apud S. Petrum, die altero mensis Iulii, anno **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

[9] **Cf. Congregatio pro Cultu Divino, Ep. *Quattuor abhinc annos: AAS* 76 (1984), pp. 1088-1089.**

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

KNOXVILLENSIS

Ex distracto territorio a dicione Nashvillensi, nova conditur dioecesis Knoxvillensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Antiquitus sane Romani Pontifices singularum Ecclesiarum immutare aptareve consueverunt fines ut difficultatibus commodius mederi populoque fideli utilius provideri possit. Idcirco quandoquidem Venerabilis Frater Iacobus Daniel Niedergeses, Episcopus Nashvillensis, audita Conferentia Episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, ab Apostolica hac Sede petivit ut, suae circumscriptionis peramplo dismembrato territorio, iam nova constitueretur dioecesis, pro explorato Nos quidem habentes id in animarum utilitatem esse cessurum, expostulationi habitae concedendum esse censuimus. Itaque, exstante favorabili suffragio Venerabilis Fratris Pii Laghi, Archiepiscopi titulo Maurianensis et in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis Pro-Nuntii Apostolici, ex sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi pro Episcopispraepositorum, Apostolica Nos usi potestate, haec quae sequuntur statuimus et decernimus. A dioecesi Nashvillensi territorium separamus. Comitatuum qui his nominibus vocitantur : Anderson, Bledsoe, Blount, Bradley, Campbell, Carter, Claiborne, Cocke, Cumberland, Fentress, Grainger, Greene, Hamblen, Hamilton, Hancook, Hawkins, Jefferson,. Johnson, Knox, Loudon, McMinn, Marion, Meigs, Monroe, Morgan, Picket, Polh, Rhea, Roane, Scott, Sequatchie, Sevier, Sullivan, Unicoi, Union et Washington ; ex eoque territorio novam condimus dioecesim, Knoxvillensem appellandam, cuius videlicet fines a triginta sex supra memoratis terminan tur comitatibus. Novae Ecclesiae sedem in urbe Knoxville collocamus. Templumque ibidem situm, Sacro Cordi Iesu dicatum, ad gradum evehimus et dignitatem cathedralis. Nuper conditam dioecesim metropolitanae sedi Ludovicopolitanae suffraganeam facimus. Mensam episcopalem constituent Curiae emolumenta, fidelium stipes,

pars bonorum quae novae sedi e divisis rebus dioecesis Nashvillensis provenient, ad canonis *Í22* C.I.C. normam. Episcopo autem Knoxvillensi iura imponimus officiaque quibus ceteri locorum Antistites fruuntur detinenturve. Consultores dioecesani deligantur ad iuris normam qui auxilium opemque ferant ipsi Episcopo. Quoad sacrorum alumnorum institutionem, praecepta serventur iuris communis, ob oculos habitis monitis Decreti Concilii Vaticani II « Optatam totius », necnon regulis a Congregatione pro Institutione Catholica statutis. Simul ac novae dioecesis Knoxvillensis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes illi censeantur adscripti Ecclesiae in cuius territorio officium ecclesiasticum legitime habeant; ceteri vero sacerdotes, clerici seminariique tirones ei, in cuius territorio legitimum habeant domicilium. Documenta autem et acta quae ad conditam dioecesim pertinent, ad eius Curiam episcopalem mittantur, ibique custodiantur omni diligentia in tabulario rerum religiosarum. Ad ea postremo explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem Pium Laghi constituimus, factis facultatibus necessariis etiam subdelegandi quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis diligenter mittantur. Contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum die septimo et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

& **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Raphael Varca, *Proton. Apost. s. n.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 219.722.

n
LUXEMBURGENSIS

Dioecesis Luxemburgensis ad gradum archidioecesis evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sicut homines ad ampliorem promoti gradum vel peculiari aliquo honore exornati excitantur plerumque et ratione vivendi et operibus ad virtutes dotesque suas clarius ante aliorum oculos proponendas, quasi ex novae industriae fonte haurientes, ita quodammodo se gerunt, inter cetera omne genus Instituta, etiam illae ecclesiasticae circumscriptiones quae, ex sibi quodam singulari decore concesso, novas depromunt vires vehementioresque impulsus dein ad animarum, quae in eis degunt, incrementum adipiscendum, quod ad vitam christianam, maxime in vivida fide et in honestis moribus positam, pertinet. Qua re, Nos, cum pro certo haberemus cathedralem Ecclesiam Luxemburgensem has esse spiritales utilitates consecuturam, si quod ei signum Nostrae aestimationis daremus, decrevimus ut eam ad archiepiscopalem eveheremus dignitatem. Quapropter, iis auditis quorum intererat eorumque suppleto consensu, qui aliquid iuris in hoc negotio habebant, ex Nostrae Apostolicae auctoritatis et potestatis plenitudine his Litteris Ecclesiam Cathedralem *Luxemburg ens em* ad gradum et dignitatem archidioecesis promovemus, quae Nobis immediate subiecta manebit, sedium suffraganearum expers. Item Luxemburgensem pro tempore sacrorum Antistitem Archiepiscopi titulo augemus et congruis iuribus ac privilegiis decoramus. Canonicorum pariter Collegium ad eandem archiepiscopalem dignitatem provehimus, cum iis omnibus iuribus et privilegiis, quae Collegiorum huius ordinis sunt propria. Ad haec exsequenda autem legamus Venerabilem Fratrem Angelum Petroni, Archiepiscopum titulo Novicensem et in Luxemburgo Apostolicum Nuntium, necessariis et opportunis datis facultatibus etiam delegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, atque onere iniuncto sincerum exemplar peractae exsecutionis ad Congregationem pro Episcopis, ubi primum id fieri poterit, mittendi. Quod denique his Litteris statuimus,

et nunc et in posterum firmum esse volumus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo tertio mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 218.11fi.

III

NASHIKENSIS

Distractis territoriis a dioecesi Poonensi nova dioecesis Nashikensis conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandoquidem sanctissima ipsa Iesu Christi fides, opitulante videlicet Dei omnipotentis gratia validos Evangelii eius praecones in Indiae finibus nominatimque intra communitatis Poonensis dicionem, suam latius virtutem nuper protulit et ad plures usque bonae voluntatis homines ibidem pervenit, oportere Nobis plane videtur exterior iam eiusdem ecclesiasticae regionis compages seu structura novis hisce felicibusque rerum aptetur condicionibus. Quantumvis enim omnis, iubente Domino, Ecclesiae industria in docendo vertatur Dei verbo, quo efficaciter aluntur homines ad salutem aeternam, nemo tamen non percipit viam salutaris expediri religionis si clarior reddatur atque multo eifitientior ratio singulas gubernandi partes regionesve dominici gregis. Quam ob rem, cum Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi nempe pro Gentium Evangelizatione praepositi id suaserint ut pars septentrionalis memoratae supra dioecesis Poonensis illinc abstrahatur in novamque sui iuris dioecesim excitetur, Nos proin, re universa maturo perpensa iudicio receptoque omnium eorum voto quo-

rum interesse potuit, arbitrantes haud sine causa hoc consilium in maximum cedere posse hominum ibidem degentium spiritale commodum, statuimus et quae sequuntur singula decernimus. Loca imprimis civilia vulgo « Dhulia », «Jalgoan», « Nashik », « Ahmednagar » nuncupata de finibus seiungimus iure dicionis Poonensis unde dioecesim constitui censemus ex provinciae illius urbe principi « Nashikensem » appellandam, firmis sane reliquis manentibus locorum limitibus. Communitatem vero novensilem hanc subesse veluti suffraganeam dein volumus Archidioecesi ipsi Bombayensi eiusque Episcopi cathedram in sacra eiusdem principis civitatis aede statui Nashikensis. Pro canonicis interea ipsis deligantur consultores dioecesani ad iuris regulam iidemque rite adhibeantur. Cuncta illa autem hisce quae fieri iussimus Litteris tam in praesens ut valeant praecipimus tempus quam in posterum omne contrariis quibuslibet rebus nequaquam obsistentibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die quinto decimo Maii mensis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Raphaël Varca, *Proton. Apost. s.n.*

Loco £B Plumbi
In Secret. Status tab., n. 221J,82.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Servo Dei Petro Bonilli Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Si vis verae caritatis ordinem custodire, fac iustitiam, dilige misericordiam, fuge luxuriam; incipe secundum praeceptum Domini, non solum amicos, sed etiam inimicos diligere. Et haec cum fideliter custodire toto corde contendens, istis virtutibus quasi quibusdam gradibus poteris ascendere, ut merearis Deum toto animo et tota virtute diligere » (S. Augustinus, *Sermones,*

21	»	»	II sac. Giacomo Ceretto (Roma).
	»	»	II sac. Mario Cipolletti (Roma).
»	»		II sac. Severino Marchesini (Roma).
»	»	»	II sac. Luigi Moretti (Roma).
	»	»	II sac. Giuseppe Simonazzi (Roma).
»	»	»	II sac. Siro Todescato (Roma).
29	»	»	II sac. Stefano Bolzoni (Fidenza).
»	»	»	II sac. Samuele Raffelli (Fidenza).
»	»	»	II sac. Anacleto Zoppi (Fidenza).
»	».	»	II sac. Filippo Luciani (Napoli).
»	»	»	II sac. Lorenzo Bozzi (Siena-Colle di Val d'Elsa-Montalcino).
6	aprile		II sac. Domenico Loiodice (Trani-Barletta-Bisceglie).
14	»	»	II sac. Nicola Cipolletta (Napoli).
18		»	II sac. Celestino Moscardini (Massa Carrara-Pontremoli).
»	»	»	II sac. Giuseppe Vagli (Massa Carrara-Pontremoli).
25		»	II sac. Wladyslaw Hiadowski (Piúsk).
29	»	»	II sac. Salvatore Benedetto Scribano (Catania).
4	maggio	»	II sac. Charles Daniel Balvo (New York).
»	»	»	II sac. James Patrick Green (Philadelphia).
»	»	»	II sac. George Antonysamy (Tiruchirapalli).
7	»	»	II sac. Francisco Joäo de Magalhäes Dalto (Feira de Santana).
»		»	II sac. José Edson Santana Oliveira (Feira de Santana).

7	maggio	1988.	Il sac. Primo Gasparini (Milano),
lé	»	»	Il sac. Giovanni D'Aniello (Aversa).
»	»	»	Il sac. Pietro Parolin (Vicenza).
16	»	»	Il sac. Manfredo Del Monaco (Trivento).
27	»	»	Il sac. Odorisio Capoccia (Foligno).
»	»	»	Il sac. Alessandro Trecci (Foligno).
15	giugno	»	Il sac. Stanislaw Gebka (Czestochowa).
»	»	»	Il sac. Jerzy Stanislaw Kowalski (Czestochowa).
»	»	»	Il sac. Zdzislaw Czeslaw Malecki (Czestochowa).
»	»	»	Il sac. Grzegorz Slezak (Czestochowa).
17	»	»	Il sac. Stanislaw Kntniewski (Plock).
»	»	»	Il sac. Aleksander Pasternakiewicz (Plock).
»	»	»	Il sac. Stanislaw Welenc (Plock).

NECROLOGIO

22	settembre	1988.	Mons. Aldo M. Patroni, Vescovo emerito di Calicut *(India).*
12	ottobre	»	Mons. Caesar Asili, Vescovo di Lira *(Uganda).*
13	»	»	Mons. Francisco Medina Ramírez, Vescovo Prelato di El Salto *(Messico).*
»	»	»	Mons. Tomás A. Clavel Méndez, Arcivescovo emerito di Panamá.
15	»	»	Mons. Bernard Denis, Vescovo emerito di Sandhurst *(Australia).*
22	»	»	Mons. Joannes Maria Holterman, Vescovo emerito di Willemstad *(Curaçao).*
24	»	»	Mons. Marcel Riopel, Vescovo tit. di Neocesarea di Siria.
29	»	»	Card. Thomas B. Cooray, del titolo dei Ss. Nereo e Achilleo.
5	novembre	»	Mons. Pedro Alfonso Torres Farias, Vescovo di Catamarca *(Argentina).*
8	»	»	Mons. Jan Pasztor, Vescovo di Nitra *(Cecoslovacchia).*
9	»	»	Mons. Friedrich Maria Rintelen, Vescovo tit. di Cusirá.
»	»	»	Card. Mario Nasalli Rocca di Corneliano, del titolo di San Giovanni Battista decollato.
11	»	»	Mons. Heinrich Theissing, Vescovo tit. di Mina.
12	»	»	Mons. Adolf Fürstenberg, Vescovo, emerito di Mbala *(Zambia).*

An. et vol. LXXX 12 Decembris 1988 N. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Gttà del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULAE APOSTOLICAE

I

Ad omnes personas consecratas communitatum religiosarum et institutorum saecularium Anno Mariali vertente.

« Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo » (Col 3, 3)

Dilecti Fratres et Sorores in Christo:

I
PROOEMIUM

LITTERAE ENCYCLICAE *Redemptoris Mater* sensum declarant Anni Marialis, quem nunc una cum universa Ecclesia exigimus, a superiore Pentecoste ad proximam Assumptionis Beatae Mariae Virginis sollemnitatem. Hoc temporis spatio nos Concilii Vaticani II doctrinam sequi nitimur, quod in Constitutione dogmatica de Ecclesia *Dei Matrem* tamquam eam indicavit, quae cunctum Dei populum praecedit in fidei peregrinatione, caritatis et perfectae cum Christo coniunctionis.[1] Hanc ob rem, universa *Ecclesia videt in Maria*

[1] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium,* 58; 63.

suam ipsius perfectam *«figuram»*. Quae autem Concilium, Patrum traditionem tenens, de Ecclesia autumat, tamquam universali Populo Dei, oportet ii meditentur — pro sua quisque vocatione — qui ipsam hanc efficiunt communitatem.

Complures profecto vestrum, dilecti Fratres et Sorores, hoc anno redintegrare conantur conscientiam vinculi, quod *inter Dei Matrem et propriam ipsorum in Ecclesia vocationem* intercedit. Haec igitur Epistula, quam Mariali Anno ad vos mittamus, aditi vare vos vult in vestris de hoc argumento meditationibus, atque id facimus recogitantes de considerationibus, quas Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus iam comparavit.[2] Eam conscribentes, exoptamus simul *dilectionem* patefacere *qua vos Ecclesia prosequitur* ob vestram vocationem, ob munus quod in populo Dei expletis, tot in locis, tot modis. Ecclesiae haec omnia magnum sunt donum. Et, quandoquidem Dei Mater, ob partem quam in Christi mysterio habet, constanter adsit in Ecclesiae vita, vocatio vestra vestrumque servitium quaedam sunt huiusmodi eius praesentiae repercussio. Est itaque quaerendum qui huius « figurae » sit nexus cum personarum consecratarum vocatione, quae variis in Ordinibus, Congregationibus, Institutis suam Christo donationem perficere nituntur.

II

VOCATIONIS NOSTRAE MYSTERIUM CUM MARIA MEDITEMUR

In visitatione Elisabeth Mariam, cognatam suam, beatam vocavit ob eius fidem : « Et Beata quae *credidit* quoniam perficientur ea, quae dicta sunt ei a Domino » *{Lc* **1, 45).**

Vere haec verba, Mariae in annuntiatione dicta, insueta fuerant; at diligens scripti Lucae lectio ostendit in ipsis de Deo

[2] Cfr. / *religiosi sulle orme di Maria,* Ed. Vaticana, 1987.

veritatem contineri, iam omnino Evangelio et Novo Foederi consentaneam. Virgo Nazarethana est in *inscrutabile immissa mysterium,* quod Deus vivens est, Deus Trinus : Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Hac in condicione est Virgini revelata vocatio ut Mater esset Messiae; cui vocationi respondit dicens: *fiat:* «Fiat mihi secundum verbum tuum » *(Lc* 1, 38).

Dum de annuntiationis eventu meditamur, nos de ipsa *nostra* cogitamus *vocatione.* Haec semper quoddam discrimen est in itinere nostrae cum Deo vivente necessitudinis. Unicuique namque vestrum novus quidam prospectus patefactus est et vestrae christianae vitae novus sensus novaque ratio indita sunt.

Hoc, profecto, respectu efficitur temporis futuri, vitae videlicet quam ipsa persona vivet, eius electionis maturique consilii. Vocationis momentum ipsam semper personam contingit, sed — sicut Nazareth factum est in annuntiatione — quandam eodem tempore « revelationem » Dei mysterii significat. Vocatio enim — antequam aliquid interius fiat in homine, *antequam formam sumat electionis* personalisque consilii — Dei electionem revocat, quae electioni consilioque humano antecessit. Christus, supremum vale dicens Apostolis de hac re locutus est: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos » *(Io* 15, 16).

Haec optio — uti in annuntiatione evenit Mariae — nos sollicitat ut nos ipsos inveniamus in aeterni mysterii Dei altitudine, qui Amor est. Cum igitur Christus nos eligit, cum nobis dicit « sequere me », tum — sicut Epistula ad Ephesios obtestatur — «Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi» nos eligit in eo: « Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ... qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum ... In laudem gloriae gratiae suae, in qua gratifica vit nos in dilecto Filio suo ». Denique «Notum fecit nobis sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo » *(Eph* 1, 4-6. 9).

Haec verba, cum ad omnes homines pertineant, *aeternam cunctorum singulorumque in Christo electionem* declarant, vocationem videlicet ad sanctitatem, quae Dei filiorum adoprtivorum est propria; simul autem sinunt nos mysterium perspicere cuiusvis vocationis, praesertim vocationis quae ad personas attinet consecratas. Hoc modo, dilecti Fratres et Sorores, quisque vestrum percipere potest quam altum sit quantumque naturam excedat id, quod quis experitur, cum Christum sequitur, qui invitat dicens: « Sequere me ». Tunc Pauli verborum veritas : « Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo » *(Col* 3, 3), obvia et clara fit. Vocatio nostra in aeterno Dei mysterio abscondita est antequam interior eventus fiat in nobis, noster assensus, nostra optio nostrumque consilium.

Una ergo cum Virgine, in annuntiationis eventu qui Nazareth contigit, meditemur vocationis mysterium, quae « pars » nostra in Christo facta est et in Ecclesia.

III

NOSTRAE CONSECRATIONIS MYSTERIUM CUM MARIA MEDITEMUR

Apostolus scribit : « Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo » *(Col* 3, 3). Ab annuntiatione ad paschale transeamus Mysterium. Pauli sententia « mortui estis » eadem declarat, quae ipse exprimit in *Epistula ad Romanos,* cum de significatione Sacramenti scribit, quod nos in vitam inserit Christi: « An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus? » *(Rom* 6, 3). Item modo memorata *Epistulae ad Colossenses* sententia «Mortui estis» significat: « *Consepulti... sumus cum illo per baptismum* in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos *in novitate vitae ambulemus » (Rom* 6, 4).

Deus ab aeternitate nos elegit in Filio suo dilecto, mundi Redemptore. Nostra hinc vocatio ad adoptionis gratiam filiorum Dei cum aeterna veritate convenit, iuxta quam « absconditi sumus cum Christo in Deo ». Vocatio haec, ad omnes christianos attinens, in tempore perficitur per baptismum, quod nos consepelit in Christi mortem. Hoc Sacramento incipit illud quoque nostrum « absconditus esse cum Christo in Deo », hocque factum inscribitur in historia certi definitique hominis baptizati.

Sacramentaliter mortem Christi redemptricem communicantes, nos quoque *cum eo consociamur* in ipsius resurrectione (cfr. *Rom* 6, 5); plenam participamus illam « novitatem vitae » (cfr. *Rom* 6, 4), quam Christus iniit per ipsam resurrectionem in hominis historia. Haec « novitas vitae » liberationem imprimis significat ex hereditate peccati et ex servitute peccati (cfr. *Rom* 6, 1-11).

Simul autem — ac potissimum quidem — *sanctificationem in veritate* (cfr. *Io* 17, 17) indicat, in qua plene patefit prospectus coniunctionis cum Deo, vitae nempe in Deo. Itaque nostra hominum vita « est abscondita cum Christo in Deo », et sacramentaliter et re ipsa. Sacramento viva veritas respondet gratiae sanctificantis, quae nostram humanam permeat vitam per communicationem vitae trinitariae.

Pauli verba, praesertim verba *Epistulae ad Romanos,* hanc totam praeferunt « novitatem vitae », quae primo baptismo participatur, *omnium vocationum principium continere,* quae, vitae cursu, christianum christianamve incitabunt ad electionem et ad in Ecclesia conscium consilium. Etenim in quavis baptizati vocatione quidam relucet aspectus illius « sanctificationis in veritate », quam Christus morte sua et resurrectione perfecit atque in mysterio suo inclusif paschali : « Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate » *(Io* 17, 19).

Hominis vocatio ad totam vitam suam consecrandam peculiari modo ad consecrationem ipsius Christi pro hominibus refertur. Ea ex radice oritur sacramentali Baptismi, quod in se primam et fundamentalem consecrationem Deo comprehendit. Consecratio per consiliorum evangelicorum professionem — id est per vota vel promissa — illius principii, quod est Baptismus, est congruens progressus. In consecratione matura subest optio, qua ipse Deus eligitur, videlicet, *responsio sponsalis Christi dilectioni.* Cum enim ei nos tradimus ipsos ex toto et indivise, « eum sequi » cupimus, consilium capientes de castitate, paupertate et oboedientia servanda secundum evangelicorum consiliorum spiritum. Christo similes esse exoptamus, nostram ipsorum vitam conformantes ad beatitudinum spiritum in sermone Montano prolatarum. At potissimum caritatem quaerimus^ quae omnia vitae consecratae elementa pervadit et veluti germanum « vinculum perfectionis » coagmentat (cfr. *Col* 3, 14).[3]

Haec omnia complectitur significatio ipsa illius Paulini actus <(monendi » qui ratione quidem sacramentali in Baptismo incohatur. Hoc est *mori cum Christo, quod efficit ut eius fructuum resurrectionis participes simus,* ad frumenti grani similitudinem quod cadens in terram « moritur » novam in vitam (cfr. *Io* 12, 24). Personae enim consecratio compleri tantummodo possit, quatenus ea omnia, quae per vincula sacra talem constituit « novitatem vitae », quae vitam nostram uti hominum componunt, « absconduntur » in Christo : scilicet vita nostra abscondita est cum Christo in Deo (cfr. *Col* 3, 3).

Porro si cuius hominis consecratio saltem humano iudicio comparari potest cum « vitae amissione », simul tamen ea brevissima via est ad illam denuo « inveniendam ». Dicit namque Christus : « *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet*

[3] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium,* 44; Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae Caritatis,* 1; 6; *C.I.C.* 573, § 1; 607, § 1; 710.

eam,)) (Mt 10, 39). Extremam haec verba indolem Evangelii certissime declarant. Eodem autem tempore, facile quis percipit quantum ad hominem haec referantur, quam singularis sit eorum anthropologica vis. Quid homini ipsi principalius est, sive viro sive mulieri, quam id ipsum : iterum sese reperire, rursus se invenire in Christo, quoniam « omnis plenitudo » Christus est (cfr. *Col* 2, 9)1

Ad consecrationis per evangelicorum consiliorum professionem argumentum ipsius hominis spectantes hae notiones sinunt usque nos deversa ri intra paschale Mysterium. *Una cum Maria consortes* esse huius mortis studeamus, quae nobis « vitae novae » fructus adtulit in resurrectione. Talis in Cruce mors contumeliam prae se tulit fuitque proprii Filii mors! At illic omnino sub Cruce, « ubi non sine divino consilio stetit »,[4] nonne intellexit Maria, novo quodam modo, illa omnia quae annuntiationis audiverat iam die? Illic profecto, per gladium qui «eius pertransiit animam» (cfr. *Lc* 2, 35), per incomparabilem « kenosim fidei »,[5] nonne *Maria* perspexit usque ad imum plenam *de sua maternitate veritatemf* Illic plane nonne sese decretorio aliquo modo eandem effecit atque talem veritatem, « denuo inveniendo animam », quam in Calvariae experimento « perdere » via acerbissima debuit pro Christo et Evangelio?

In hac ergo veritate, quae de maternitate divina denuo « invenitur », quae « pars » fuit Mariae iam inde ab annuntiationis tempore, voces Christi inscribuntur ex Crucis culmine enuntiatae, quae apostolum designant Ioannem, hominem nempe demonstrant: « Ecce filius tuus!» *(Io* 19, 26).

Dilectissimi Fratres ac Sorores: per vocationem nostram, nostram per consecrationem *redeamus perpetuo* ad *penetralia paschalis Mysterii.* Sistamus nos apud Crucem Christi, ipsius iuxta Matrem. Vocationem nostram ab illa discamus. Nonne

[4] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium,* 58.

[5] Litt. Enc. *Redemptoris Mater,* 18: *AAS* 79 (1987), p 383.

Christus ipse aliquando est elocutus : « Quicumque enim fecerit' voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater et soror et mater est » *(Mt* 12, 50)1 .

IV

CUM MARIA PROPRIUM VESTRUM PONDEREMUS APOSTOLATUM

Paschalia eventa ad Pentecosten nos dirigunt, illum ad diem quo « venerit ille Spiritus veritatis » ut deducat « in omnem veritatem » (cfr. *Io* 16, 13) Apostolos cunctamque Ecclesiam super ipsos conditam veluti fundamenta[6] per generis humani historiam.

Adfert in Cenaculum Pentecostes Maria **a** *novam maternitatem* », quae eius facta est « pars » apud Crucem. In ea permanere debet haec maternitas, at eodem quidem tempore ab ea tamquam « figura » transferri in universam Ecclesiam, quae toti orbi patefacta est adventus Paracliti Spiritus die. Quotquot in Cenaculum convenerunt, conscii sibi sunt vitam suam, a reditus Christi ad Patrem tempore, cum Ipso absconditam esse in Deo. Qua ex conscientia magis vivit Maria quam alius quispiam.

In mundum Deus venit et ex illa natus est « Filius hominis », ut aeternae satisfaceret Patris voluntati qui «sic... dilexit... mundum » (cfr. *Io* 3, 16). Verumtamen, cum Emmanuelem sese praestaret Verbum (Deum nobiscum), Pater Filius et Spiritus Sanctus id etiam altius aperuerunt, quod dicit Ioannes: *mundus « in ipso manet* » (cfr. *1 Io* 3, 24). « In ipso enim vivimus et movemur et sumus» *(Act* 17, 28). Rerum creatarum universitatem amplectitur Deus potentia sua creatrice, quae per Christum revelata est maxime veluti amoris potentia. Verbi dein ipsa Incarnatio, ineffabile atque indelebile documentum

[6] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium,* 19.

Dei « immanentiae » in mundo, nova prorsus ratione eius aperuit « transcendentiam ». Quod omne iam completum est atque in Mysterio paschali conclusum. Filii autem decessio, qui est « primogenitus omnis creaturae » *(Col* 1, 15) novam excitavit illius exspectationem qui omnia replet: « quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum » *(Sap* 1, 7).

Qui vero *una cum Maria in Cenáculo Hierosolymitano* diem praestolabantur Pentecostes, iam illa experti sunt « tempora nova ». Perflante enim veritatis Spiritu exire eos oportet de Cenáculo, ut cum eodem Spiritu testificentur Christum crucifixum ac resuscitatum (cfr. *Io* 15, 26-27). Hac de causa Deum patefaciant tamquam amorem necesse est, qui complectitur orbem simulque penetrat; omnibus persuadere debent cum Christo eos vocari ad « monendum » in ipsius mortis potentia, ut ad vitam resurgant cum Christo absconditam in Deo.

Hoc prorsus efficit quasi *nucleum ipsum apostolici muneris Ecclesiae.* Apostoli, qui Pentecostes die ex Cenáculo sunt egressi, principium evaserunt Ecclesiae, tota quae apostolica est ac persistit constanter *in statu missionis.* Hac in Ecclesia quisque iam de Baptismi sacramento deindeque Chrismatis vocationem percipit quae — uti meminit Concilium — suapte natura et essentia est vocatio ad apostolatum.[7]

Initium sumpsit Marialis Annus in sollemnitate Pentecostes, ut universi cum Maria in Cenaculum invitari se sentiant, unde *tota apostolica Ecclesiae via a generatione in generationem capit principium.* Inter invitatus autem manifesto invenimini vos, cari Fratres ac Sorores, qui impellente Sancti Spiritus virtute vitam vestram exstruxistis vestramque vocationem in peculiaris consecrationis principio, alicuius devotionis universalis ad Deum. Haec proinde ad Cenaculum invitatio Pentecostes significat debere vos *renovare altiusque investigare vocationis vestrae conscientiam* duas quidem in

[7] Cfr. Decr. de apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem,* 2.

partes. Altera continetur illius apostolatus confirmatione, quae in ipsa reperitur consecratione; altera efficitur renovatione multiplicium munerum apostolicorum, quae ex eadem consecratione procedunt intra ipsos limites spiritus et finis tum Communitatum vestrarum atque Institutorum, tum uniuscuiusque vestrum.

In Cenáculo Pentecostes *studete congredi cum Maria.* Nemo magis quam illa ad salutarem hanc vos adducet visionem veritatis de Deo et homine, de Deo et mundo, quae Pauli circumscribitur verbis : « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo! » *(Col* 3, 3). Amplexantur hae voces tam paradoxum quam nucleum ipsum nuntii evangelici. Vos, dilecti Fratres et Sorores, utpote Deo consecratae personae, peculiaribus fruimini facultatibus, quibus hoc evangelicum paradoxum et nuntium hominibus aperiatis. Vestrum insuper est omnibus enuntiare — in mysterio crucis et resurrectionis — quantum mundus omnesque creatae res « in Deo » sint, quantumque nos in eo « vivamus, moveamur et simus », *quantum Deus hic, qui caritas est, omnia complectatur et omnes,* quantum demum caritas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (cfr. *Rom* 5, 5).

Christus vos «-elegit de mundo », atque mundus ipse vestra indiget electione, etiamsi incuriosus interdum videtur eiusdem ac nullum ei tribuere momentum. Mundus hoc eget vestro « abscondi cum Christo in Deo », tametsi nonnumquam clausurae monasticae improbat formas. Etenim in « vos abscondendi » ipsa vi, una cum Apostolis cunctaque Ecclesia, uti proprium orationis sacerdotalis nuntium nostri Salvatoris excipere potestis: « Sicut tu (Pater) me misisti in mundum, *et ego misi eos* in mundum » *(Io* 17, 18). Vos huius missionis, missionis inquimus apostolicae Ecclesiae, participes estis ;[8] participes profecto singulari modo prorsusque vestro, secundum vestrum

[8] Cfr. *C.I.C.* 574, § 2.

« proprium donum » (cfr. *i Cor* 7, 7). Quisque vestrum eam participat et eo magis, quo magis eius vita « est abscondita cum Christo in Deo ». Hic est fons ipse apostolatus vestri.

Eiusmodi apostolatus fundamentalis modus non potest *festinanter mutari per mentis conformationem huic saeculo* (cfr. *Rom* 12, 2). Verum quidem est vos saepe experiri mundum amare « quod suum est » : « Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret» *(Io* 15, 19). Christus enim is est, qui vos « elegit de mundo », et quidem elegit vos « ut salvetur mundus per ipsum » (cfr. *Io* 3, 17). Hac ipsa de causa vestrum « abscondi cum Christo in Deo » non est omnino vobis deserendum, cum sit haec condicio necessaria, ut mundus credat in salvificam Christi virtutem. Id « abscondi », principium ducens ex vestra consecratione, efficit unumquemque vestrum personam *credibilem et claram* : et hoc non obserat, at contra reserat prae vobis «mundum». Etenim « Consilia evangelica — uti iam vobis diximus in Adhortatione Apostolica *Redemptionis Donum* — secundum id quod iis est essentialiter propositum, renovationi creaturae deserviunt: mundus debet per ea subici homini ut homo ipse perfecte Deo donetur ».[9]

Societas operis « Marialis auctus » in Ecclesia universa, veluti Marialis Anni proventus primarii, multis diversisque efficietur modis iuxta cuiusque Instituti propriam vocationem, eoque prosperior erit, quo magis eadem Instituta agent cum fide erga peculiare suum donum. Itaque :

a) Instituta, quae integre ad contemplationem ordinantur, cum « in solitudine ac silentio, in assidua prece et alacri paenitentia soli Deo vacent, quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, praeclaram partem — ut ea Concilium Vaticanum II monet — semper retinent in Corpore Christi mystico ».[10]

Qua re, hoc gratiae peculiari anno, Mariam contuens Ecclesia sentit se attentam esse obsequentemque vitae contempla-

[9] Ad. Apost. *Redemptionis Donum,* 9: *AAS* 76 (1984), p. 530.

[10] Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae Caritatis,* 7.

tivae amplae traditioni, quam viri et mulieres, in hoc charismate manentes, redintegrare valuerunt et alere pro communitate ecclesiali proque hominum universae societatis bono. Sanctissima Virgo tanta fuit spiritali fecunditate praedita, ut facta sit Ecclesiae Mater totiusque humani generis. Silentio, Dei verbum continenter auscultans arcteque cum Domino coniuncta, Maria instrumentum evasit salutis, cum Filio suo divino Iesu Christo. Se igitur consolentur omnes qui vitae contemplativae se voverunt, quandoquidem Ecclesia itemque mundus, qui est eidem evangelizandi, non modicum excipiant lumen et robur a Domino, per eorum absconditam et orantem vitam; persequentes pariter Ancillae Domini humilitatis, solitudinis perpetuaeque communionis cum Deo exempla, in amore crescant vocationis suae, animarum contemplationi deditarum.

b) Quot vero Religiosi viri ac mulieres ad vitam apostolicam se conferunt, ad evangelizationem, ad caritatis opera et misericordiae, in Maria exemplar inveniunt caritatis erga Deum et homines; quod sequentes acriter fideliterque, necessitatibus respondere poterunt hominum qui, rebus certis carentes, veritate Deique sensu, affiictantur; vel iniquitatibus vexantur, discriminibus, oppressionibus, bellis, fame. Una cum Maria condiciones participare poterunt fratrum suorum atque Ecclesiae auxiliari, prompti sane ad officia praestanda pro hominum salute, qui itineri eius hodie obvii sunt.

c) Institutorum saecularium sodales, cotidianam vitam in diversis hominum ordinibus agentes, in Maria specimen reperiunt et auxilium ut hominibus, quibuscum in saeculi condicionibus partem habent, praebere valeant sensum concordiae et pulchritudinis vitae humanae, quae eo maior est et laetior, quo magis Deo patet; actae vitae testimonium ut in bono communitates aedificent humana persona digniores in dies; comprobare denique temporales res, Evangelii vi patratas, recreare posse humanum consortium, illud liberius iustiusque reddendo

pro bono omnium Dei filiorum, mundi universi Domini omniumque donorum largitoris. Hoc canticum erit, quod homo ipse, haud aliter ac Maria, Deo cantare poterit, omnipotentem eum agnoscens et misericordem.

Si impensius studueritis secundum vestram vocationem omnino vivere et praeclarum suspexeritis exemplar illius, quae perfecte Deo consecrata fuit, Matris scilicet Iesu et Ecclesiae, evangelicae vestrae testificationis crescet efficacia atque hac de re *pastoralis actio vocationibus excitandis* proficiet.

Non pauca quidem Instituta hodiernis temporibus vocationes valde desiderant multisque profecto in locis Ecclesia animadvertit plures ad vitam consecratam vocationes esse necessarias.

Atqui Marialis Annus vocationes poterit suscitare si fidentius a Maria auxilium petetur, veluti a matre quae familiae ministrat et simul omnium Ecclesiae partes impensius sentient suum esse ad vitam consecratam in Ecclesia fovendam conferre.

V

CONCLUSIO

Mariali vertente Anno, Christifideles omnes, iuxta Ecclesiae mentem, invitantur ad meditandam *Deiparae Virginis praesentiam in mysterio Christi ipsiusque Ecclesiae.*[11] Haec Epistula incitamento est ut consideretis praesentiam hanc in cordibus vestris, in historia animae vestrae vestraeque cuiusque vocationis simulque in religiosis Communitatibus, Ordinibus, Congregationibus Institutisque saecularibus.

Annus Marialis, licet profecto affirmare, factus est *tempus singularis « peregrinationis »* in vestigiis Eius, quae in fidei peregrinatione cunctum Dei « praecedit » populum : praecedit scilicet omnes et quemque, vestrum. Haec peregrinatio multiplices prae se fert modos et ambitus : nationes totae enim, quin immo continentes ad marialia Sanctuaria conveniunt, ne

[11] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium,* cap. VIII, nn. 52-69.

de singulis Christifidelibus loquamur, qui sua « interiora » habent sanctuaria, in quibus Maria eos ducit in via fidei, spei et coniunctionis amoris cum Christo.[12]

Ordines crebro, Congregationes et Instituta una cum usibus nonnumquam perantiquis, Sanctuaria quoque habent sua, *<(loca)) scilicet praesentiae Mariae,* quibus eorundem iuncta est religio et ipsa eorum vitae et muneris in Ecclesia historia. « Loca » haec mentem profecto ad Virginis Matris peculiaria mysteria revocant, ad condiciones, ad eius vitae eventus, ad testimonia demum experientiarum spiritualium Conditorum vel ad eorum charismatum significationem, quae deinceps ad cunctas transierunt communitates.

Hoc vero Anno potissimum his in « locis », his in « Sanctuariis » adesse annitimini. Novum perquirite in his robur, sincerae renovationis vitae vestrae consecratae vias simulque nova consilia novasque apostolatus rationes. *V estig ate in iis vestram identitatem,* sic ut paterfamilias ille idemque sapiens vir (v qui profert de thesauro suo nova et vetera » *(Mt* 13, 52). Sic esto! Quaerite per Mariam spiritalem vigorem, cum ipsa iuvenescite. Pro vocationibus orate. Denique « Quodcumque dixerit vobis, facite », ut admonuit Virgo in Cana Galilaeae (cfr. *Io* 2, 5). Hoc *a vobis,* hoc *vobis* exoptat Maria, Sancti Spiritus mystica Sponsa ac Mater nostra. Quin adhorter vos, ut huic Mariae voto actu communi fiduciae respondeatis, quae sane « respondet matris amori ».[13]

Hoc Mariali Anno Nos quoque ipsi Ei quemque vestrum concredimus intimo ex animo, Communitates pariter vestras, vobisque tandem benedicimus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxn mensis Maii, in Pentecostes sollemnitate, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

[12] Cfr. *ibid.,* 63; 68.

[13] Litt. Enc. *Redemptoris Mater,* 45: *AAS* 79 (1987), p. 423.

II

De dignitate ac vocatione mulieris Anno Mariali vertente.

IOANNES PAULUS PP. II

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii et Filiae,
salutem et Apostolicam Benedictionem

I

PROOEMIUM

TEMPORUM SIGNUM

1. **MULIERIS DIGNITATEM** et vocationem humana et christiana meditatio, quae constanter huic studuit argumento, recentioribus annis maximi fecit momenti. Hoc quidem confirmant, inter cetera, *Ecclesiae Magisterii interventus,* in pluribus ostensi documentis *Concilii Vaticani II,* quod dein in nuntio extremo dicit : « Venit hora, adventavit hora, qua mulieris vocatio plene procedit; hora, qua mulier in hominum societate vim, fulgorem, facultatem adipiscitur, quae numquam adhuc sibi acquisivit. Eam ob rem, tempore quo humanum genus tam vehementer mutatur, mulieres spiritu evangelico illuminatae tantum possunt homines adiuvare ne deficiant».[1] Huius nuntii verba ea complectuntur, quae iam conciliare magisterium expresserat, praesertim in Constitutione pastorali *Gaudium et spes*[2] et in Decreto de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem}*

Eiusmodi propositiones iam ante Concilium significatae erant, exempli causa in non paucis Papae Pii XII allocutio-

> Nuntius Concilii ad Mulieres (8 Decembris 1965): AAS 58 (1966), 13-14.

[2] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 8; 9; 60.

[3] Cf. CONO. OEC. VAT. II, Decr. *Apostolicam actuositatem* de apostolatu laicorum, 9.

nibus[4] et in Litteris Encyclicis *Pacem in terris* Papae Ioannis XXIII.[5] Post Concilium Vaticanum II Decessor Noster Paulus VI huius « temporum signi » explanavit significationem, titulum. Doctoris Ecclesiae tribuendo Sanctae Teresiae a Iesu et Sanctae Catharinae Senensi,[6] atque insuper instituendo, rogante Coetu Synodi Episcoporum anno 1971, ad hoc ipsum *Commissionem,* cuius erat studere quaestionibus hac aetate pertinentibus ad « *veram mulierum dignitatis et conscientiae provectionem* ».[7] In quadam sua allocutione Paulus VI praeter cetera dixit: <c In Christiana religione enim, magis quam in qualibet alia, inde ab initio peculiari dignitatis statuto regitur mulier, de quo Novum Testamentum nec paucas nec parvas testatur facies (...); evidenter apparet mulierem positam esse, ut pars sit structurae vivae et efficientis Christianismi, modo quidem tam gravi, ut nondum forsitan omnes eius potentiae enucleatae sint ».[8]

Patres recentis Conventus Synodi Episcoporum (mense Octobri anno 1987), qui « De vocatione deque munere laicorum in Ecclesia et in mundo viginti annis post celebratum Concilium Vaticanum II » tractavit, rursus de dignitate deque vocatione mulieris quaesierunt. Ii, praeter alia, votis expetiverunt ut penitus perspicerentur fundamenta anthropologica et theologica necessaria ad solvendas quaestiones contingentes

[4] Cf. Pius PP. XII, Allocutio ad mulieres e Societatibus Christianis Italiae delegatas (21 Octobris 1945) : *AAS* 37 (1945), 284-295; Allocutio ad delegatas Conventui Unionis universali Sodalitatum mulierum catholicarum (24 Aprilis 1952): *AAS* 44 (1952), 420-424; Allocutio ad eas quae interfuerunt XIV Conventui Internationali ex «Union Mondiale des Organisations féminines catholiques» (29 Septembris 1957): *AAS* 49 (1957), 906-922.

[5] Cf. IOANNES PP. XXIII, Litt. Enc. *Pacem in terris* (11 Aprilis 1963): *AAS* 55 (1963), 267-268.

* Declaratio S. Teresiae de Avila, Virginis, «Doctoris universalis Ecclesiae» (27 Septembris 1970): *AAS* 62 (1970), 590-596; Declaratio S. Catharinae Senensis, Virginis, «Doctoris universalis Ecclesiae» (4 Octobris 1970): *AAS* 62 (1970), 673-678.

[7] *AAS* 65 (1973), 284 s.

* PAULUS PP. VI, Allocutio ad eas quae interfuerunt Nationali Conventui Consociationis Italicamm Mulierum *(C I F),* (6 Decembris 1976): *Insegnamenti di Paolo VI,* XIV (1976), 1017.

significationem et dignitatem quam habet et esse mulierem et esse virum. Cognoscantur oportet causa et consecutiones consilii Creatoris, pro quo humanus semper et solum femina sit et mas. Tantummodo ex his fundamentis, quae cognoscere sinunt altitudinem dignitatis et vocationis mulieris, eius actuosa praesentia in Ecclesia et in societate indicari potest.

Haec quidem in hoc Documento volumus tractare. Adhortatio, quae Synodum sequetur, quaeque post idem Documentum vulgabitur, curabit proposita naturae pastoralis quoad munus mulieris in Ecclesia et in societate, de quibus Patres synodales magni ponderis considerationes patefecerunt, post perspectas etiam testificationes auditorum laicorum — mulierum et virorum — qui ad Ecclesias particulares pertinebant omnium continentium.

ANNUS MARIALIS

2. Ultima Synodus Anno Mariali acta est, qui peculiariter impellit ad hoc argumentum obeundum, sicut etiam patet ex Litteris Encyclicis *Redemptoris Mater.*[9] Quae Litterae excolunt et perficiunt doctrinam Concilii Vaticani II, quae capite VIII continetur Constitutionis dogmaticae de Ecclesia *Lumen gentium.* Huic capiti significans est titulus: « De Beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae ». Maria — haec Bibliorum « mulier » (cf. *Gn* 3, 15; *Io* 2, 4; 19, 26) — salvifico Christi mysterio arcte coniungitur ideoque singulari modo etiam in Ecclesiae mysterio adest. Quoniam Ecclesia est «in Christo veluti sacramentum (...) intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis »,[10] specialis haec Matris Dei praesentia in Ecclesiae mysterio efficit ut de *singulari vinculo cogitemus huius « mulieris » cum cuncta humana familia.* Hic de unoquoque agitur, de omnibus humani

[9] Cf. Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 46: *AAS* 79 (1987), 424 s.
[10] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 1.

generis filiis et filiabus, in quibus per aetatum cursum illa perficitur omnium hominum fundamentalis hereditas, quae est «principii biblici» iuncta mysterio: «Creavit Deus hominem ad imaginem suam; masculum et feminam creavit eos» *(Gn* 1, 27).[11]

Haec aeterna *de homine veritas,* viro et muliere — quae in experientia omnium est stabiliter defixa — eodem tempore est ((mysterium » quod « *solummodo in Verbi incarnati mysterio veram invenit lucem* (...) Christus homini plene aperit et patefacit altissimam eius vocationem », uti Concilium docet.[12] Nonne in hoc « aperire hominem homini » oportet peculiarem invenire locum pro ea « muliere », quae Mater Christi fuit? *Christi nuntius,* quem in se continet Evangelium, quique in recessu latet omnium Litterarum Sanctarum, Veteris et Novi Testamenti, nonne multum dicere potest Ecclesiae et humano generi de mulieris dignitate et vocatione?

Hic prorsus textus erit huius Documenti, quod indoli convenit Anni Marialis, dum ad exitum secundi et ad initium tertii millennii a Christi natali pergimus. Nobisque optimum videtur *hunc Textum designare stilo et natura meditationis.*

II

MULIER - MATER DEI

(THEOTOKOS)

CONIUNCTIO CUM DEO

3. Ubi *«venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere ».* His verbis Epistulae ad Galatas (4, 4), Apostolus Paulus tempora praecipua conectit, quae modo

[11] Explanatio significationis anthropologiae ac theologicae huiusce « principii » inveniri potest in priore parte Allocutionum die Mercurii habitarum, quarum argumentum fuit «theologia corporis», ex die 5 Sept. 1979: *Insegnamenti II,* 2 (1979), 234-236.

[12] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 22.

essentiali exitum mysterii determinant « in Deo praestituti » (cf. *Eph* 1, 9). Filius, Verbum Patri consubstantiale, homo nascitur ex muliere, cum venit « plenitudo temporis ». Hic eventus ducit ad cardinem historiae hominis super terra, ut salutis historiae acceptae. Significans est Apostolum Matrem Christi non nomine proprio eius « Maria » vocare, sed « mulierem » eam appellare : quod sane congruit cum verbis Protoevangelii in libro *Genesis* (cf. 3, 15). Illa quidem « mulier » adest in salvifico hoc principe eventu, qui de « plenitudine temporis » decernit : hic eventus in ea et per eam efficitur.

Sic incipit *eventus princeps, cardo historiae salutis,* Pascha Domini. Fortasse tamen utile est de eo recogitare initio facto ab historia spiritali hominis quam amplissime accepta, qualis exprimitur per diversas mundi religiones. Commemoremus hic Concilii Vaticani II verba: « Homines a variis religionibus responsum exspectant de reconditis condicionis humanae aenigmatibus, quae, sicut olim et hodie corda hominum intime commovent: quid sit homo, quis sensus et finis vitae nostrae, quid bonum et quid peccatum, quem ortum habeant dolores et quem finem, quae sit via ad veram felicitatem obtinendam, quid mors, iudicium et retributio post mortem, quid demum illud ultimum et ineffabile mysterium quod nostram existentiam amplectitur, ex quo ortum sumimus et quo tendimus ».[13] « Iam ab antiquo usque ad tempus hodiernum apud diversas gentes invenitur quaedam perceptio illius arcanae virtutis, quae cursui rerum et eventibus vitae humanae praesens est, immo aliquando agnitio Summi Numinis vel etiam Patris ».[14]

In hac magna scaena, quae ante oculos ponit appetitiones spiritus humani quaerentis Deum — interdum quasi « adtrectantis » (cf. *Act* 17, 27) — « plenitudo temporis », de qua Paulus loquitur in Epistula sua, *ipsius Dei responsum* illustrat,

[13] CONC. OEC. VAT. II, Decl. *Nostra aetate* de Ecclesiae habitudine ad Religiones non-Christianas, 1.

[14] *Ibid.,* 2.

eius scilicet « in quo vivimus et movemur et sumus » (cf. *Act* 17, 28). Deus est hic qui «multifariam et multis modis olim locutus est patribus in prophetis, et in novissimis his diebus locutus est nobis in Filio » (cf. *Heb* 1, 1-2). Huius Filii missio, consubstantialis Patri, qua hominis « ex muliere nati », summus est et *decretorius gradus revelationis, qua Deus humano generi se indicat.* Haec revelatio *naturam salvificam* habet, sicut in alio loco docet Concilium Vaticanum II : « Placuit Deo in sua bonitate et sapientia seipsum revelare et notum facere sacramentum voluntatis suae (cf. *Eph* 1, 9), quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur » (cf. *Eph* 2, 18; *2 Ee* 1, 4).[15]

Mulier in medio est *huius salvifici eventus.* Revelatio, qua se Deus indicat, qui est imperscrutabilis unitas in Trinitate, continetur, iam delineata, *annuntiatione Nazarethana.* « Ecce, concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur ». « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco »? « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur sanctum vocabitur, Filius Dei (...). Non erit impossibile apud Deum omne verbum» *(Lc* 1, 31-37).[16]

Facile est de hoc eventu cogitare prospectu historiae Israel, populi electi cuius Maria est filia, sed etiam facile est illum cogitare prospectu omnium viarum, in quibus genus humanum ex solito responsionem quaerit interrogationibus potis-

[15] CONO. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 2.

[16] Iuxta Ecclesiae Patres, prima revelatio Trinitatis in Novo Testamento, facta est in Annuntiatione. In quadam homilia, quae S. GREGORIO THAUMATURGO ascribitur, legitur : « Tu in summis spiritalibus regnis, lucis splendore coruscas : ubi glorificatur Pater omnis principii expers, cuius obumbrantem habuisti potentiam ; adoratur Filius, quem secundum carnem peperisti; celebratur Spiritus sanctus, qui in tuo utero nativitatem magni Regis peregit. Per te, o gratia plena, Trinitas sancta et consubstantialis in mundo cognoscitur» *(Horn. II in Annuntiat. Virg. Mariae: PO* 10, 1169). Cf. etiam S. ANDREAS CRETENSIS, *In Annuntiat. B. Mariae: PC* 97, 909.

simis et supremis simul, quibus magis angitur. Nonne in annuntiatione Nazarethana initium invenitur illius decretoriae responsionis, qua *ipse Deus « sollicitudinibus humani cordis occurrit* »?[17] Hic non agitur solum de veritatis revelatae verbis, sed vere, per hanc responsionem, « de Verbo facto carne» (cf. *Io* 1, 14). *Maria* ita consequitur *talem cum Deo coniunctionem,* ut omnes excedat humani spiritus exspectationes et, praesertim, huius populi electi filiarum, quae, ex promissione, sperare poterant fore ut olim una sui mater fieret Messiae. Quae tamen earum conicere poterat promissum Messiam futurum esse « Altissimi Filium »? Secundum fidem monotheisticam veteris Testamenti, hoc ne cogitari quidem poterat. Solum Spiritus Sancti virtute, qui ei « obumbravit », Maria poterat accipere id quod est « impossibile apud homines, sed possibile apud Deum » (cf. *Mc* 10, 27).

THEOTOKOS

4. Hoc modo « plenitudo temporis » ostendit eximiam « mulieris » dignitatem. Quae dignitas detegit allevationem ad coniunctionem cum Deo in Iesu Christo, quae efficit altissimum finem vitae omnis hominis sive in terra, sive prospectu aeternitatis. Hoc respectu « mulier » exemplar est et archetypum totius humani generis: *exemplar est naturae humanae,* quae propria est omnium humanorum, tum virorum tum mulierum. Eventus autem Nazareth anus in lucem profert formam coniunctionis cum Deo vivo, *quae solius « mulieris » esse potest,* coniunctionis videlicet matris cum filio: Virgo enim Nazarethana Mater fit Dei.

Haec veritas, inde ab initio fide christiana accepta, est sollemniter in Concilio Ephesino enuntiata (a. 431).[18] Hoc Con-

[17] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decl. *Nostra aetate* de Ecclesiae habitudine ad Religiones non-Christianas, 2.

[18] Theologica doctrina de Dei Matre (Theotokos) a plurimis asserta Patribus Ecclesiae, explanata ac definita in Conciliis Ephesino *(DS* 251) et Chalcedonensi *(DS* 301), iterum est proposita a Concilio Vaticano II in cap. VIII Const. *Lumen gentium* de Ecclesia, 52-69. Cf. Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 4, 31-32, et notae 9. 78-83: *I. mem.,* 365, 402-404.

cilium, a sententia Nestorii dissentiens, qui putabat Mariam matrem esse solummodo Iesu hominis, in lumine collocavit essentialem significationem maternitatis Mariae Virginis. In annuntiatione, respondendo « fiat », Maria virum concepit, qui erat Dei Filius, consubstantialis Patri. Est ergo vere Mater Dei, quandoquidem maternitas ad totam personam attinet, nec ad solum corpus nec ad solam humanam « naturam ». Ita nomen « Theotokos » — Mater Dei — factum est nomen proprium coniunctionis cum Deo, Mariae Virgini concessae.

Peculiaris Dei Genetricis cum Deo coniunctio, quae excellentissimo modo perficit supernaturalem praedestinationem ad coniunctionem cum Patre omni homini datam (« filio in Filio »), mera gratia est et, qua talis, *Spiritus donum.* At simul, per responsionem fidei, Maria liberam suam voluntatem exprimit, ideoque plenam suam femineam eventus Incarnationis participationem. Per suum « *fiat* » Maria verum subiectum fit eius cum Deo coniunctionis, quae ad effectum adducta est in mysterio incarnationis Verbi consubstantialis Patri. Tota Dei actio in hominum historia semper liberam hominis voluntatem servat. Idem accidit Nazareth in annuntiatione.

((SERVIRE REGNARE EST »

5. Eventus hic *inter personas fit:* colloquium est. Illum non plene intellegimus, nisi totum colloquium Angeli cum Maria in salutationem includimus : « gratia plena ». Totus annuntiationis dialogus[19] ostendit essentiale eventus momentum : momentum *supernaturale et charismaticum (xe%a()iT03[ievr;).* Sed gratia, seu Dei actio supernaturalis, numquam naturam excludit, quin immo eam perficit et nobilitat. Quapropter, illa *« plenitudo gratiae »*, quae ideo est Virgini Nazarethanae concessa, quod <(Theotokos » futura erat, simul *perfectionis plenitudinem* eius *significat, « quod est mulieris proprium »*, eius

[19] Cf. Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 7-11, atque textus Patrum ibi memorati in nota 31: Î. *mem.*, 367-373.

***a** quod muliebre est* ». Invenimus hic, quodam modo, culmen et archetypum personalis mulieris dignitatis.

Cum Maria caelestis nuntii verbis respondet « Fiat mihi », ea, « gratia plena », exprimere optat rationem suam cum dono quod est ei revelatum, dicendo : « *Ecce ancilla Domini » (Lc* 1, 38). Hanc phrasim non licet suo alto sensu privari nec minui, dolose eam secludendo a toto eventus contextu et a summa veritatis de Deo deque homine revelatae. In verbis « ancilla Domini » animadvertitur Mariae conscientia plena ipsam respectu Dei creaturam esse. Verbum tamen « ancilla », sub finem colloquii annuntiationis, inscribitur in toto conspectu historiae Matris et Filii. Etenim, hic Filius, qui verus erat et consubstantialis « Filius Altissimi », pluries de se dixit, praesertim supremo missionis suae tempore, « Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret » *(Me* 10, 45).

Christus semper est sibi conscius « esse se servum Domini », secundum Isaiae jyophetiam (cf. 42, 1; 49, 3. 6; 52, 13), qua res essentialis eius messianici muneris continetur : conscientia nempe se esse Redemptorem mundi. *Maria,* inde a primo tempore divinae suae maternitatis, suae cum Filio coniunctionis, quem « Pater misit in mundum, ut salvetur mundus per ipsum » (cf. *Io* 3, 17), *adhaeret servitio Christi messianico.*[20] Et hoc ipsum servitium fundamentum eius Regni est, in quo «servire regnare est ».[21] Christus, «Servus Domini», omnibus hominibus patefaciet regalem servitii dignitatem, cui arcte cuiuslibet hominis annectitur vocatio.

Ita, mulierem-Matrem Dei considerantes, opportunissimo modo hanc de Anno Mariali meditationem inimus. Hoc autem *essentialem* etiam definit *meditationis conspectum de dignitate deque vocatione mulieris.* Nihil cogitari, dici vel fieri potest, ad dignitatem et ad vocationem mulieris spectans, si ab hoc conspectu cogitatio, cor et opera segregantur. Cuiusvis

[20] Cf. *ibid.,* 39-41: *I. mem.,* 412-418.

[21] Cf. CONC OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 36.

hominis dignitas et huic congruens vocatio, suam habent extremam rationem in *coniunctione cum Deo.* Maria — biblica mulier — est huius dignitatis et vocationis perfectissimum' exemplar. Omnis namque homo, sive mas sive femina, ad imaginem et similitudinem Dei creatus, se perficere non potest, extra huius imaginis et similitudinis mensuram.

III

IMAGO ET SIMILITUDO DEI

LIBER GENESIS

6. Est nobis in illa « principii » biblici condicione consistendum, in qua revelata de homine veritas tamquam « imagine et similitudine Dei » est immutabile *omnis anthropologiae christianae fundamentum.*[72] « Creavit hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos » *(Gn* 1, 27). Brevis hic locus fundamentales anthropologicas veritates comprehendit : homo fastigium est omnium rerum creatarum in mundo visibili — genus humanum, quod incipit ab ortu hominis et mulieris, totum opus creationis absolvit —; *ambo sunt humani, pariter vir et mulier, ambo ad imaginem Dei* creati. Haec essentialis homini imago et similitudo Dei, a viro et muliere, uti coniugibus et genitoribus, eorum posteritati proditur : « Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam » *(Gn* 1, 28). Creator « dominium » terrae concredit humano generi, omnibus hominibus, omnibus viris et mulieribus omnibus, qui a communi Principio suam trahunt dignitatem et vocationem.

In *Genesis* libro alteram etiam invenimus descriptionem creationis hominis — viri et mulieris (cf. 2, 18-25) —, ad quam

[72] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. haer.* V, 6, 1; V, 16, 2-3: *S. Ch.* 153, 72-81 et 216-221; S. GREGORIUS NYSSENUS, *De hom. op.* 16: *PO* 44, 180; *In Cani. hom.* 2: *PG* 44, 805-808; S. AUGUSTINUS, *In Ps.* 4, 8: *CCL* 38. 17.

postea nos revocabimus. Iam nunc tamen affirmare oportet ex notatione biblica veritatem patere de humani natura personali. *Homo persona est, pariter vir et mulier:* ambo namque ad imaginem et similitudinem Dei personalis creati sunt. Eo autem homo similis Deo est — aliter ac animantia omnia, haud exceptis iis, quae sensibus praedita sunt — quia est animal rationale.[23] Ob hanc proprietatem vir et mulier possunt in ceteras creaturas mundi visibilis dominari (cf. *Gn* 1, 28).

In *altera creationis hominis descriptione* (cf. *Gn* 2, 18-25) dicendi genus, quo veritas exprimitur creationis viri et, praesertim, mulieris, dissimile est, quasi minus pressum; est — dicere licet — potius narrativum et translatum: similius mythorum tunc cognitorum sermoni. Nulla tamen invenitur duorum textuum discrepantia essentialis. Textus *Genesis* 2, 18-25 bene adiuvat ad comprehendendum quod in brevi loco *Genesis* 1, 27-28 invenimus simulque, si una cum eo legitur, *adiuvat ad altius intellegendam* fundamentalem *veritatem,* quae ibi continetur, *de homine,* creato ad imaginem et similitudinem Dei, qua viro et qua muliere.

Iuxta descriptionem *Genesis* 2, 18-25 mulier creatur a Deo ex una « de costis » viri et ponitur ut altera persona, ut collocutor apud virum, qui in circumiectis animantium solus est et in nullo eorum « auxilium » invenit sibi aptum. Mulier, ita creata, statim a viro agnoscitur ut « caro de carne sua et os de ossibus suis » (cf. *Gn* 2, 23), et ob id ipsum vocatur « mulier ». Hoc nomen in lingua biblica essentialem identitatem significat respectu viri: *'is - 'issah,* quod nostrorum temporum linguae nequeunt quidem generaliter exprimere (« Vocabitur virago — 'issah, quoniam de viro — 'is summota est haec » : *Gn* 2, 23).

[23] « Persona est naturae rationalis individua substantia » : MANIBUS SEVERINUS BOËTHIUS, *Liber de persona et duabus naturis,* III: *PL* 64, 1343; cf. S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae* Ia, *q.* XXIX. art. I.

Textus biblicus satis indiciorum praebet ut essentialis agnoscatur aequalitas viri et mulieris quoad naturam humanam.[24] Ambo inde ab exordio personae sunt, dissimiliter ac cetera animantia circumiectorum. *Mulier* est altera persona in communi humana natura. Iam a principio ii videntur « unitas duorum », hocque significat superationem primigeniae solitudinis, in qua vir non invenit « auxilium simile sibi » *(Gn* 2, 20). Agiturne hic de solo « auxilio » in actione, in « subicienda terra? » (cf. *Gn* 1, 28). Haud dubie agitur imprimis de consorti vitae, quacum, sicut cum uxore, vir iungi potest sicque cum ea « una caro » fieri, relictis eam ob rem « patre suo et matre sua » (cf. *Gn* 2, 24). Descriptio biblica igitur loquitur de *institutione matrimonii,* a Deo effecta, simul cum creatione viri et mulieris, utpote de condicione necessaria ad vitam transmittendam futuris hominum stirpibus ad quam matrimonium et amor coniugalis natura sua ordinantur : « Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam » *(Gn* 1, 28).

PERSONA-COMMTJNIO-DONUM

7. Universam descriptionem *Genesis* 2, 18-25 introspiciendo eamque interpretando illuminante veritate de imagine deque similitudine Dei (cf. *Gn* 1, 26-27) *plenius intellegere* possumus in *qua re posita sit proprietas personalis* humani, vi cuius ambo — vir et mulier — sunt similes Deo. Omnis etenim homo ad imaginem Dei est, utpote creatura rationalis et libera, par ei cognoscendo et amando. Legimus insuper virum non posse esse « solum » (cf. *Gn* 2, 18) : solummodo esse potest uti « unitas duorum », ideoque *cum alia persona humana.* Agitur hic de mutua necessitudine : viri cum muliere et mulieris cum viro. Esse personam ad imaginem et similitudinem Dei postulat etiam esse in necessitudine, in societate cum alia « persona ».

[24] **Inter Ecclesiae Patres qui affirmant aequalitatem fundamentalem hominis atque mulieris coram Deo cf. ORIGENES, *In Iesu nave* IX, 9: *PG* 12, 878; CLEMENS ALEXANDRINUS, *Paed. I, 4: S. Ch.* 70, 128-131; S. AUGUSTINUS, *Sermo 51,* II, 3: *PL* 38, 334-335.**

Hoc portendit illam revelationem qua Deus Unus Trinusque seipsum patefacit: unitatem viventem in communione Patris, Filii et Spiritus Sancti.

In Bibliorum initio hoc dici directo non sentimus. Totum Vetus Testamentum est ante omnia revelatio veritatis de Deo unico et uno.

In hanc de Deo fundamentalem veritatem Novum Testamentum inseret revelationem inscrutabilis mysterii vitae intimae Dei. *Deus,* qui sinit se per Christum ab hominibus cognosci, *unitas est in Trinitate:* unitas est in communione. Hinc nova luce illustratur etiam illa in homine similitudo et imago Dei, de qua *Liber Genesis* loquitur. Quod homo, creatus uti vir et mulier, imago est Dei, non significat tantummodo quemvis eorum singillatim esse similem Deo, utpote ratione praeditum et liberum; significat etiam virum et mulierem, uti « unitatem duorum » creatos in communi humana natura, vocatos esse ad vivendum in amoris communione sicque ad indicandam communionem amoris, quae in Deo est, cuius virtute tres Personae amant inter se in intimo unicae vitae divinae mysterio. Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus Deus ob divinitatis unitatem, personae sunt propter divinas inscrutabiles relationes. Hoc solo modo comprehensivus fit veritas Deum esse amorem in se ipso (cf. *1 Io* 4, 16).

Imago et similitudo Dei in homine, uti viro et muliere creato (in analogia quae existimari potest inter Creatorem et creaturam), exprimit igitur etiam « duorum unitatem » in communi humana natura. Haec « duorum unitas », quae signum est communionis inter personas, *indicat in hominis creatione* inscriptam esse etiam quandam divinae « communionis » similitudinem. Haec similitudo inscripta est ut personalis utriusque proprietas, viri et mulieris, et simul ut ad aliquod officium vocatio. In hac Dei imagine et similitudine, quod genus humanum a « principio » gerit in se, positum est totius «ethos»

humani fundamentum. Vetus et Novum Testamentum hoc « ethos » explicabunt, cuius culmen est *praeceptum amoris.*[25]

Ex « unitate duorum » vir et mulier inde ab exordio vocati sunt non solum ut vivant « alter apud alteram », vel una sint, sed vocati sunt etiam ut *vicissim alter pro altero vivat.*

Ita etiam significatio enodatur eius « auxilii », de quo mentio fit in *Genesi* 2, 18-25: « Faciam ei *adiutorium simile sui ».* Contextus biblicus sinit etiam illud hoc sensu intellegatur, mulieri nempe esse virum « adiuvandum » — item autem huic illam adiuvandam — imprimis quia sunt « personae humanae » : quod quidem concedit eis quodammodo ut magis magisque totum sensum humanae suae naturae cognoscant et confirment. Facile comprehenditur — in hac fundamentali condicione — agi de ambarum partium « auxilio » deque mutuo ((auxilio ». Humanitas communionem inter personas significat. Textus *Genesis* 2, 18-25 indicat matrimonium esse primum et, aliquo sensu, potissimum huius vocationis momentum. Tota hominis historia super terra efficitur in provincia huius vocationis. Ex principio, quo oportet alter « pro » altero sit in communione inter personas, hac in historia id fovetur et expletur in ipsa humanitate, quod « masculinum » est et quod « femininum » : quod quidem Deus vult. Textus biblici nobis, initium a *Genesi* ducentibus, permittunt constanter campum invenire in quo penitus defixa est veritas de homine; campum solidum et inviolabilem in tot vitae hominum mutationibus.

Haec veritas pertinet etiam ad historiam salutis. Hac de re significantior est Concilii Vaticani II enuntiatio. In capite « De hominum communitate » Constitutionis pastoralis *Gaudium et spes* legimus: « Dominus Iesus, quando orat Patrem

[25] Affirmat S. GREGORIUS NYSSENUS: «Deus item charitas est, et fons ipse amoris mutui. Sic enim magnus ille Ioannes loquitur, cum ait: "Ex Deo est charitas" et "Deus ipse nihil est aliud quam charitas". Etiam hanc faciei nostrae notam rerum Creator impressiti itaque inquit: "Ex eo intelligent omnes, vos meos esse discipulos, si mutuo vos amore complectimini". Idcirco si mutuus hic amor in nobis desideretur, totius imaginis notae mutatae scilicet erunt» *(De hom. op.* 5: *PO* 44, 137).

ut omnes unum sint ... (*Io* 17, 21-22), prospectus praebens humanae rationi impervios, *aliquam similitudinem* innuit inter unionem personarum divinarum et unionem filiorum Dei in veritate et caritate. Haec similitudo manifestat hominem, qui in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, plene seipsum invenire non posse nisi per sincerum sui ipsius donum i).[26]

His verbis textus conciliaris brevi summam veritatis profert de viro deque muliere — quae veritas iam in primis *Libri Genesis* delineatur capitibus — tamquam structuram principalem anthropologiae biblicae et christianae. *Homo* — sive vir sive mulier — *unica est creaturarum* mundi visibilis, *quam Deus Creator « propter seipsam voluit »* : est ergo persona. Personam esse significat contendere ad se perficiendum (textus conciliaris dicit « seipsum invenire»); quod fieri non potest nisi ((*per sincerum sui ipsius donum* ». Exemplum eiusmodi interpretationis personae ipse Deus est ut Trinitas, ut Personarum communio. Dicere hominem creatum esse ad imaginem et similitudinem huius Dei idem est ac dicere etiam hominem vocatum esse ut « pro » ceteris sit, ut donum fiat.

Id spectat ad omnem humanum, sive mulierem sive virum, qui illud efficiunt quisque pro sua proprietate. In ambitu huius meditationis de dignitate et vocatione mulieris, haec de humano veritas est *necessarium initium.* Iam *Liber Genesis* videre sinit quasi adumbratam indolem sponsalem necessitudinis inter personas, in cuius campo orientur porro veritates de maternitate et de virginitate, quasi duae peculiares rationes vocationis mulieris divina Revelatione illustratae. Hae duae rationes fastigium suum attingent cum venerit « plenitudo temporis » (cf. *Gal* 4, 4) in figura Nazarethanae « mulieris » : Matris-Virginis.

[26] CONO. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 24.

SERMONIS BIBLICI ANTHROPOMORPHISMUS

8. Exhibitio hominis tamquam « imaginis et similitudinis Dei » confestim initio Sacrarum Litterarum *aliam insuper significationem* habet. Haec res fundamentum est ad intellegendam biblicam Revelationem uti sermonem Dei de seipso. De se loquens, tum « in prophetis, tum in Filio » (cf. *Heb* 1, 1. 2), homine facto, *Deus loquitur humano sermone,* sententiis et imaginibus utitur humanis. Si hic loquendi modus quodam notatur anthropomorphismo, hoc fit quia homo « similis » est Deo: ad eius imaginem et similitudinem creatus. Inde *etiam Deus* est quodam modo « similis homini » et ob ipsam hanc similitudinem is cognosci potest ab hominibus. Eodem tamen tempore sermo biblicus satis definitus est ut fines circumscribat ex quibus Deus est « similis », fines « analogiae ». Etenim revelatio biblica affirmat, si vera est « similitudo » hominis cum Deo, *magis proprie veram esse non-similitudinem,*[17] quae rerum universitatem a Creatore separat. Deus igitur homini creato ad similitudinem Dei esse non desinit is « qui lucem habitat inaccessibilem » *(1 Tim* 6, 16): est essentia « diversus », « absolute Alter ».

Haec de finibus analogiae consideratio — limitibus similitudinis hominis cum Deo in sermone biblico — tum etiam servanda est cum, in variis Sacrarum Litterarum locis (praesertim in Vetere Testamento), *comparationes* invenimus *quae Deo ((masculinas » vel « femininas » qualitates tribuunt.* Invenimus in his indirectam confirmationem veritatis ambos, tum virum tum mulierem, creatos esse ad imaginem et similitudinem Dei. Si similitudo Dei est cum creaturis, comprehensibile est Biblia elocutionibus usa esse, quae ei et « masculinas » et « femininas » proprietates attribuunt.

[17] Cf. *Nm* 23, 19; *Os* 11, 9; *Is* 40, 18; 46, 5; cf. insuper CONC OEC. LATERANENSE IY *(DS* 806).

Memoramus hic nonnullos singulares locos Isaiae prophetae.- «Et dixit Sion: "Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei!". *Numquid oblivisci potest mulier* infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui % Et si illa oblita fuerit, *ego* tamen *non* obliviscar tui » (49, 14-15). Et alibi: « Quomodo si quem *mater* consolatur, ita ego consolabor vos; et in Ierusalem consolabimini » *(Is* 66, 13). Etiam in Psalmis Deus comparatur cum sollicita matre : « Sicut ablactatus in sinu matris suae, sicut ablactatus, ita in me est anima mea. Speret Israel in Domino » *(Ps* 131, 2-3). Variis in locis amor Dei, de populo suo solliciti, profertur sicut amor matris : *sicut mater, Deus* genus humanum, et praesertim populum suum electum, in utero suo *portavit,* in doloribus parturiit, enutrivit et consolatus est (cf. *Is* 42, 14; 46, 3-4). Dei amor multis in locis perhibetur ut amor « masculinus » mariti et patris (cf. *Os* 11, 1-4; *Ier* 3, 4-19), sed etiam interdum ut amor « femininus » matris.

Haec sermonis biblici proprietas, eius anthropomorphicus de Dei loquendi modus, *indicat* etiam indirecte mysterium aeterni « generandi », quod ad intimam Dei vitam pertinet. Tamen, hoc « generare » proprietates non habet nec « masculinas » nec « femininas » : est naturae prorsus divinae; est quam perfectissime spiritale, quoniam « Spiritus est Deus » *(Io* 4, 24), nec ullam corporis proprietatem habet, nec « femininam » nec « masculinam ». Etiam igitur *a paternitas n in Deo est omnino divina,* expers proprietatis corporeae « masculinae », quae propria est paternitatis humanae. Secundum hunc sensum Vetus Testamentum de Deo loquebatur tamquam de Patre et eum tamquam Patrem compellabat. Iesus Christus, qui Patrem alloquebatur vocans eum « Abbà-Pater » *(Me* 14, 36), quique hanc veritatem posuit Evangelii sui caput tamquam christianae deprecationis normam, utpote Filius unigenitus et consubstantialis, paternitatem indicabat hoc sensu corpus et humanam naturam excedente, ex toto divino. Ut Filius

loquebatur, iunctus Patri aeterno mysterio generationis divinae; idque faciebat cum simul esset Filius vere humanus Matris suae Virginis.

Si aeternae Verbi generationi non sunt proprietates humanae tribuendae, nec paternitas divina notas corporis « masculinas » habet, est tamen in Deo quaerendum perfectum *exemplar* cuiuslibet ((*generationis* » in humanorum mundo. Simili cum sensu — videtur — legimus in *Epistula ad Ephesios:* « Flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur» (3, 14-15). Quodlibet «generare» pro creaturarum modo primum exemplum habet illud « generare » quod in Deo est modo prorsus divino, seu spiritali. Huic perfecto exemplari, non creato, quodvis « generare » assimilatur in mundo creato. Quocirca, omne quod in humano generando proprium est viri quodque est mulieris, id est « paternitas » et ((maternitas » humanae, similitudinem habet in se, seu analogiam, cum « generando » divino cumque « paternitate » illa, quae in Deo est « ex toto diversa » : omnino spiritalis et, essentia, divina. In ordine humano, contra, generare proprium est « unitatis duorum » : ambo sunt « genitores », vir videlicet et mulier.

IV

EVA - MARIA

« PRINCIPIUM » - PECCATUM

9. « In iustitia a Deo constitutus, homo tamen, suadente Maligno, inde ab exordio historiae, libertate sua abusus est, seipsum contra Deum erigens et finem suum extra Deum attingere cupiens j).[28] His verbis disciplina ultimi Concilii doctrinam revelatam memorat de peccato et, praecipue, de primo peccato quod est peccatum « originale ». Biblicum « principium »

[28] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 13,

— creatio scilicet mundi et hominis in mundo — *veritatem continet de hoc peccato,* quod vocari potest etiam peccatum « initii » hominis super terra. Etsi quod *Liber Genesis* scribit, forma narrationis exprimitur figurata, sicut in descriptione creationis hominis tamquam maris et feminae (cf. *Gn* 2, 18-25), id tamen detegit, quod vocari oportet «mysterium peccati» et, plenius etiam, « mysterium mali » in mundo a Deo creato exstantis.

Legi non potest « mysterium peccati », nisi tota veritas repetitur de « imagine et similitudine » cum Deo, quae fundamentum est anthropologiae biblicae. Haec veritas ostendit creationem uti peculiarem Creatoris donationem, qua continentur non solum principium et fons essentialis dignitatis hominis — viri et mulieris — in mundo creato, verum etiam *vocationis amborum initium ad participandam ipsius Dei intimam vitam.* Revelatione illuminante, *creatio simul significat initium historiae salutis.* In hoc ipso initio peccatum inscribitur et discordiam exprimit atque negationem.

Dici potest per paradoxon peccatum in *Genesi* (c. 3) descriptum veritatem confirmare de imagine et similitudine Dei in homine, liberam nempe voluntatem, qua homo uti potest bonum eligens, sed etiam abuti, contra Dei voluntatem malum eligens. Ex sua essentiali significatione tamen peccatum est negatio eius, quod Deus — uti Creator — est respectu hominis, eiusque quod Deus inde ab initio et in aeternum homini vult. Creans virum et mulierem ad imaginem et similitudinem suam, Deus vult iis plenitudinem boni, id est felicitatem supernaturalem, quae ex ipsius vitae communicatione oritur. *Homo peccatum perpetrando hoc reicit donum* et eodem tempore ipse vult esse « sicut Deus, sciens bonum et malum » *(Gn* 3, 5), scilicet de bono deque malo decernens praeter Deum, creatorem suum. Peccatum originum suam habet « mensuram » humanam, suam interiorem rationem in libera hominis

voluntate et quandam habet in se notam « diabolicam »,[29] sicut animadvertitur in *libro Genesis* (3, 1-5). Peccatum frangit unitatem primigeniam, qua homo fruebatur in statu iustitiae originalis : coniunctionis nempe cum Deo, utpote causae unionis in interiore parte propriae personae, in mutua necessitudine viri cum muliere (communione personarum) et demum, respectu mundi externi, rerum naturae.

Descriptio biblica peccati originalis in *Genesi* (c. 3) distribuit quodammodo partes quas in eo mulier et vir habuerunt. Has partes postea respexerunt aliqui Bibliorum loci, sicut, verbi gratia, Pauli Epistula ad Timotheum : « Adam enim primus formatus est, deinde Eva; et Adam non est seductus, mulier autem seducta » *(1 Tim* 2, 13-14). Non dubium tamen est nulla ratione habita « distributionis partium » in descriptione biblica, *primum illud peccatum esse peccatum hominis,* a Deo masculi et feminae creati. Illud est etiam *peccatum progenitorum,* cui annexa est eius indoles hereditaria. Hoc sensu illud vocamus « peccatum originale ».

Hoc peccatum, sicut iam dictum est, aeque non potest intellegi nisi recogitatur de mysterio creationis hominis — viri et mulieris — *ad imaginem et similitudinem Dei.* Per hanc rationem comprehendi etiam potest mysterium eius « dissimilitudinis » cum Deo, in qua peccatum positum est et quae apparet in malo historiae mundi praesenti, eius « dissimilitudinis » cum Deo, qui « solus bonus est » (cf. *Mt* 19, 17), qui est boni plenitudo. Si haec « dissimilitudo » peccati cum Deo, qui ipsa Sanctitas est, « similitudinem » postulat in campo libertatis, liberae voluntatis, potest ergo dici ob hanc ipsam causam « *dissimilitudinem* •» *peccato contentam* tanto exitio-" siorem esse et acerbiorem. Confitendum etiam est Deum, ut creatorem et patrem ita tangi, « offendi » et, ut par est, in intima illa donatione offendi, quae ad aeternum Dei de homine consilium pertinet.

« Diabolicus » e lingua Graeca « 8i.a-ßaXX<o » = « divido, separo, calumnior ».

At uno tempore etiam *homo — vir et mulier — malo tangitur peccati, cuius est auctor.* Textus biblicus *Genesis* (c. 3) id verbis monstrat, quae clare novam hominis in mundo creato condicionem describunt. Prospectum monstrat « laboris » quo homo necessaria ad vivendum parabit (cf. *Gn* 3, 17-19), necnon prospectum magnorum dolorum, in quibus mulier pariet filios suos (cf. *Gn* 3, 16). Omnia denique haec necessitate mortis signantur, quae vitae humanae finis est super terra. Hoc modo homo, qua pulvis, « revertetur ad humum de qua sumptus est » : « pulvis es et in pulverem reverteris » (cf. *Gn* 3, 19).

Haec verba per aetates confirmantur. Non equidem significant *imaginem et similitudinem Dei in homine,* sive muliere sive viro, esse peccato deletam; sed significant eam esse « *obscuratam* » [30] et, aliquo sensu, « imminutam ». Peccatum enim hominem « minuit », ut etiam Concilium Vaticanum II commemorat.[31] Si homo, ob ipsam suam naturam personae, imago est et similitudo Dei, hinc eius magnitudo eiusque dignitas perficiuntur foedere cum Deo, coniunctione cum eo, ad illam contendendo fundamentalem unitatem, quae spectat ad interiorem « rationem » ipsius creationis mysterii. Haec unitas respondet altae omnium creaturarum rationalium veritati et, praecipue, hominis, qui inter omnes creaturas inde ab initio *elatus est* per aeternam Dei in Iesu electionem : « In Christo (...) elegit nos ante mundi constitutionem (...) in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, secundum beneplacitum voluntatis suae » (cf. *Eph* 1, 4-6). Doctrina biblica in universum nobis affirmare concedit praedestinationem omnes homines contingere, quemque virum et quamque mulierem, sine discrimine.

[30] Cf. ORIGENES, *In Gen. hom.* 13, 4: *PG* 12, 234; S. GREGORIUS NYSSENUS, *De virg.* 12: *S. Ch.* 119, 404-419; *De beat.* VI: *PG* 44, 1272.

[31] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 13.

IPSE DOMINABITUR TUI

10. Biblica *Libri Genesis* descriptio veritatem delineat de consecutionibus peccati hominis, sicut etiam indicat *conturbationem* eius primigeniae *necessitudinis inter virum et mulierem,* quae personali utriusque dignitati respondet. Homo, masculus et femina, persona est ideoque « sola creatura quam Deus in terra per seipsam voluit » ; item ipsa haec creatura, unica et irrepetibilis « seipsam invenire non potest nisi per sincerum sui ipsius donum ».[32] Hinc initium capit ratio « communionis », in qua exprimuntur «unitas duorum» et viri atque mulieris personalis dignitas. Cum igitur in descriptione biblica verba legimus mulieri dicta : « *Ad virum tuum erit appetitus tuus, ipse autem dominabitur tui » (Gn* 3, 16), abruptionem perspicimus et constans periculum attinens ad hanc « duorum unitatem », quae respondet dignitati imaginis et similitudinis Dei in utroque. Hoc tamen periculum est mulieri gravius. Namque illud donum sincerum esse indeque illud « pro » altero vivere dominium sequitur : « ipse dominabitur tui ». Id « dominium » conturbationem indicat et *amissionem stabilitatis* eius *fundamentalis aequalitatis,* quam vir et mulier habent in « unitate duorum » : hocque est detrimento praesertim mulieri, cum solum aequalitas, quae ex amborum dignitate, qua personarum, oritur, possit mutuas necessitudines instruere indole verae « communionis personarum ». Sed si huius aequalitatis violatio, quae quidem donum simul et ius est ab ipso Deo Creatore proficiscens,, detrimento est mulieri, uno tempore minuit etiam veram viri dignitatem. Hic -*rem* tangimus *maximae humanitatis in ratione eius «ethos »,* quod initio Creator inscripsit in actu ipso creationis amborum ad imaginem et similitudinem suam.

Haec affirmatio apud *Genesim* 3, 16 magni, significantis ponderis est. Indicium enim continet mutuae viri cum mu-

[32] Cf. iWtf., 24.

liere necessitudinis *in matrimonio.* Agitur de appetitione, orta in condicione amoris sponsalis, quae efficit ut- mulieris « sincero dono sui » vir simili « dono » et consummatione respondeat. Solum ex hoc principio ambo, et praesertim mulier, possunt « se invenire » uti veram « duorum unitatem » secundum personae dignitatem. Coniunctio matrimonialis exigit observantiam et perfectionem verae subiectivae naturae personalis amborum. *Mulier non potest fieri « obiectum » « dominii » et « possessionis » masculinae.* Sed textus biblici verba pertinent directo ad peccatum originale et ad eius diuturnas in viro et in muliere consecutiones. Hi, peccatoria natura hereditaria gravati, ferunt continenter in se « fomitem peccati », seu propensionem ad violandum ordinem moralem illum, qui ipsi naturae rationali et dignitati hominis, uti personae, consentaneus est. Haec propensio demonstratur per *triplicem concupiscentiam,* quam textus apostolicus distinguit ut concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis et superbiam vitae (cf. *1 Io* 2, 16). *Genesis* verba, supra commemorata (3, 16), indicant quo modo triplex haec concupiscentia, ut « peccati fomes », vim sit habitura ad mutuam viri et mulieris necessitudinem.

Eadem illa *verba* spectant directo ad matrimonium, sed indirecte *ad varios campos convictionis socialis:* ad condiciones in quibus mulier aut damnis cedit aut discriminatur ob id ipsum, quod mulier est. Veritas revelata de creatione hominis, ut masculi et feminae, praecipuum est argumentum contra omnes condiciones quae, cum sint ipsae per se noxiae, id est iniustae, continent et exprimunt peccati hereditatem, quam omnes humani secum portant. Libri Sacrarum Litterarum variis in locis comprobant *vere eiusmodi esse condiciones* simulque necessitatem testantur se convertendi, hoc est se a malo purificandi et a peccato liberandi: ab eo scilicet, quod alterum offendit, quod hominem « minuit », non solum qui laeditur, verum etiam qui laedit. Talis est immutabilis nun-

tius Verbi a Deo revelati. Inde exprimitur « ethos » biblicum usque ad finem.[33]

Nostris temporibus quaestio de « iuribus mulieris » novam accepit significationem in ampla iurium personae humanae provincia. Hoc propositum, constanter enuntiatum multimodisque commemoratum, illustrando, *nuntius biblicus et evangelicus custodit veritatem de « unitate duorum »*, id est de illa dignitate illaque vocatione, quae oriuntur ex peculiari diversitate et personali proprietate viri et mulieris. Qua re etiam iusta mulieris dissensio cum eo, quod biblica verba: « ipse dominabitur tui » *(Gn* 3, 16) exprimunt, nullo modo efficere potest ut mulieres « mascuiescant ». Mulier — nomine liberationis ab viri « dominio » — contendere non potest ad suas faciendas proprietates masculinas contra suam « proprietatem » femininam. Certus est timor ut hac ratione mulier « se perficiat » et ne, contra, detorqueat et amittat id, quod est eius fundamentalis amplitudo. Est enim immanis amplitudo. In descriptione biblica exclamatio primi viri, simul ac mulierem creatam vidit, est exclamatio admirationis et blandimenti, quae hominis historiam super terra totam emetitur.

Dotes muliebris naturae propriae profecto minores non sunt dotibus virilitatis, sed tantum diversae sunt. Mulier ergo — sicut ceteroqui et vir — sui, qua personae, effectionem, suam dignitatem et vocationem interpretari debet ex his dotibus, ex amplitudine muliebris naturae, quam die creationis accepit quamque tamquam expressionem sibi peculiarem imaginis et similitudinis Dei hereditate accipit. Solum hoc modo vinci potest etiam illa peccati hereditas, quam verba Bibliorum denotant: « Ad virum tuum erit appetitus tuus, ipse autem dominabitur

[33] Re quidem vera Patres IV saeculi ad legem se revocantes divinam fortiter sunt nisi contra adhuc vigens tunc discrimen adversus mulieres tum in moribus tum in legibus civilibus sui temporis. Cf. S. GREGORIUS NAZIANZENUS, Or. 37, 6: *PG* 36, 290; S. HIERONYMUS, *Ad Oceanum ep.* 77, 3: *PL 22,* 691; S. AMBROSIUS, *De instit. virg,* III, 16: *PL* 16, 309; S. AUGUSTINUS, *Sermo 132, 2: PL* 38, 735, *Sermo S92,* 4: *PL* 39, 1711.

tui ». Huius malae hereditatis superatio est omnis hominis, per aetates, tum mulieris tum viri. Nam quotiescumque vir facinus in se admittit quo mulieris dignitatem personalem et vocationem offendit, contra suam ipsius personalem dignitatem et vocationem agit.

PROTOEVANGKLIUM

11. *Liber Genesis* peccatum testatur, quod est «principii» hominis malum, eius consecutiones, quae inde in totum genus humanum incumbunt, et simul *primum nuntium* continet *victoriae* de malo, *de peccato.* Hunc nuntium comprobant verba quae legimus in libro *Genesis* 3, 15 quaeque ex more dicuntur « Protoevangelium » : « Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius; ipsum conteret caput tuum et tu con teres calcaneum eius ». Significans est nuntium redemptoris, servatoris mundi, his verbis contentum, ad <(mulierem » spectare. Primo loco in Protoevangelio nominatur uti progenetrix eius, qui hominis redemptor erit.[34] Et, si redemptio efficienda est per certamen contra malum, per « inimicitiam » inter semen mulieris et semen eius qui, ut « pater mendacii » *(Io* 8, 44), primus est auctor peccati historiae hominis, haec erit etiam *inimicitia inter eum et mulierem.*

His verbis aperitur prospectus totius Revelationis, primum uti praeparationis ad Evangelium, deinde uti ipsius Evangelii. In hoc prospectu *nomine mulieris* duae figurae femininae iunguntur: *Eva* et *Maria.*

Verba Protoevangelii, Novo Testamento illustrante considerata, apte partes exprimunt mulieris in redemptoris certamine salvifico cum mali auctore in hominis historia.

Comparatio Evae cum Maria constans est in meditatione depositi fidei a divina Revelatione acceptae estque unum ex

[34] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. haer.* III, 23, 7: *8. Ch.* 211, 462-465; V, 21, 1: *8. Ch.* 153, 260-265; S. EPIPHANIUS, *Panar.,* III, 2, 78: *PO* 42, 728-729; S. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* 103, s. 4, 6: *CCL* 40, 1525.

erebrioribus argumentis a Patribus, a scriptoribus ecclesiasticis et a theologis requisitis.[35] Plerumque prima inspectione ex hac comparatione differentia apparet, contrapositum. *Eva,* ut « mater cunctorum viventium » *(Gn* 3, 20), testis est « *principii biblici)),* quo comprehenduntur veritas de hominis creatione ad imaginem et similitudinem Dei et veritas de peccato originali. *Maria testis est novi « principii* » et « novae creaturae » (cf. *2 Cor* 5, 17). Quin ipsa, utpote prima redempta in historia salutis, « nova creatura » est, « gratia plena » est. Difficile intellegitur cur verba Protoevangelii tam conspicuam « mulierem » faciant, nisi admittitur in ea initium habere novum et decretorium *Foedus Dei cum humano genere, Foedus* in Christi sanguine redimente. Hoc Foedus incipit per « mulierem », in annuntiatione quae Nazareth evenit. Haec est absoluta Evangelii novitas. Alias in Vetere Testamento, ut historiae Populi sui interveniret, Deus mulieres adhibuerat, sicut Samuelis et Samson matres; sed ut suum iceret Foedus cum humano genere, solis viris usus erat: Noe, Abraham, Moyse. In Novi Foederis initio, quod aeternum esse debet et irrevocabile, mulier est: Virgo Nazarethana. *Indicium* est hoc in « Iesu Christo » « *non esse masculum et feminam » (Gal* 3, 28). In eo reciprocum contrapositum inter virum et mulierem — tamquam peccati originalis hereditas — essentialiter superatur. « Omnes vos *unus* estis in Christo Iesu », scripsit Apostolus *(Gal* 3, 28).

Haec verba tractant illam primigeniam « duorum unitatem », quae hominis creationi conectitur, masculi et feminae,

[35] Cf. S. IUSTINUS, *Dial, cum Thryph.* 100: *PG* 6, 709-712; S. IRENAEUS, *Adv. haer.* III, 22, 4: S. *Ch. 211,* 438-445; V, 19, 1: s. *Ch.* 153, 248-251; S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, *Catech.* 12, 15: *PG* 33, 741; S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ps.* 44, 7: *PG* 55, 193; S. IOANNES DAMASCENUS, *Horn. II in dorm. B.V.M.* 3: S. *Ch.* 80, 130-135; ESYCHIUS HIEROSOLYMITANUS, *Sermo V in Deiparam: PG* 93, 1464s.; TERTULLIANUS, *De carne Christi* 17: *CCL 2,* 904s.; S. HIERONYMUS, *Epist. 22,* 21: *PL* 22, 408; S. AUGUSTINUS, *Serm. 51,* 2-3: *PL* 38, 335; *Serm. 232,* 2: *PL* 38, 1108; CARD. I. H. NEWMAN, *A Letter to the rev. E. B. Pusey,* Longmans, London 1865; M. I. SCHEEBEN, *Handbuch der Katholischen Dogmatik,* V/1 (Freiburg 1954[2]), 243-266; V/2 (Freiburg 1954[2]), 306-499. Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 56.

ad imaginem et similitudinem Dei, secundum exemplar perfectissimae eius communionis Personarum, quod Deus ipse est. Pauli verba declarant mysterium redemptionis hominis in Iesu Christo, Mariae filio, id repetere et instaurare, quod in creationis mysterio aeterno Dei Creatoris consilio respondebat. Ob id ipsum die creationis hominis, masculi et feminae, « Vidit Deus cuncta quae fecit, et ecce erant valde bona » *(Gn* 1, 31). *Redemptio restituit,* aliquo sensu, ipsi eius origini *bonum* quod est essentialiter « minutum » peccato eiusque in hominis historia hereditate.

« Mulier » Protoevangelii inseritur in redemptionis prospectum. Comparatio Evae cum Maria hoc sensu potest etiam intellegi, *Mariam* nempe *sumere* in se et complecti *mysterium mulieris,* cuius initium est Eva, « mater cunctorum viventium » *(Gn* 3, 20): imprimis illud sumit et complectitur, in intimo mysterio Christi — « novissimi Adam » (cf. *1 Cor* 15, 45) — qui in suam personam primi Adam naturam assumpsit. Novi enim Foederis essentia in hoc posita est, quod Dei Filius Patri consubstantialis fit homo: humanitatem assumit in unitatem divinae Verbi Personae. Qui Redemptionem agit est simul verus homo.

Mysterium Redemptionis mundi postulat ut *Deus-Filius humanitatem sumpserit tamquam Adam hereditatem,* ei similis factus et omni homini per omnia, « absque peccato » *(Heb* 4, 15). Ita Is « hominem ipsi homini plene manifestavit eique altissimam eius vocationem patefecit», sicut Concilium Vaticanum II docet,[36] eumque quodam modo adiuvit ad denuo reperiendum « quid sit homo » (cf. *Ps 8,* 5).

Per omnes aetates in traditione fidei inque christiana de ea meditatione comparatio Adam cum Christo iungitur comparationi Evae cum Maria. Si Maria describitur etiam tamquam « nova Eva », quae possunt esse huius analogiae signi-

[36] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 22.

ficationes? Sunt certe multiplices. Oportet peculiariter immoremur in illa significatione, quae videt in Maria plenam revelationem omnium, quae verbo biblico « muliere » continentur: revelationem ad mysterium Redemptionis accommodatam. *Maria* significat, aliquo sensu, illum supergredi terminum, de quo loquitur liber *Genesis* (3, 16), et ad illud redire « principium », in quo talis erat « mulier », qualis est in creatione exoptata, ideoque in aeterno Dei consilio, in sinu Sanctissimae Trinitatis. Maria est « novum principium » *dignitatis et vocationis mulieris,*[21] omnium mulierum et cuiusque mulieris.

Ratio ad id comprehendendum esse possunt praesertim verba quae evangelista ponit in ore Mariae post Annuntiationem, per eius Elisabeth salutationem: « Fecit mihi magna, qui potens est » *(Lc* 1, 49). Quae verba haud dubie spectant ad Filii conceptionem, qui est « Filius Altissimi » *(Lc* 1, 32), « sanctus » Dei; sed possunt simul significare *patefactionem propriae humanitatis femininae. «Fecit mihi magna »: haec est paté f actio totius amplitudinis, totius personalis laudis muliebris naturae,* totius aeternae proprietatis « mulieris », qualem eam Deus voluit, personam per se ipsam, quae se agnoscit simul « per donum sincerum sui ».

Haec paté f actio iungitur clarae conscientiae doni, largitionis Dei. Iam « principio » peccatum hanc conscientiam infuscaverat, quodammodo sufïocaverat, sicut verba indicant primae temptationis « patris mendacii » (cf. *Gn* 3, 1-5). Adventu « plenitudinis temporis » (cf. *Gal* 4, 4), cum in historia humani generis perfici incipit redemptionis mysterium, haec conscientia tota cum sua vi in verba irrumpit biblicae ((mulieris » Nazarethanam *In Maria, Eva rursus invenit* quae sit vera mulieris dignitas, muliebris humanitatis. Haec nova inventio debet constanter cor attingere cuiusque mulieris eiusque vocationem et vitam formare.

" Cf. S. AMBROSIUS, *De instit. virg.* V, 33: *PL* 16, 313.

V

IESUS CHRISTUS

« MIRABANTUR QUIA CUM MULIERE LOQUEBATUR »

12. Verba Protoevangelii *Libri Genesis* sinunt ad Evangelium devertamus. Hominis redemptio, quae illic nuntiatur, hic ad effectum adducitur per personam et missionem Iesu Christi, in quibus *id* quoque cognoscimus, *quod redemptio significat* quoad dignitatem et vocationem *mulieris.* Haec significatio clarior fit ex verbis Christi et ex ratione qua se gerit erga mulieres, quae sane simplicissima est et, ob id ipsum, extraordinaria, si in scaena eius temporis consideratur: ratio est magnae perspicuitatis et altitudinis. Plures mulieres apparent in via missionis Iesu Nazarethani, et occursus cum quaque earum confirmat « novitatem vitae » evangelicae, de qua iam dictum est.

Omnes recipiunt — vel qui nuntium christianum calumniantur — Christum *fuisse coram contemporalibus suis fautorem dignitatis mulieris* et *vocationis* cum illa congruentis dignitate. Interdum hoc stuporem movebat, admirationem, saepe fere scandalo tenus : « Mirabantur quia cum muliere loquebatur» *(Io* 4, 27), quoniam haec agendi ratio discrepabat a ratione agendi eius contemporalium. « Mirabantur », immo, ipsi Christi discipuli. Pharisaeus, cuius domum adiit mulier peccatrix ut pedes Iesu ungeret unguento, « ait intra se: "Hic si esset propheta, *sciret* utique *quae* et qualis mulier, quae tangit eum, quia peccatrix est" » *(Lc* 7, 39). Maiore etiam perturbatione, vel « sancta indignatione » profecto auditores sibi placentes implebant haec Christi verba : « Publicam et meretrices praecedent vos in regnum Dei » *(Mt* 21, 31).

Qui sic loquebatur et operabatur demonstrabat « mysteria Regni » se penitus cognoscere. Ipse etiam « sciebat quid esset

in homine » *(Io* 2, 25), in eius animo, in eius « corde ». Testis erat aeterni Dei consilii hominem contingentis ab eo creatum ad imaginem et similitudinem suam. Penitus etiam noverat peccati consecutiones, « mysterii iniquitatis » in humanis cordibus agentis instar fructus amari obscurationis imaginis divinae. Quam significans est Iesum, in fundamentali colloquio de matrimonio deque eius stabilitate, coram iis qui cum eo colloquebantur quique ex officio Legis periti erant, « scribis » scilicet, *«principium» commemorare!* Quaestio agitur de iure « masculi » « uxorem dimittendi suam quacumque ex causa» *(Mt* 19, 3); et, igitur, de iure etiam mulieris, de eius condicione in matrimonio, de eius dignitate. Collocutores putant vigentem legem Moseiam esse pro se : « Moyses mandavit dari libellum repudii et dimittere » *(Mt* 19, 7). Respondet Iesus: « Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic» *(Mt* 19, **8).** Iesus Principium arcessit, creationem hominis, maris et feminae illudque Dei institutum, in eo positum, quod *ambo ad eius « imaginem et similitudinem » creati sunt.* Quam ob rem, cum homo « dimittit patrem et matrem » et adhaeret uxori suae, ut sint duo in « carne una », viget lex, quae a Deo ipso originem ducit : « Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet » *(Mt* 19, 6).

Principium huius « ethos », quod inde ab initio inscriptum est in veritate creationis, nunc a Christo confirmatur contra traditionem illam, quae mulieris inaequalitatem concedebat. Iuxta hanc traditionem mas « dominabatur », non aeque existimans mulierem eamque dignitatem, quam *«ethos» creationis* ut fundamentum iecit reciprocarum necessitudinum duarum personarum matrimonio coniunctarum. Hoc « ethos » commemoratur et *confirmatur Christi verbis:* est « ethos » Evangelii et redemptionis.

MULIERES EVANGELII

13. Cum Evangelii paginas pervolutamus, multae mulieres ante oculos nostros praetereunt, aetate et ordine diversae: mulieres morbis correptae vel doloribus corporis, qualis mulier quae habebat « spiritum infirmitatis, et erat inclinata nec omnino poterat sursum respicere » (cf. *Lc* 13, 11), vel socrus Simonis, quae « decumbebat febricitans » *(Me* 1, 30), vel mulier quae erat « in profluvio sanguinis » (cf. *Me* 5, 25-34) nec quemquam tangere poterat, quoniam tactus eius putabatur hominem « contaminare ». Omnes sanatae sunt, et ultima (haemorrhoissa), quae « in turba » tetigit vestimentum Iesu *(Me* 5, 27), est ab eo laudata ob magnam fidem: «Fides tua te salvam fecit » *(Me* 5, 34). Praeter has, *filia I airi.,* quam Iesus a mortuis excitat, eam dulciter alloquens : « Puella, tibi dico, surge » *(Me* 5, 41); et *vidua Nain,* cui Iesus unicum resuscitai filium, adiungens actioni suae significationem benignae misericordiae: «Misericordia motus dixit illi: "Noli Aere"» *(Lc* 7, 13); denique mulier *Chananaea,* quae meretur a Christo verba peculiaris aestimationis ob fidem suam, ob humilitatem suam obque illam animi magnitudinem, cui solum cor matris par est : « O mulier, magna est fides tua ! Fiat tibi, sicut vis » *(Mt* 15, 28). Mulier Chananaea sanationem filiae petebat.

Saepe mulieres, quibus Iesus obviam fiebat quaeque ab eo multas gratias accipiebant, eum comitabantur, cum apostolis percurrentem per civitates et castella, praedicantem et evangelizantem regnum Dei ; « quae ministrabant eis de facultatibus suis ». Evangelium nominat ex eis Ioannam, procuratoris Herodis uxorem, Susannam et « alias multas » *(Lc* 8, 1-3).

Interdum *mulierum* imagines comparent *in parabolis,* quibus Iesus Nazarenus auditoribus suis veritatem Regni Dei illustrabat. Ita in parabolis de drachma perdita (cf. *Lc* 15, 8-10), de fermento (cf. *Mt* 13, 33), de virginibus prudentibus et fatuis (cf. *Mt* 25, 1-13). Peculiariter significans est narratio ad obo-

lum viduae attinens. Mittentibus divitibus munera in gazophylacio (...) quaedam vidua paupercula misit illuc minuta duo. Tunc Iesus dixit : « Vidua haec pauper *plus quam omnes misit* (...); ex inopia sua omnem victum suum, quem habebat, misit » *(Lc* 21, 1-4). Hoc modo Iesus eam omnibus proponit exemplum, eam defendit, quia, in constitutione iuridiciali societatis id temporis, viduae omnino indefensae erant (cf. etiam *Lc* 1, 1-7).

In tota Iesu doctrina, sicut et in eius agendi ratione, nihil invenitur, quod mulieris discrimen ostendat, proprium temporis eius. Contra, *eius verba eiusque opera semper exprimunt observantiam et honorem, quae mulieri debentur.* Mulier inclinata vocatur « filia Abrahae » *(Lc* 13, 16), cum nomen « filius Abrahae » in omnibus Bibliis solis viris tribuatur. Iter faciens ad Calvariam Iesus mulieribus dixit : « Filiae Ierusalem, nolite fiere super me » *(Lc* 23, 28). Hoc de mulieribus et mulieribus loquendi genus, necnon eas tractandi ratio, manifesta sunt « novitas » prae more translaticio.

Hoc expressius fit quod attinet ad mulieres illas, quas communis sensus contemptim uti peccatrices insimulabat, publicas peccatrices et adulteras. En Samaritana, cui ipse Iesus dicit : « Quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir»: ipsaque, animadvertens eum vitae suae secreta cognoscere, Messiam illum agnoscit et abit popularibus suis id nuntiatura. Colloquium quod proximum est ante hanc agnitionem, unum est ex pulcherrimis Evangelii (cf. *Io* 4, 4-27). En, postea, publica peccatrix quae, quamvis eam sensus communis reprehendat, domum Pharisaei ingreditur ut pedes Iesu ungat unguento. Hic hospiti, offenso in ea re, dixit de illa: «Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum » (cf. *Lc* 7, 37-47).

En, denique, eventum quod est fortasse gravissimum : *mulier in adulterio deprehensa* ad Iesum adducitur. Interrogationi provocanti : « In lege autem Moyses mandavit nobis

huiusmodi lapidare; tu ergo quid dicis? », Iesus respondit: <(Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat ». Vis veritatis illius responsionis tanta est, ut « unus post unum exierint, incipientes a senioribus ». Soli remanserunt Iesus et mulier. « Ubi sunt? Nemo te condemnavit? » — « Nemo, Domine » — « Nec ego te condemno ; vade et amplius iam noli peccare » (cf. *Io* 8, 3-11).

Haec facinora evidentissimam efficiunt picturam. Christus is est qui « scit quid sit in homine » (cf. *Io* 2, 25), in viro et in muliere. Cognoscit *dignitatem hominis* eiusque *coram Deo pulchritudinem.* Ipse, Christus, est extrema huius pulchritudinis confirmatio. Omnia quae dicit et quae facit decretoriam consummationem habent in paschali redemptionis mysterio. Ratio Iesu erga mulieres, quibus obviam se dat in via sui messianici servitii, est repercussus aeterni Dei consilii qui, earum quamque creans, in Christo eam eligit et amat (cf. *Eph* 1, 1-5). Quaevis, ergo, est illa « sola creatura quam Deus per se ipsam voluit». *Quaelibet a «principio» hereditate accipit dignitatem personae qua mulier.* Iesus Nazarenus hanc confirmat dignitatem, eam memorat, renovat, eam facit aliquid ad Evangelium pertinens et ad redemptionem, cuius causa mittitur in mundum. Oportet ergo in momentum mysterii paschalis omne verbum et omnis actio Christi quoad mulierem inserantur. Ita omnia plene illustrantur.

MULIER IN ADULTERIO DEPREHENSA

14. Iesus *condicionem historicam et veram mulieris* ingreditur; quae condicio *peccati hereditate gravatur.* Haec hereditas exprimitur etiam more, qui mulierem segregat pro viro, et in ea ipsa posita est et infixa. Hoc respectu factum mulieris « in adulterio deprehensae » (cf. *Io* 8, 3-11) peculiari indicio esse videtur. Ad ultimum Iesus ei dicit: « Amplius iam noli peccare », sed prius *conscientiam* peccati *provocat* in viris qui eam accusant, ut lapident, ita suam ostendens facultatem

videndi secundum veritatem conscientias et opera humana. Accusatoribus Iesus dicere videtur: Haec mulier, toto suo onerata peccato, nonne est etiam, et ante omnia, vestrarum transgressionum confirmatio, vestrae « masculinae » iniustitiae, vestrorum improborum usuum?

Valet haec veritas *in universum genus humanum.* Factum, quod in Evangelio Ioannis narratur, in innumerabilibus condicionibus repeti potest, omni historiae tempore similibus. Mulier sola relinquitur, in publicum proposita iudicium cum « suo peccato », dum latet post hoc peccatum vir peccator, qui in culpa est propter « peccatum alienum », quin eiusdem particeps. Atque tamen eius peccatum effugit, silentio praeterito: is extra esse « alienum peccatum » apparet. Interdum vel accusator fit, sicut in casu qui est supra descriptus, peccati sui immemor. Quotiens similiter, *mulier poenas pendet* peccati sui (forsitan ipsa sit, aliquibus in casibus, in culpa ob peccatum viri tamquam « peccatum alienum »), sed ipsa poenas pendet et quidem sola! Quotiens derelicta manet cum sua maternitate, quando vir, pater infantis, huius rei causam in se transferre non vult? Et praeterquam ad multas « matres innuptas » nostrae societatis, etiam in eas omnes oportet consideratio intendatur, quae, varios patientes coactus, a viro quoque sonti, infantes « de medio tollunt », antequam oriantur. «De medio tollunt»: sed quanti? Hodiernus sensus communis diversimode huius peccati malum « delere » nititur; at plerumque *mulier exstinguere conscientiam nequit* se filio suo vitam ademisse, quandoquidem e sua natura eradere nequit propensionem ad vitam accipiendam, in eius « ethos » a « principio » inscriptam.

Significativa est ratio qua Iesus agit in facto quod describitur in *Ioanne* (8, 3-11). Paucis fortasse temporibus, sicut in hoc, eius declaratur potentia — potentia veritatis — quod ad humanas spectat conscientias. Iesus tranquillus est, intentus, in cogitatione defixus. Nonne et hic, sicut in colloquio cum Pha-

risaeis (cf. *Mt* 19, 3-9), eius conscientia coniuncta est cum mysterio Principii ? cum homo creatus est masculus et femina, et mulier est viro credita cum sua diversitate feminina cumque sua potentiali maternitate? Etiam vir est mulieri a Creatore creditus. *Alter alteri vicissim crediti sunt ut personae,* ad imaginem factae et similitudinem ipsius Dei. In hac traditione est mensura amoris, sponsalis amoris: ut alter alteri « donum sincerum » fiat, oportet uterque in se donum recipiat. Haec mensura ambobus — viro et mulieri — collata est — inde a « principio ». Post peccatum originale in viro et in muliere vires contrariae operantur propter triplicem concupiscentiam, « fomiti peccati » iunctam. In homine hae agunt ex imo. Idcirco Iesus in Sermone super monte habito dixit: « *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo » (Mt* 5, 28). Haec verba, directo viro dicta, ostendunt fundamentalem veritatem officii eius respectu mulieris: ob huius dignitatem, huius maternitatem, huius vocationem. Eadem autem verba indirecte et mulierem contingunt. Christus omnia faciebat, quae fieri poterant, ut — pro moribus proque rationibus socialibus eius aetatis — mulieres in ipsius doctrina inque ipsius agendi modo propriam sui naturam et dignitatem reperirent. Ex aeterna « duorum unitate », *haec dignitas directo ex ipsa pendet muliere, utpote subiecto per se responsali, simulque « uti officium » viro concreditur.* Congruenter Christus ad officium viri redit. Nunc, in hac meditatione de mulieris dignitate et vocatione, necessarium est nos rationem respicere, quam in Evangelio invenimus. Mulieris dignitas eiusque vocatio — sicut, ceteroqui, viri — suam aeternam trahunt originem a corde Dei et, in temporalibus vitae humanae condicionibus, arcte « duorum unitati » coniunctae sunt. Eam ob rem vir quisque in se aspicere debet et videre num, quae ipsi concredita est tamquam soror in eadem humanitate, tamquam uxor, facta sit in corde ipsius

obiectum adulterii; num quae, variis modis est in mundo exsistentiae ipsius compar subiectum, facta sit in ipso « obiectum » : obiectum voluptatis, usus.

NUNTII EVANGELICI CUSTODES

15. *Christi agendi ratio, Evangelium operum verborumque eius,* congruenter id *arguit,* quod mulieris dignitatem offendit. Hinc mulieres quae cum Christo sunt, se rursus intellegunt in veritate quam Is « docet » et « facit », tum etiam, cum haec est veritas de earum « natura peccatoria ». Sentiunt se ***u*** *per hanc veritatem liberatasi,* sibi ipsis resti tu tas: sentiunt se « amore aeterno » amari, amore qui in ipso Christo exprimitur. In Christi campo actionis earum socialis condicio mutatur. Sentiunt Iesum secum colloqui de rebus, quae illis temporibus cum muliere non disserebantur. Quod ad hoc pertinet, exemplum maxime significatorium *Samaritanam* apud puteum Sichern contingit. *Iesus* — qui scit eam esse peccatricem, de qua re ei loquitur — *tractat cum ea de altissimis Bei mysteriis.* Ei loquitur de immenso Dei amore, qui est « fons aquae salientis in vitam aeternam » *(Io* 4, 14). De Deo ei loquitur, qui Spiritus est, deque vera adoratione, qua Patrem in spiritu et veritate oportet adorare (cf. *Io* 4, 24). Demum revelat ei se Messiam esse Israel promissum (cf. *Io* 4, 26).

Novus eventus est hic : *mulier* illa, et quidem « mulier-peccatrix », fit « discipula » Christi; quin immo, ubi primum docta est, Christum nuntiat habitatoribus Samariae, ita ut et ii crediderint in eum (cf. *Io* 4, 39-42). Novus eventus, si modus consideratur, quo mulieres tractabant quotquot in Israel docebant, cum in agendi ratione Iesu Nazareni huiusmodi eventus fiat consuetus. Hac in re peculiariter commemorari merentur etiam Lazari sorores : « Diligebat autem Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum » (cf. *Io* 11, 5). Maria « audiebat verbum » Iesu : cum eos domi visit, ipse dicit Mariae agendi

rationem « optimam partem » esse, comparatam ad Marthae sollicitudinem de domus officiis (cf. *Lc* 10, 38-42).

Alio in loco etiam Martha — *post Lazari mortem* — cum Christo colloquitur: et colloquium attingit altissimas revelationis et fidei veritates. « Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus » — « Resurget frater tuus » — « Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die ». Dixit ei Iesus : « Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etsi mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? » — « Utique, Domine; ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, qui in mundum venisti » *(Io* 11, 21-27). Post hanc fidei professionem Iesus Lazarum resuscitat. Etiam *colloquium cum Martha unum est ex maximis Evangelii.*

Christus cum mulieribus loquitur de rebus Dei, et illae has comprehendunt: est haec mentis et cordis vox résilions, responsio fidei. Et Iesus hanc responsionem proprie « femininam » laudat et admiratur, sicut in casu mulieris Chananaeae (cf. *Mt* 15, 28). Interdum vivam hanc fidem amore permeatam exemplum proponit: *docet,* ergo, *initium sumens ab hac mentis et cordis responsione feminina.* Sic accidit in casu mulieris illius « peccatricis » in domo Pharisaei, cuius agendi rationem Iesus sumit ut initium ad illustrandam veritatem de remissione peccatorum : « Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum : cui autem minus dimittitur, minus diligit » *(Lc* 7, 47). In alia unctione, Iesus coram discipulis et praesertim coram luda mulierem defendit eiusque actionem: « Quid molesti estis mulieri? *Opus enim bonum operata est in me (...).* Mittens enim haec unguentum hoc supra corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis: Ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius » *(Mt* 26, 6-13).

Re vera Evangelia non solum describunt quod mulier illa Bethaniae fecit in domo Simonis leprosi, sed in lumine collocant ultimi discriminis tempore totius messianici muneris

Iesu Nazareni *iuxta Crucem fuisse, omnium primas, mulieres.* Apostolorum solus Ioannes fidelis mansit; mulieres autem multae fuerunt. Ibi erant enim non tantum Mater Christi et « soror matris eius, Maria Cleopae, et Maria Magdalene » *(Io* 19, 25), sed « mulieres multae a longe aspicientes, quae secutae erant Iesum a Galilaea ministrantes ei » *(Mt 27,* 55). Ut patet, in hoc durissimo fidei et fidelitatis discrimine, mulieres fortiores apostolis se ostenderunt : in eiusmodi discriminibus qui « multum amant » timorem vincere sciunt. Antea *mulieres fuerant in via doloris, « quae plangebant et lamentabant eum » (Lc* 23, 27). Ante illud tempus *uxor Filati* maritum monuerat : « Nihil tibi et iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum » *(Mt* 27, 29).

PRIMAE RESURRECTIONIS TESTES

16. Iam inde a primis operis Christi initiis exhibent mulieres erga ipsum eiusque simul mysterium peculiarem *adiectionem tener am* quae *indoli* respondet earum *feminei sexus.* Dici praeterea oportet idem hoc insigniter ipsum confirmari, quod ad paschale attinet mysterium, non tempore tantum crucis verum in aurora etiam ipsius resurrectionis. *Primae ad sepulcrum adstant mulieres,* quod primae *reperiunt eaedem vacuum.* Audiunt illae verba primae : « Non est hic : *surrexit* enim, sicut dixit » *(Mt* 28, 6). Primae eius dein amplexantur pedes (cf. *Mt* 28, 9). Vocantur etiam illae primae quae apostolis eventum hunc verum renuntient (cf. *Mt* 28, 1-10; *Lc* 24, 8-11). Ioannis autem Evangelium (cf. item *Me* 16, 9) extollit praesertim *praecipuas Mariae Magdalenae partes.* Prima videlicet ea resuscitato obvia fit Christo. Principio eum quidem hortorum esse arbitratur custodem, quem tunc agnoscit solum, cum nomine ipsam appellat. « Dicit ei Iesus: "Maria!". Conversa illa dicit ei Hebraice : "Rabbuni", quod dicitur Magister. Dicit ei Iesus : "Iam noli me tenere, nondum enim ascendi ad Patrem; vade autem ad fratres meos et die eis : Ascendo ad Patrem meum et

Patrem vestrum et Deum meum et Deum vestrum". Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: "Vidi Dominum!" et quia haec dixit ei » *(Io* 20, 16-18).

Quam ob rem nuncupatur quoque illa « apostolorum apostola »,[38] Etenim iam ipsos ante apostolos fuit Maria Magdalene oculata Christi resuscitati testis ideoque *prima* etiam *testimonium reddidit illi coram apostolis.* Certo quodam pacto cumulat hic eventus omnia ea quae prius iam dicta sunt de veritatibus divinis a Christo mulieribus haud secus ac viris concreditis. Hoc itaque modo sacri vatis voces dici possunt re ipsa completae : « *Effundam spiritum meum* super omnem carnem, *et prophetabunt* filii vestri et *filiae vestrae » (Il* 3, 1). Quinquagesimo autem post Christi resurrectionem die rursus hae confirmantur voces in cenáculo Hierosolymitano, cum Paraclitus descendit Spiritus Sanctus (cf. *Act* 2, 17).

Quidquid vero antehac est pronuntiatum de Christi in mulieres adfectu, id corroborat explanatque veritatem illam de amborum — viri ac mulieris — in Spiritu Sancto aequalitate. Loqui ferme oportet essentiali de quadam « aequabilitate iurium » : quandoquidem ipsi ambo — tam mulier quam vir — ad imaginem conditi sunt Deique similitudinem, et suscipere potest uterque pari profecto modo veritatis divinae largitionem necnon in Spiritu Sancto caritatis. « Salutationes » ambo excipiunt salvificas et sanctificantes.

Quod vero vir aut mulier sunt, nullum secum infert limitem; perinde atque illam salvificam sanctificantemque in homine Spiritus actionem id nihil coarctat, quod quis Iudaeus est vel Graecus, servus vel liber, secundum notissimas Apostoli voces : « Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu »

[38] Cf. RABANUS MAURUS, *De vita beatae Mariae Magdalenae,* XXVII: «Salvator... ascensionis suae eam (= Mariam Magdalenam) ad apostolos instituit apostolam» *(PL* 112, 1574). «Facta est Apostolorum Apostola, per hoc quod ei committitur ut resurrectionem dominicam discipulis annuntiet » : *In Ioannem Evangelistam expositio,* C. XX, L. III, 6 *(S. Thomae Aquinatis comment, in Matthaeum et Ioannem Evangelistas),* Ed. Parmens. X, 629.

(Gal 3, 28). Verum *haec non delet unitas diversitatem.* Qui porro talem in ordine supernaturali sanctificantis gratiae efficit unitatem, Sanctus Spiritus, pari modo adiuvat ut prophetent simul «filii vestri», simul quidem «filiae vestrae». « Prophetare » autem verbo vitaque ipsa declarare significat *«magnalia Dei»* (cf. *Act* 2, 11), veritate simul adservata ac proprietate cuiusque hominis — tum mulieris tum quoque viri. « Aequabilitas » Evangelii, iurium nempe « aequalitas », mulieris et maris, ad « magnalia Dei » quod spectat, prout adeo est luculenter operibus ostentata verbisque Iesu Nazareni, manifestissimum iacit fundamentum dignitatis mulieris vocationisque in Ecclesia et mundo. Unaquaeque enim *vocatio vim habet* altissimo modo *personalem et propheticam.* Nam in humana vocatione sic quidem comprehensa, id totum quod proprie est femineum iam novum consequitur modum : qui scilicet modus est illorum « magnalium Dei », quorum mulier fit vivens quoddam subiectum necessariaque simul testis.

VI

MATERNITAS - VIRGINITAS

BINAE MULIERIS VOCATIONIS RATIONES

17. Mentem vero nunc Nostram convertamus oportet ad maternitatem atque ad virginitatem, veluti peculiares duas rationes explicandi mulieris ingenii. Ad ipsum Evangelii lumen plenitudinem illae proprii momenti ac ponderis in Maria adsequuntur, quae uti Virgo, Filii Mater fit Dei. Hae vero *binae vocationis femininae rationes* sic in ipsa admirabiliter conveniunt coniunguntur que ut alteram haud altera excluserit, verum insigniter perfecerit. Annuntiationis enim narratio in Lucae Evangelio luculenter quidem demonstrat tale quiddam fieri non posse Virgini Nazarethanae visum. Cum

dici sibi audit : « Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum», continuo ipsa exquirit: «Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » *(Lc* 1, 31-34). Communi quidem in rerum ordine effectus maternitas est mutuae ((cognitionis » viri ac mulieris in conubiali iunctione. Maria vero firmiter consistens in virginitatis proposito suae, divino ponit nuntio quaestionem eiusque pariter responsionem accipit : « *Spiritus Sanctus superveniet in te* » : id est, «maternitas tua non consequentia erit "cognitionis" coniugalis, verum Spiritus Sancti opus », atque « virtus Altissimi obumbrabit conceptionis mysterio nati vita tisque Filii. Tamquam Altissimi ipse Filius a Deo solo conceditur tibi, ea profecto via, quam Deus novit». Quapropter virginale suum servavit Maria responsum : « virum non cognosco » (cf. *Lc* 1, 34) eodemque vero tempore est mater facta. *Simul in ea maternitas existit necnon virginitas:* mutuo haud excluduntur nec limites sibi proponunt. Quin immo ipsa Matris Dei persona omnes homines — praesertim autem omnes mulieres — adiuvat ut rite comperiant quo demum pacto duae rationes illae binaeque mulieris vocationis viae veluti personae explicentur atque vicissim compleantur.

MATERNITAS

18. Ut particeps ideo quis fiat huius actus et operis « comperiendi », iterum *in veritatem personae humanae altius* inquiratur oportet, a Concilio Vaticano Secundo commemoratam. Homo videlicet — tam mas quam femina — sola in orbe creatura est quam Deus propter seipsam voluerit : persona est ac subiectum quod de sese decernit. At simul constat hominem « plene seipsum invenire non posse nisi per sincerum sui ipsius donum ».[39] Iam vero haec descriptio, immo certo quodam modo haec etiam definitio personae, dicebatur veritati

[39] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis. 24.

principali respondere biblicae de hominis — viri haud secus ac mulieris — effectione ad Dei imaginem et similitudinem. Non haec autem interpretatio quaedam est in arte sive theoria dumtaxat nec definitio a rebus abstracta, quandoquidem essentiali aliquo modo *sensum indicat* illius quod *aliquis est homo,* dum sua nempe in luce reponit *praestantiam sui ipsius doni, id est personae.* Quo in prospectu personae illud « ethos » continetur quod, cum creationis ipsa veritate coniunctum, sacri Libri Revelationis postmodum erant plane explicaturi ac nominatim Evangeliorum.

De persona porro veritas haec *viam* pariter recludit *plenam ad comprehensionem mulieris maternitatis.* Fructus enim maternitas est conubialis viri mulierisque copulae, illius scilicet.« cognitionis » biblicae, quae duorum respondet coitui « in carnem unam » (cf. *Gn* 2, 24) sicque in muliere ipsa efficit eximium « donum sui ipsius » veluti amoris illius sponsalis testificationem, quo coniuges inter se adeo arcte iunguntur ut « carnem unam » constituant. Completur autem haec « cognitio » biblica in personae scilicet veritate tum solum, cum mutuum sui donum haud deformatur nec viri cupiditate, ut « dominus » suae fiat coniugis (« ipse dominabitur tibi »), nec voluntate mulieris ut in instinctu suo sese concludat (« ad virum tuum erit appetitus tuus » : *Gn* 3, 16).

Mutua porro personae in conubio donatio ad munus sese recludit alicuius vitae novae, *novi hominis,* qui persona pariter est ad suorum parentum similitudinem. Iam inde ab initio secum maternitas infert ad novam personam apertionem quandam: haec omnino est propria mulieris «pars». Nam tali in apertione, dum concipit nempe filium paritque, se ipsam mulier « per sincerum sui ipsius donum » reperit. Interioris promptitudinis donum, ad filium recipiendum ac pariendum, cum conubiali iungitur consortione quae, uti iam est dictum, constituere debet peculiare momentum illius mutuae donationis sui tam a muliere quam a viro. Novi vero hominis con-

ceptio ac nativitas secundum Bibliorum sententiam hisce verbis mulieris-genetricis exornatur: «Acquisivi virum per Dominum » *(Gn* **4,** 1). Evae autem exclamatio, quae est « mater cunctorum viventium », to tiens iteratur, in orbem novus quotiens ingreditur homo eademque exclamatio laetitiam patefacit atque mulieris conscientiam: magnum se videlicet mysterium participare aeternae generandi successionis. Effectricem Dei vim communicant coniuges!

Mulieris maternitas eo quidem tempore, quod inter conceptionem continetur atque filii nativitatem, ratio seu processio quaedam bio-physiologica et psychica est, quae nostris melius comprehenditur diebus quam antehac ac multarum argumentum est subtiliorem investigationum. Plane vero confirmat scientifica inquisitio, quo modo constitutio ipsa feminei corporis organorumque complexus iam in se proclivitatem contineant naturae ipsius ad maternitatem et conceptionem, ad graviditatem filiique partum propter conubialem cum viro copulam. At eodem sane tempore congruunt haec omnia cum compage etiam psychico-physica mulieris. Quaecumque praeterea variae scientiarum disciplinae hoc de argumento tradunt, suam habent utilitatem ac gravitatem, dummodo ne explicatione circumscribantur tantum bio-physiologica ipsius mulieris eiusque maternitatis. Huiusmodi enim *imago « imminuta* » pari velut gressu progreditur cum notione hominis ac totius orbis ad materiam spectante solam. Sic etiam amittitur, proh dolor!, id quod revera ad rerum pertinet essentiam: maternitas namque, tamquam factum atque ostentum humanum, plene secundum veritatem de persona explanatur. Consociatur maternitas *cum structura ipsa personali rationis exsistendi mulieris necnon cum natura personali ipsius doni:* « Acquisivi virum per Dominum » *(Gn* 4, 1). Donum parentibus Creator tribuit filii. In muliere vero coniungitur hoc peculiariter cum sincero « dono sui ipsius ». Mariae ideo voces annuntiationis tempore: « Fiat mihi secundum verbum tuum »

promptum indicant mulieris animum ad sui ipsius donum necnon vitae novae receptionem.

In mulieris ideo maternitate cum viri etiam paternitate sociata veluti imago refertur mysterium aeternum illius principii, quo quis generat genitorque fit, quod ipso invenitur in Deo, videlicet in Deo uno et trino (cf. *Eph* 3, 14-15). Quod homines générant, est commune quiddam quod virum complectitur simulque mulierem. Ac si amore pulsa in virum dixerit aliquando mulier: «Filium tibi peperi », verba eius eodem tempore significabunt: «Hic noster est filius». Verum licet ambo sui sint filii parentes, *« partem » praecipuam maternitas mulieris efficit illius quod communiter sunt ipsi genitores,* tum etiam partem magis obstringentem. Illud quidem <(esse parentes », quantumvis ad utrumque pertineat, multo impletur in muliere amplius praesertim ipso tempore ante filii ortum. Mulier enim directo pretium « solvit » communis huius generationis, quae corporis eius vires revera exhaurit animique. Quocirca penitus sibi conscius *vir* sit oportet, in illo communi ipsorum munere genitorum, contrahere se *peculiare erga mulierem debitum.* Nulla proinde ratio « aequalitatis iurium » inter mulieres ac viros valet, nisi essentiali plane modo hoc animadvertitur.

Singularem quandam communionem cum vitae mysterio, quae in matris visceribus maturescit, in se complectitur maternitas. Mysterium hoc vitae mater admiratur, interiore aliqua inspectione id « comprehendit » quod intra se iam evenit. Sub ipsa « principii » luce filium recipit mater diligitque quem in utero gestat tamquam personam. Praecipuus hic modus consortionis cum novo homine, qui paulatim conformato, ipse vicissim animi talem habitum gignit erga hominem — non tantum proprium in filium sed etiam erga hominem in universum — ut altissime iam totum exprimat mulieris ingenium. Communiter existimatur *mulier* plus viro curam intendere posse *in hominem ante se concretum* atque ma-

ternitas ipsa multo etiam plus hanc provehere inclinationem. Vir contra — quantumvis ipse etiam munus parentis communicet — semper tamen « extra » graviditatis reperitur processum et nativitatis filii pluribusque ideo modis *a matre discere* debet propriam suam « *paternitatem* ». Quod totum dici licet partem esse illius communis dynamicae virtutis qua homines fiunt parentes, tum quoque cum de aetatibus agitur filii ortum subsequentibus, primo praesertim tempore. Filii institutio universim accepta in se continere duplicem operam debet tum matris tum etiam patris. Nihilominus materna opera maximum momentum habet in nova persona humana instituenda.

MATERNITAS AD FOEDUS RELATA

19. In deliberationem nostram regredito *biblicum mulieris paradigma* ex Protoevangelio desumptum. Tamquam genetrix primaque hominis educatrix (nam parentum spiritalis ratio est omnino educatio) propriam habet mulier praestantiam ipso prae viro. Etsi sensu imprimis biophysico eius pendet maternitas a viro, « signum » tamen essentiale eadem imprimit tota in illa processione, qua filii novi filiaeque hominum generis « uti personae crescunt ». Mulieris maternitas *biophysico sensu* passivam quandam, ut videtur, prae se fert proprietatem; vitae efficiendae novae processus in ipsa «evenit » eiusque in corpore; accidit id tamen dum simul illud implicat totum. *Sensu* autem *personali et ethico* significat maternitas creatricem mulieris potestatem maximi quidem momenti unde potissimum novi hominis pendet humana ipsa natura. Hoc quoque pacto declarat mulieris maternitas vocationem aliquam peculiarem ac provocationem quae in virum intenduntur eiusque paternitatem.

Biblicum « mulieris » paradigma cumulatur ac veluti coronatur ipsa *Matris Dei maternitate,* uti verbis Protoevangelii « Inimicitias ponam inter te et mulierem » confirmatur. En ergo Deus in ea in ipsiusque materno responso « fiat » (« Fiat

mihi secundum verbum tuum »), *Novo cum hominum genere Foederi principium* ponit; quod quidem Foedus aeternum est in Christo ac postremum in eius corpore ac sanguine, in Cruce illius et Resurrectione. Idcirco plane, quod Foedus hoc « in carne ac sanguine » est peragendum, fit in Genetrice ipsius initium. « Filius Altissimi » propter eam dumtaxat atque virginale illius maternumque « fiat » Patri asseverare valet: « corpus autem aptasti mihi ... Ecce venio ... ut faciam, Deus, voluntatem tuam » *(Heb* 10, 5. 7).

In Foederis eiusdem ordinem, quod cum homine Deus in Iesu Christo pepigit, maternitas est mulieris inserta. Et quotiescumque singulisque illis temporibus cum *mulieris maternitas* in hominum historia hisce in terris iteratur, semper iam *ad Foedus refertur* quod in Dei Matris maternitate iniit cum hominum genere Deus.

Nonne iam haec res responso illo comprobata est, quod vociferanti in turba mulieri reddidit Iesus, quae scilicet ob Matris ipsius maternitatem laudabat eum : « Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti »? Cui respondet Iesus: « Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt! » *(Lc* 11, 27-28). Sensum hic maternitatis confirmat Iesus, quod ad corpus spectat; at indicat simul altiorem quendam ipsius sensum qui cum ordine coniungitur spiritali: indicium illa est Foederis cum Deo qui « Spiritus est » *(Io* 4, 24). Haec vero cumprimis maternitas Matris est Dei. Cuiusque quoque mulieris *maternitas* ad Evangelii lumen comprehensa non modo ((carnis et sanguinis » est: in ea namque patescit intima *« auditio verbi Dei vivi »* necnon prompta voluntas « custodiendi » idem hoc verbum, quod est verbum « vitae aeternae » *(Io* 6, 68). Etenim matribus terrestribus orti, filii nempe Aliaeque hominum generis, a Dei Filio potestatem recipiunt « filios Dei fieri » *(Io* 1, 12). Novi vero Foederis in Christi sanguine natura totum illud penetrat humanum generare quod inde res efficitur et munus « creaturarum novarum » ***(2** Cor* 5, 17). Mu-

lieris ipsa maternitas, in prospectu nempe vitae atque historiae cuiusque hominis, primum quasi limen est cuius transgressio « revelationem filiorum Dei » (cf. *Rom* **8,** 19) afficit.

((Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit puerum, *iam non meminit près sur ae* propter gaudium quia natus est homo in mundum » *(Io* 16, 21). Haec referuntur Christi verba in prima sua parte eos ad « dolores partus » qui ad peccati originalis pertinent hereditatem; eodem tamen indicant tempore *vinculum quod maternitas* mulieris habet *cum paschali mysterio.* Nam in hoc continetur mysterio etiam Matris dolor sub Cruce consistentis — Matris nempe quae per fidem conturbans omnino communicat « exinanitionis » mysterium Filii sui. « Haec forsan altissima sit fidei kenosis in hominum generis historia ».[40]

Hanc dum contemplamur Matrem, cuius « animam pertransiet gladius » *(Lc* 2, 35), intenditur simul cogitatio in *universas perdolentes huius orbis mulieres* tum corporis videlicet tum animi laborantes aegritudine. Hoc in dolore aliquid valet propria mulierum naturae mollitia, tametsi saepius doloribus magis viris ipsis resistunt. Difficulter quidem hi numerantur dolores; suis difficulter appellantur nominibus: materna sollicitudo memorari potest de filiis, potissimum cum aegrotant aut lubricis errant viis, mors etiam carissimorum amicorum vel propinquorum, matrum illarum solitudo, quarum obliti sunt filii adulti necnon viduarum, mulierum aegritudines quae nituntur ipsae solae ut supersint atque aliarum quae iniuriam subierunt vel quaestui habentur. Dolores demum exsistunt conscientiarum propter peccatum quod maternam humanamve mulieris dignitatem offendit, vulnera nempe conscientiarum quae haud facile submoventur. His ita etiam cum doloribus standum sub Cruce est Christi.

Evangelii sermones autem de muliere, quae patitur dolores cum ipsi tempus impendet quo filium est paritura, conti-

[40] **Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 18: *I. mem.,* 383.**

rmo post testantur *gaudium.* Quod nempe gaudium inde exoritur quod natus est homo : « propter *gaudium quia natus est homo in mundum».* Ad mysterium paschale ordinatur etiam hoc gaudium, ad illam videlicet laetitiam cuius fiunt *die Christi resurrectionis* participes apostoli : « Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis » (quae voces pridie diei passionis ac mortis sunt prolatae); « iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollit a vobis» *(Io* 16, 22-23).

VIRGINITAS PROPTER REGNUM

20. In Iesu Christi doctrina *cum virginitate consociatur maternitas,* verum etiam *discernitur ab ea.* Hac in re principalem obtinet locum dictio illa Iesu atque sermoni eius interiecta de matrimonii indissolubilitate. Percepta enim ipsius responsione Pharisaeis reddita, adiciunt discipuli : « Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere » *(Mt* 19, 10). Quamcumque tunc temporis significationem habere poterat illud « non expedit » in discipulorum animis, proficiscitur *Christus* eorum a falsa opinatione ut *de caelibatus excellentia* eos instituat : caelibatum namque distinguit vitiis naturae inductum, etsi ab homine allatis, a « *caelibatu propter regnum caelorum».* Ait ille: «Et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum » *(Mt* 19, 12). De libero igitur agitur caelibatu ob Regni caelorum causam ipsam electo in aliquo prospectu eschatologicae vocationis hominum ad societatem cum Deo. Addit deinde: « Qui potest capere, capiat », quae verba id repetunt quod in principio totius sermonis de caelibatu iam dixerat (cf. *Mt* 19, 11). Quapropter non fructus modo liberae *electionis* ab homine factae est *caelibatus propter Regnum caelorum* sed peculiaris etiam *gratiae* a Deo datae, qui certum quendam vocat hominem ut caelibatum vivendo impleat. Quod si hoc praecipuum quoddam signum Regni Dei est venturi, eodem id tempore adiuvat ut omnes animi corporisque vires

in vita hac terrestri ac temporali devoveantur uni solique eschatologico regno.

Interrogantibus discipulis responsum Christi voces reddunt. Recta via proferuntur iis qui interrogationem posuerunt quique hic viri fuerunt. Nihilo minus Christi responsio in semet ipsa *valet tum in viros tum in mulieres.* Hac in contexta oratione denotat illud responsum optimam quandam speciem evangelicam virginitatis, quae quidem species claram extollit ((novitatem » cum traditione Veteris Testamenti collatam. Sane haec iungebatur traditio aliquo pacto cum exspectatione Israel potissimumque mulieris Israeliticae, ad adventum Messiae pertinente, qui ex « semine mulieris » esse debebat. Altissimum quidem popositum caelibatus ac virginitatis propter arctiorem cum Deo consociationem haud omnino abhorrescebat certis a partibus Iudaicae societatis praesertim temporibus Iesu adventum proxime praecedentibus. Verumtamen caelibatus propter Regnum sive virginitas, irrefutabilis est novitas cum Dei Incarnatione coniuncta. Postquam Christus advenit, exspectatio populi Dei ordinare sese ad eschatologicum debet Regnum quod venit, ubi « novum Israel » ipse instituat oportebit. Talem vero ad inversionem bonorumque permutationem necessaria est conscientia fidei nova. Id bis Christus inculcat : ((Qui potest capere, capiat » ; illud praeterea ii soli comprehendunt « quibus datum est» *(Mt* 19, 11). *In Maria* autem prima sese haec *nova* commonstravit *conscientia,* quandoquidem ex Angelo quaerit; « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » *(Lc* 1, 34). Quantumvis Scriptura Sacra eam praebeat « virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph » *(Lc* 1, 27), firmiter tamen ipsa perseverat in virginitatis proposito ac maternitas, quam in illa dumtaxat efficit « virtus Altissimi », effectus Spiritus Sancti descensionis in eam est (cf. *Lc* 1, 35). Haec ideo divina maternitas nequaquam exspectationibus humanis respondet mulierum Israel : ad Mariam enim defertur veluti Dei ipsius munus. Initium evasit hoc

donum atque exemplum etiam novae spei omnium hominum pro Aeterni Foederis modo necnon pro nova postremaque Dei promissione : *signum namque est eschatologicae spei.*

Virginitatis porro sensus ex Evangelio est enucleatus altiusque pervestigatus, prout est etiam pro feminis vocatio, in qua nempe earum confirmatur dignitas secundum Virginis Nazarethanae similitudinem. *Praeclaram speciem personarum consecrationis* proponit Evangelium quae illarum importat totam solamque Deo ipsi deditionem ob consiliorum evangelicorum virtutem, nominatim castitatis, paupertatis, oboedientiae. Eorundem vero consiliorum perfecta incarnatio ipse est Iesus Christus. Quicumque eum consectari voluit radicali quidem modo, vitam transigere statuit secundum haec consilia. Quae profecto a mandatis separantur et Christiano viam indicant radicalis evangelici moris. Iam inde a primis christiani nominis principiis hanc pariter viam tum viri ingrediuntur tum mulieres, cum, omni dempto sexus discrimine, propositum evangelicum universis patescat hominibus.

Hoc in ampliore rerum conspectu consideretur *virginitas* oportet *pro muliere via,* qua nempe via aliter atque in coniugio ipsa suam uti mulieris personam complet. Quae via ut recte intellegatur rursus est ad notionem principalem decurrendum ipsius anthropologiae christianae. In virginitate enim libere suscepta semet ipsa confirmat mulier uti personam, id est uti creaturam quam Deus ab primordiis rerum sibi concupivit ipsi,[41] eodemque tempore praestantiam consequitur proprii sexus feminei, dum « donum sincerum » fit soli Deo qui in Christo se patefecit, donum etiam Christo hominum Redemptori animarumque Sponso: donum denique «sponsale». *Probe nequit comprehendi virginitas,* mulieris nempe consecratio in virginitate, *nisi amor simul sponsalis appellatur:*

[41] Cf. CONO. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 24.

in tali enim amore fit persona humana alii cuidam donum.[42] Ceterum iudicanda aequabiliter viri est consecratio in caelibatu sacerdotali vel etiam religioso statu.

Natura proin ac sponsalis inclinatio ipsius personae femininae propriam reperit in virginitate responsionem hoc pacto intellecta. Ab initio mulier quae vocatur ut diligatur diligatque in vocatione ad virginitatem, *Christum* invenit in primis, uti Redemptorem, qui « in finem dilexit » per totum sui ipsius donum, *cui dono respondet per « donum sincerum » omnis suae vitae.* Sese propterea divino dedit Sponso et haec sui ipsius donatio ad coniunctionem dirigitur quae indolem prae ee fert omnino spiritualem : per Sancti Spiritus enim actionem evadit « unus Spiritus » *(1 Cor* 6, 17) cum Christo Sponso.

Haec excellens est evangelica forma virginitatis, ubi insigniter implen tur tam dignitas mulieris quam vocatio. In virginitate autem ita accepta declaratur *radicalismus* — qui dicitur — *Evangelii:* relinquere omnia et Christum sequi (cf. *Mt* 19, 27). Id quod haudquaquam comparari potest cum statu illo simplici quo quis nubilis manet aut caelebs, quoniam non circumscribitur virginitas sola aliqua « negatione », verum altiorem quandam complectitur « affirmationem » in sponsali ordine : sese videlicet donare ratione universali et indivisa.

MATERNITAS SECUNDUM SPIRITUM

21. Evangelico sensu percepta virginitas secum *detrectationem connubii* infert *proindeque etiam maternitatis physicae.*

Verum huius modi renuntiatio maternitatis, quae in mulieris animo gignere potest magnum quoddam sacrificium, recludit simul eam ad alterius generis maternitatem experiendam: quae est maternitas ((Secundum Spiritum» (cf. *Rom* 8, 4). Haud enim destifuit mulierem virginitas propriis dotibus ac praero-

[42] Cf. *Allocutiones* diebus Mercurii habitae 7 et 21 Aprilis 1982: *Insegnamenti* V, 1 1982, 1126-1131 et 1175-1179.

gativis. Multiplices vero induit formas spiritualis maternitas. In vita mulierum consecratarum, quae — verbi gratia — secundum charisma vivunt regulasque variorum Institutorum apostolicae indolis, poterit illa exprimi tamquam sollicita cura erga homines, praesertim egentiores: aegrotos et impedimentis oneratos, desertos et orphanos, senes et infantes, iuvenes et carcere detentos — in universum omnes exclusos. *Sic consecrata mulier Sponsum reperit,* alium et eundem in omnibus ac singulis, secundum ipsa eius enuntiata: «Quam diu fecisti uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» *(Mt* 25, 40). Sponsalis quidem amor promptam secum infert voluntatem sese effundendi in eos qui intra fines versantur eius actionis. In connubio haec voluntas, etsi omnibus patet, in amore potissimum consistit quem parentes in filios profundunt. In virginitate vero eadem alacritas patet *universis hominibus caritate Christi Sponsi inclusis.*

Ad Christum porro relatus, qui omnium est Servator singulorumque, sponsalis amor, cuius materna virtus in mulieris latitat pectore virginalis scilicet sponsae, etiam paratus est ad sese omnibus et cuique aperiendum. Quod omne corroboratur in religiosis communitatibus apostolicae vitae aliterque autem in communitatibus confirmatur vitae contemplativae vel clausurae. Aliae praeterea exstant formae ipsius vocationis ad virginitatem propter Regnum, quales sunt exempli gratia Saecularia Instituta aut consecratarum etiam communitates quae intra Motus diversos et Coetus et Consociationes florent; quibus in formis omnibus *eadem maternitatis spiritalis veritas* hominum in virginitate viventium multipliciter sancitur. Utcumque vero id est, non de solis agitur communitariis rationibus, verum de modis etiam extra communitatem. Denique tandem, uti mulieris vocatio, virginitas semper alicuius personae vocatio est, et quidem verae et irrepetibilis personae. Altissimo itaque modo ad personam spiritalis pertinet maternitas, quae sinit se in vocatione illa percipi.

Hisce ex principiis propria emergit *necessitudo virginitatem inter mulieris non nuptae atque mulieris matrimonio iunctae maternitatem.* Talis autem propinquitas non modo a maternitate dimove tur ad virginitatem, quem ad modum est superius inculcatum, sed a virginitate etiam ad coniugium, prout hoc accipitur tamquam vocationis forma mulierum, in qua matres hae fiunt filiorum ex utero natorum. Locus ille, unde proficiscitur altera haec similitudo, ipsa est *significatio nuptiarum.* Mulier enim tum per matrimonii sacramentum est « nupta » tum spiritali modo per nuptias cum Christo. *Nuptiae vero utroque in casu* « donum sincerum personae » commonstrant sponsae ad sponsum. Hoc ideo modo matrimonii imago dici vere potest in virginitate inveniri spiritaliter. At si de corporis agitur maternitate physica, nonne etiam spiritus haec esse debet maternitas ut universali respondeatur veritati de homine qui est unum quiddam corpore constans spiri tuque? Plures itaque rationes subsunt cur his in duabus viis diversis — binis id est vitae vocationibus mulieris — maxima quaedam completio mutua, immo vero altissima coniunctio detegatur intra ipsius personae exsistentiam.

FILIOLI, QUOS PARTURIO

22. Recludit Evangelium intellegereque sinit hunc omnino exsistendi modum humanae personae. Unamquamque namque mulierem et unumquemque virum adiuvat ut sic vivat seseque ita perficiat. Plena enim exsistit aequalitas, ad dona quod spectat Spiritus Sancti, quod attinet ad « magnalia Dei » *(Act* 2, 11). Verum non hoc tantum. Etenim ante illa « magnalia Dei » vir-Apostolus sibi necesse esse intellegit ad id decurrere quod sua ex essentia femineum est ut de suo ministerio apostolico veritatem declaret. Sic profecto se gerit Paulus Tarsensis cum *Galatas* iis verbis alloquitur : « *Filioli mei, quos iterum parturio* » *(Gal* 4, 19). Porro in prima ad Corinthios

Epistula (7, 38) praestantiam virginitatis praedicat apostolus prae coniugio ipso, quae perpetua inde fuit Ecclesiae doctrina secundum Christi vocum significationem in evangelio Matthaei relatarum (19, 10-12), non tamen obscurans pondus et momentum maternitatis in corpore necnon in spiritu. Ut primarium illuminet Ecclesiae munus, nihil sane melius reperit quam maternitatis commemorationem.

Eiusdem dein similitudinis atque eiusdem etiam veritatis imaginem redditam deprehendimus in Constitutione dogmatica de Ecclesia : *Maria est « typus » Ecclesiae:*[43] « In mysterio enim Ecclesiae, quae et ipsa iure mater vocatur et virgo, Beata Virgo Maria praecessit, eminenter et singulariter tum virginis tum matris exemplar praebens ... Filium autem peperit, quem Deus posuit primogenitum in multis fratribus *(Rom* 8, 29), fidelibus nempe, ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur « Iamvero Ecclesia, eius arcanam sanctitatem contemplans et caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens, per verbum Dei fideliter susceptum *et ipsa fit mater:* praedicatione enim ac baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat ».[45] De maternitate hic agitur « secundum spiritum » ad filios quod pertinet filiasque hominum generis. Ac talis quidem maternitas — perinde ac iam est superius dictum — «pars» efficitur mulieris etiam ipsa in virginitate. Ecclesia *((et ipsa est virgo* » integram puramque quae fidem custodit Sponso exhibitam,[46] id quod absolute in Maria completur. Quapropter Ecclesia « imitans Domini sui Matrem, virtute Spiritus

[43] Cf. CONO. OEC. VAT. Il, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 63; S. AMBROSIUS, *In Lc* II, 7: S. *Ch.* 45, 74; *De instit. virg.* XIV, 87-89: *PL* 16, 326-327; S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Hom.* 4: *PO* 77, 996; S. ISIDORUS HISPALENSIS, *Allegoriae* 139: *PL* 83, 117.

[44] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 63.

[45] *Ibid.,* 64.

[46] *Ibid.,* 64.

Sancti, virginaliter servat integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem ».[47]

Adseverat ideo Concilium, nisi ad Matrem Dei recurratur, fieri haud posse ut Ecclesiae comprehendatur mysterium aut ipsius veritas aut demum essentialis eius vitalitas. *Obliqua* autem hic *via* invenimus aliquam *indicationem* illius *paradigmatis biblici « mulieris »*, prout loculenter iam in narratione « principii » designatur (cf. *Gn* 3, 15) atque in longo illo intervallo quod a creatione ipsa protenditur per peccatum ad redemptionem usque. Ita enim alta illa roboratur coniunctio eorum quae humana prorsus sunt et aliorum quae divinum salutis consilium in humani generis historia constituunt. Nobis igitur persuadent Biblia nec plenam explicationem haberi posse hominis ipsius, vel eius potius quod « humanum » est, nisi convenienter simul ad id recurratur quod « femineum » est. Simile vero quiddam in oeconomia salutifera Dei evenit : quam scilicet si funditus perspicere voluerimus cum hominis nempe historia tota coniunctam, praetermitti minime licebit in fidei nostrae prospectu mysterium « mulieris » : virginis-matris-sponsae.

[47] *Ibid.*, 64. Quod ad rationem Mariam-Ecclesiam attinet, quae constanter repetitur in meditationibus Patrum Ecclesiae totiusque Traditionis Christianae, cf. Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 42-44 et notae 117-127: *I. mem.*, 418-422. Cf. insuper: CLEMENS ALEXANDRINUS, *Paed.* 1, 6: *S. Ch.* 70, 186 s.; S. AMBROSIUS, *In Lc* II, 7: *S. Ch.* 45, 74; S. AUGUSTINUS, *Sermo 192,* 2: *PL* 38, 1012; *Sermo 195,* 2: *PL* 38, 1018; *Sermo 25,* 8: *PL* 46, 938; S. LEO MAGNUS, *Sermo 25,* 5: *PL* 54, 211; *Sermo 26,* 2: *PL* 54, 213; BEDA VENERABILIS, *In Lc* I, 2: *PL* 92, 330. «utraque Mater — ita scribit ISAAC DE STELLA, discipulus S. Bernardi —, utraque virgo; utraque de eodem Spiritu... concipit... Illa [Maria]... corpori caput peperit; ista [Ecclesia]... capiti corpus edidit. Utraque Christi mater, sed neutra sine altera totum parit. Unde ... quod de virgine matre Ecclesia universaliter, hoc de virgine Maria singulariter; et quod de virgine matre Maria specialiter, id de virgine matre Ecclesia generaliter iure intelligitur, et cum de alterutra sermo texitur, fere permistim et indifferenter de utraque sententia intelligitur » (*Sermo 51,* 7-8: *S. Ch.* 339, 202-205.

VII

ECCLESIA - CHRISTI SPONSA

« MYSTERIUM MAGNUM »

23. Momentum vero praecipuum prae se hac de re ferunt sermones *Epistulae ad Ephesios:* « Viri, diligi te uxores, sicut et Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit; nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus ecclesiam, quia membra sumus corporis eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. *Mysterium hoc magnum est;* ego autem dico *de Christo et ecclesial* » (5, 25-32).

Veritatem de Ecclesia tamquam Christi Sponsa hac in epistula auctor declarat pariterque docet quo denique pacto eadem veritas *inseratur in biblica eventa creationis hominis masculi feminaeque.* Ad imaginem conditi Deique similitudinem uti ((duorum unitas » vocati ambo sunt ad indolis sponsalis amorem. Dici pariter potest secundum creationis narrationem in libro *Genesis* (2, 18-24) haec vocatio principalis una cum mulieris effectione patefieri atque ipso a Conditore inscribi in matrimonii institutione, quae secundum *Genesim* 2, 24 iam inde ab initio naturam complectitur « communionis personarum ». Quantumvis non directo, eadem etiam monstrat descriptio Principii (cf. *Gn* l, 27 et *Gn* 2, 24) totum illud « ethos » necessitudinum mutuarum virum inter ac mulierem respondere veritati debere personali ipsorum exsistentiae.

Haec omnia iam prius sunt perpensa. *Epistulae ad Ephesios* sermo iterum memoratam supra veritatem stabilit eodemque

tempore rationem sponsalem amoris inter virum ac mulierem confert cum Christi atque Ecclesiae mysterio. *Sponsus est Christus Ecclesiae, Ecclesia est Christi Sponsa.* At comparatio haec non sane caret priore quodam exemplo : traicit enim Novum in Testamentum quae iam dicta erant *Vetere in Testamento,* nominatim apud prophetas Oseam, Ieremiam, Ezechielem, Isaiam.[48] Merentur singuli quidem loci tractationem seorsum. Unum saltem adducimus locum. Ecce ergo electum suum alloquitur Deus populum per prophetam : « Noli timere, quia non confunderis, neque erubescas, quia non te pudebit; nam confusionis adulescentiae tuae obliviscens et opprobrii viduitatis tuae non recordaberis amplius. *Qui enim fecit te, erit sponsus tuus,* Dominus exercituum nomen eius ; et *redemptor tuus Sanctus Israel,* Deus omnis terrae vocabitur ... et uxorem ab adulescentia abiectam dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te et in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus (...) Montes enim recèdent et colles movebuntur, *misericordia autem mea non recedei a te,* et foedus pacis meae non movebitur » *(Is* 54, 4-**8.** 10).

Si autem homo — vir ac mulier >— ad imaginem excitatus est similitudinemque Dei, loqui ideo de se Deo licet per vatis oraculum atque sermone uti qui est sua e natura humanus : in adducto Isaiae loco, « *humana* » est significatio Dei amoris, verum ipse *est amor divinus.* Quandoquidem Dei est amor, sponsalem habet indolem proprie divinam, licet similitudine explanetur amoris viri in mulierem. Haec mulier-sponsa Israel est, quatenus populus est electus Dei, quae porro electio originem suam solummodo in amore reperit Dei gratuito. Hoc ipso proinde amore Foedus explicatur, saepius quidem exhibitum veluti pactum connubiale quod cum suo rursus populo electo

[48] Cf. ex. gr., *Os* 1, 2; 2, 16-18; *Ier* 2, 2; *Efs* 16, 8; *Is* 50, 1; 54. 5-8.

f erit Deus. In Deo illud est « officium » perpetuum : fidelis enim suo sponsali persistit amori, tametsi saepius sponsa infidelem sese praebuit.

Species haec sponsalis amoris una cum Sponsi divini figura, quae clara emergit ex prophetarum locis, corroboratur et cumulatur in *Epistula ad Ephesios* (5, 23-32). Salutatur a Ioanne Baptista *Christus* tamquam sponsus (cf. *Io* 3, 27-29); quin et Christus sibi ipse hanc similitudinem adhibet de prophetis sumptam (cf. *Me* 2, 19-20). Qui porro in se patrimonium gestat Veteris Testamenti, apostolus Paulus ad Corinthios scribit: « Aemulor enim vos Dei aemulatione ; despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo » *(2 Cor* 11, 2). Verum uberior locutio de amoris veritate Christi redemptoris secundum sponsalis amoris in connubio similitudinem in *Epistula ad Ephesios* iacet : « *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea* » (5, 25), ubi illud penitus confirmatur quod videlicet sponsa est Ecclesia Christi : « redemptor tuus Sanctus Israel » *(Is* 54, 5). Paulina in scriptione duas dirigitur in partes similitudo necessitudinis sponsalis, quae simul « mysterium magnum » (« sacramentum magnum ») illud componunt. Pactum coniugum proprium naturam « explanat » sponsalem coniunctionis Christi cum Ecclesia; haec vicissim coniunctio, uti « sacramentum magnum », proprietatem sacramentalem statuit ipsius matrimonii tamquam foedus sanctum duorum coniugum, viri et mulieris. Hunc perlegentes locum uberem multiplicemque, qui *tota in summa est similitudo maxima,* ea inibi *distinguamus* necesse est, quae veritatem testantur humanam de necessitudinis rationibus inter personas, ab iis quae sermone figuris repleto magnum denotant mysterium divinum.

EVANGELICA NOVITAS

24. Sermones illi ad coniuges diriguntur tamquam mulieres virosque certos, quos simul docent « ethos » sponsalis amoris, quod divina ab institutione matrimonii repetitur iam in « prin-

cipio». Cuius veritati institutionis cohortatio respondet: « *Viri, diligite uxores* » ; propter peculiare illud unicumque vinculum *diligite eas,* per quod fiunt vir ac mulier in coniugio «caro una» *(Gn* 2, 24; *Eph* 5, 31). Hac autem in dilectione principalis habetur *affirmatio mulieris* veluti personae, asseverano ex qua licet personam femineam plene explicari ac progredi simulque locupletare Ita plane se Christus gerit uti Ecclesiae sponsus dum illam esse cupit « gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam » *(Eph* 5, 27). Dici hic potest omne id plene assumi quod Christi efficit « morem » sive modum mulieris tractandae. Partes igitur huius moris suas faciat vir oportet erga uxorem: aequabiliterque vir agat necesse est erga mulierem quolibet in casu. Ambo sic, vir ac mulier, « donum sincerum sui ipsius » perficiunt.

Epistulae ad Ephesios auctor nullam percipit repugnantiam inter sic expressam adhortationem atque comprobationem illius rei : « mulieres viris suis sint subiectae sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris » (5, 22-23). Novit auctor interpretationem hanc, multo etiam altius inhaerentem moribus religiosisque traditionibus eius temporis, comprehendi novo modo debere atque impleri, sicut ab iis qui sunt « *subiecti invicem in timore Christi » (Eph* 5, 21) ; eo magis quod vir dicitur « caput » mulieris *sicut* Christus caput est Ecclesiae, scilicet ut « seipsum traderet pro ea » *(Eph* 5, 25) ; atqui seipsum tradere pro ea idem valet ac vel propriam tradere vitam. Sed, cum in necessitudine Christi-Ecclesiae, subiectio solius Ecclesiae sit, in necessitudine mariti-uxoris, subiectio non est unius dumtaxat partis, verum prorsus reciproca. Cum rebus « antiquis)) collatum hoc manifesto aliquid est « novi » : novitas est evangelica. Varios quinimmo locos offendimus ubi apostolici scriptores idem hoc significant « novum », quamvis inibi etiam se percipi sinat « antiquum », quod nempe insitum religiosae sit traditioni Israel eiusque intellegendi exponen-

dique modo sacras litteras et doctrinas, sicut, verbi causa, locum *Genesis* (c. 2).[49]

Epistulae apostolicae iis hominibus inscribuntur qui inter adiuncta vivunt ubi idem genus viget cogitandi agendique. Christi ((novum » res solida est : etenim indubiam certamque doctrinam nuntii evangelici id efficit ac fructus simul redemptionis est. Eodem tamen tempore conscientia illius rei — in matrimonio mutuam « subiectionem » coniugum in timore Christi exsistere, non solam uxoris subditionem marito — progrediatur latius oportet in hominum animis et conscientiis, in consuetudinibus ac moribus. Est haec ideo quaedam provocatio quae minime ab illo iam tempore pellere cessat succedentes sibi aetates, invitatio quam suscipere semper homines ab integro debent. Apostolus enim non scripsit modo : « In Christo Iesu... iam non est vir aut mulier», verum etiam « non servus aut liber ». Attamen quot praeterierunt saecula priusquam tale hoc in historia generis hominum impleretur principium, sublata scilicet e medio ipsa servitutis institutione! Et de tot formis dependendi instar servitutis tot hominum ac populorum quid est dicendum, quae nondum evanuerunt de historiae scaena?

Sed *provocatio ipsius « ethos » redemptionis* clara est ac decretoria. Cunctae enim rationes pro « submissione » mulieris in matrimonio viro intellegendae potius sunt cum intellectu «mutuae subditionis » utriusque «in timore Christi». Originem suam altissimam reperit modus veri amoris sponsalis in Christo qui Ecclesiae, suae Sponsae, est Sponsus.

« MAGNI MYSTERII » RATIO SYMBOLICA

25. In loco autem illo *Epistulae ad Ephesios* similitudinis invenimus *alteram rationem* quandam, quae tota in sua summa adiuvare debet ut « mysterium magnum » recludatur. Haec

[49] Cf. *Col* 3, 18; Í *Thess* 3, 1-6; *Tit* 2, 4-5; *Eph* 5, 22-24; *1 Cor* 11, 3-16; 14, 33-35; *1 Tim 2,* 11-15.

nempe *ratio symbolica* sive figurativa est. Si enim in hominem populumque Israel electum amor Dei a prophetis perhibetur veluti sponsi erga sponsam dilectio, talis quidem comparatio proprietatem reserat « sponsalem » necnon divinam prorsus, non humanam, indolem Dei amoris : « Qui enim fecit te, erit sponsus tuus... Deus omnis terrae vocabitur» *(Is* 54, 5). Quod idem de Christi redemptoris est sponsali caritate dicendum : « Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret » *(Io* 3, 16). De amore ergo Dei agitur per redemptionem a Christo effectam luculenter expresso. Secundum Epistulam Paulinam hic amor « similis » sponsali coniugum humanorum est amori, non sane « aequalis ». Comparatio enim simul complectitur similitudinem, simul congruum patitur spatium dissimilitudinis.

Quod facile profecto eruitur si figuram contempleris « sponsae ». Ex *Epistula ad Ephesios* sponsa illa *est Ecclesia,* quem ad modum prophetis ipsis sponsa erat Israel : *subiectum collectivum est* igitur, haud singularis *quaedam persona.* Populus porro Dei hoc est collectivum subiectum sive communitas multis consistens hominibus, tum mulieribus tum etiam viris. « Christus dilexit ecclesiam », omnino uti communitatem, tamquam Dei Populum, eodem tamen tempore hac in Ecclesia, quae ibidem etiam ipsius nuncupatur « corpus » (cf. *Eph* 5, 23), singulos dilexit homines. Omnes enim Christus sine exceptione redemit, unumquemque virum et unamquamque mulierem. In redemptione hic prorsus Dei declaratur amor atque completur in hominis terrarumque orbis historia sponsalis natura talis amoris.

Hanc ingressus est Christus in historiam ibique uti sponsus perstat qui « seipsum tradidit ». « Tradere » autem significat « sincerum donum fieri » ratione quidem perfectissima et radicali. « Maiorem hac dilectionem nemo habet » *(Io* 15, 13). Hac ideo in rerum notione ipsam per Ecclesiam *universi homines — tam mulieres quam viri — vocati sunt ut « Sponsa » sint*

Christi mundi redemptoris. Hoc igitur pacto « sponsam esse » ac propterea «femineum esse » signum fit ac figura totius rei humanae secundum Pauli dicta: « non est masculus et femina: omnes enim vos *unus* estis in Christo Iesu » *(Gal* 3, 28).

' Ratione itaque habita linguae ipsius, dici licet amoris sponsalis similitudinem secundum locum Epistulae ad Ephesios secum simul « masculinum » inferre simul « femininum », quoniam viri etiam, uti Ecclesiae membra, in notione « sponsae » adnumerantur. Neque admirationem istud potest movere quandoquidem Apostolus, suum ut in Christo Ecclesiaque explicet munus, loquitur de « filiolis suis quos iterum parturit » (cf. *Gal* 4, 19). Intra fines ergo illius quod est «humanum», scilicet eius quod humana ratione ad personas pertinet, « *sexus masculinus » atque « femininus sexus » distinguuntur* et eodem quidem tempore *inter se complentur et explanentur invicem.* Id quod in maxima illa adest similitudine « sponsae » in *Epistula ad Ephesios.* In Ecclesia omnis homo — masculus ac femina — « sponsa » est, quatenus dono recipit Christi amorem redemptoris, sicut etiam quatenus eidem dono respondere studet propriae personae dono.

Christus est Sponsus. Quo pacto veritas significatur Dei amoris qui « prior » (cf. *1 Io* 4, 19) dilexit quique dono ex hoc sponsali amore excessit hominum exspectationes : « in finem dilexit » *(Io* 13, 1). Sponsus — Filius consubstantialis Patri uti Deus — factus Mariae filius est; «filius hominis», homo verus, mas. *Sponsi figura est masculini sexus.* Hoc symbolo masculino significatur humana amoris proprietas, quo suam dilectionem Deus est erga Israel testatus, in Ecclesiam, omnes in homines. Ponderantes itaque quae renuntiant Evangelia de Christi animo in mulierem, colligere valemus *veluti hominem* Israel filium *patefacere* illum dignitatem « *filiarum Abrahae* » (cf. *Lc* 13, 16), videlicet *dignitatem quam mulier* iam inde a « principio » *habuerit* haud secus ac vir. Extulit autem simul Christus omnem illam qualitatem propriam quae a viro

iam mulierem distinguit, cunctam ubertatem ei tributam in creationis mysterio. In animi habitu Christi erga mulieres id invenitur rectissime ad effectum adductum, quod textus *Epistulae ad Ephesios* per notionem « sponsi » declarat. Ob id ipsum, quod Christi amor divinus est Sponsi amor, hic est cuiuslibet humani amoris paradigma et exemplar, praesertim hominum-masculorum.

EUCHARISTIA

26. Amplissimo in « mysterii magni » prospectu, quod necessitudine sponsali inter Christum atque Ecclesiam significatur, fieri quoque potest ut veritas congruenter percipiatur ipsius vocationis «Duodecim ». *Advocans enim solos viros uti apostolos suos Christus sese ratione gessit prorsus libera suique iuris.* Eadem istud libertate fecit qua toto in vitae suae instituto dignitatem extulit mulieris vocationemque, non tamen adcommodans se vigentibus moribus ac traditionibus lege illius temporis constitutis. Quapropter opinatio ista, secundum quam ipse vocavisse existimatur viros tamquam apostolos sequens nempe sui temporis mentem iam acceptam, haudquaquam congruit cum ipso agendi modo Iesu Christi. « Magister, scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces (...), *non enim respicis personam hominum » (Mt* 22, 16). Haec verba prorsus *ipsius mores Iesu Nazareni* designant; hic vocationem pariter explicat « Duodecim ». Ipsi cum Christo adsunt in ultima illa cena; soli praeterea ipsi praeceptionem excipiunt sacramentalem : « Hoc facite in meam commemorationem » *(Lc* 22,19; *1 Cor* 11, 24), cum Eucharistiae institutione consociatam. Vesperi vero diei resurrectionis Spiritum Sanctum ipsi recipiunt ut peccata hominibus condonent : « Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis; quorum retinueritis, retenta sunt » *(Io* 20, 23).

In medio ipso iam versamur paschali mysterio quod funditus Dei sponsalem recludit amorem. Sponsus Christus est,

quoniam « seipsum tradidit » : eius corpus est « datum », eiusque est etiam sanguis « fusus » *(ei. Lc* 22, 19-20). Hoc namque pacto « in finem dilexit » *(Io* 13, 1). In Crucis sacrificio inclusum <(sincerum donum » declarat omnino sensum sponsalem Dei amoris. Ecclesiae Sponsus est Christus uti servator mundi. *Nostrae sacramentum est Eucharistia redemptionis. Sponsi sacramentum est Sponsaeque.* Praesentem enim reddit rationeque sacramentali Eucharistia denuo implet actum Christi redimentem, qui suum corpus Ecclesiam « creat ». Hoc cum ((corpore » Christus coniungitur veluti cum sponsa sponsus. Quae omnia in *Epistula ad Ephesios* reperiuntur. In Christi Ecclesiaeque « mysterium magnum » intromittitur « duorum coniunctio » iam a « principio » constituta, inter virum nempe ac mulierem.

Si Eucharistiam instituens Christus tam explicato ita modo eam cum ministerio apostolorum sacerdotali iunxit, aestimari simul licet ea ratione voluisse ipsum etiam proferre necessitudinem a Deo decretam inter virum ac mulierem, inter id quod « femininum » est atque id quod « masculinum » tum in creationis mysterio tum redemptionis. Ante omnia vero *in Eucharistia* exprimitur via sacramentali *redimens Christi Sponsi actus pro Ecclesia Sponsa.* Quod elucet omnino et univocum redditur, cum sacramentale Eucharistiae ministerium, ubi se gerit sacerdos « *in persona Christi* », a viro perficitur. Haec explicatio doctrinam confirmat Declarationis *Inter insigniores,* iussu divulgatae Pontificis Pauli Sexti ut interrogationibus de quaestione mulierum admissionis ad sacerdotium ministeriale responderetur.[50]

[50] Cf. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Declaratio *Inter insigniores* circa quaestionem admissionis mulierum ad sacerdotium ministeriale (15 Octobris 1976): *AAS* 69 (1977), 98-116.

SPONSAE DONUM

27. Conscientiam in Ecclesia Concilium Vaticanum II redintegravit universalis sacerdotii. Novo enim in Foedere unum sacrificium est unusque sacerdos : Christus. Huius autem *unius sacerdotii participes omnes sunt baptizati,* tam viri quam mulieres, quatenus « seipsos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibeant (cf. *Rom* 12, 1), ubique terrarum de Christo testimonium perhibeant, atque poscentibus rationem reddant de ea quae in eis est spe vitae aeternae (cf. *1 P e* 3, 15) ».[51] Sacrificii Christi communicatio universa, in quo totum Patri mundum obtulit Redemptor nominatimque hominum genus, ita facit ut in Ecclesia cuncti « regnum et sacerdotes » sint *(Apc* 5, 10; cf. *1 P e* 2, 9), consortes scilicet non muneris modo sacerdotalis, verum prophetici quoque necnon regalis Christi Messiae. Haec praeterea participatio coniunctionem statuit Ecclesiae ipsius velut Dei Populi cum Christo. Simul vero in ea « mysterium magnum » *Epistulae ad Ephesios* declaratur: *Sponso suo iuncta Sponsa,* coniuncta idcirco quod eius ducit vitam, consociata quia ipsius tria participat munera *(tria munera Christi), eo modo copulata* ut per « donum sincerum » sui ipsius respondeat *ineffabili amoris Sponsi dono,* Redemptoris mundi. Id quod universam respicit Ecclesiam, simul mulieres simul viros, ac manifesto ad eos quoque spectat qui « ministerialis sacerdotii » participes sunt,[52] quod indolem in se continet veri servitii. Intra Christi Ecclesiaeque « mysterium magnum » omnes incitantur — sponsae instar — ut, suae vitae dono, dono Christi amoris ineffabili occurrant, qui mundi ut Servator Ecclesiae est Sponsus. Et in « regali sacerdotio », quod universale est, eodem tempore Sponsae aperitur donum.

Hoc *summi profecto interest, ut Ecclesia sua plane* in

[51] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 10.

[52] Cf. *ibid.,* 10.

essentia comprehendatur neve ad Ecclesiam propria in exsistentia transferatur « institutio » ex hominibus connata in historiamque interposita: quae sunt iudicandi aestimandique normae ad ipsius haud pertinentes naturam. Quamtumvis habeat Ecclesia structuram « hierarchicam »,[53] illa tamen compages tota ad membrorum in Christo sanctimoniam dirigitur. Porro secundum « mysterium magnum » illa diiudicatur sanctitas, ubi Sponsi dono respondet Sponsa proprio amoris dono, idque facit « in Spiritu Sancto », quandoquidem **a** caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » *(Rom* 5, 5). Doctrinam autem totius confirmans traditionis Concilium Vaticanum II memoravit in hierarchia ipsa sanctitatis « *mulierem » ipsam,* Mariam Nazarethanam Ecclesiae esse <(figuram » eamque reliquos in via ad sanctimoniam « praecedere ». Nam « in Beatissima Virgine ad perfectionem iam pertingit, qua sine macula et ruga exsistit (cf. *Eph* 5, 27) w.[54] Hoc sensu Ecclesia dici potest esse simul « mariana » et ((apostolico-petrina ».[55]

A primis quidem historiae Ecclesiae temporibus viros iuxta *complures mulieres* erant, ob quas Sponsae ipsius responsum redimenti Sponsi amori plenam apiscebatur significantiam. Primas quidem cernimus mulieres illas quae consortium coti-

[53] Cf. *ibid.,* 18-29.

[54] Cf. *ibid.,* 65 cf. quoque 63; cf. Litt. Enc. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 2-6: *I. mem.,* 362-367.

[55] « Hic marianus aspectus est tantundem — si non magis — fundamentalis ac praecipuus Ecclesiae quantum aspectus *apostolicus* et *petrinus,* cum quo arctissime coniungitur... mariana ratio Ecclesiae petrinam praecedit rationem, etiamsi sit cum ea penitus coniuncta et complementaris. Maria, Immaculata, omnem alium praecedit, et, ut patet, ipsum Petrum et apostolos: non solum quod Petrus et Apostoli, orti e multitudine humani generis quod nascitur sub peccato, membra sunt Ecclesiae, quae est "sancta ex peccatoribus", sed etiam quia triplex eorum *munus* ad nil aliud spectat quam ut efformet Ecclesiam ad illam perfectam formam sanctitatis, quae iam praeformata et praefigurata est in Maria. Sicut probe dixit quidam theologus nostrae aetatis: "Maria est 'regina Apostolorum' neque sibi apostolicas petivit potestates. Ipsa aliud et plus habet" (I. U. von BALTHSAB, Neue Klarstellungen)»: Allocutio ad Patres Cardinales Romanaeque Curiae Praelatos die 22 Dec. 1987 habita: *AAS* 80 (1988), pp. 1025-1034.

diarium frequentaverant ipsae cum Christo eiusque post discessionem cum apostolis « erant perseverantes ... in oratione » apud cenaculum Hierosolymitanum ad diem usque Pentecostes. Quo scilicet die per « filios ac filias » Populi Dei Spiritus est Sanctus locutus, qui Ioelis prophetae praeconium impleverunt (cf. *Act* 2, 17). Hae insuper mulieres aliaeque etiam deinceps *actuosas partes gravesque in Ecclesiae priscae vita expleverunt,* in aedificanda videlicet ipsis a fundamentis prima communitate christiana et in subsequentium pariter constitutione *per charismata propria ac multiplex ministerium.* Commemorant apostolica scripta earum etiam nomina, inter quae sunt: Phoebe, « ministra ecclesiae, quae est Cenchris » *(Rom* 16, 1), Prisca cum viro Aquila, Evodia et Syntyches (cf. *Philp* 4, 2), Maria, Tryphaena, Persis, Tryphosa (cf. *Rom* 16, 6. 12). De earum loquitur Apostolus « laboribus » pro Christo, qui varias indicant regiones ministerii apostolici Ecclesiae, initio ab ipsa « ecclesia domestica » facto. Ibidem enim fides « quae est non ficta » a matre in filios transit nepotesque, prout domi factum est Timothei (cf. *2 Tim* 1, 5).

Saeculorum deinde decursu, a generatione in generationem, idem prorsus contingit, sicut *tota* commonstrat *Ecclesiae historia.* Etenim mulieris dignitatem tutando Ecclesia eiusque vocationem, honorem tribuit atque gratias iis quae, Evangelio fideles, omni aetate apostolicum communicarunt totius Dei Populi munus. De martyribus sanctis agitur et de virginibus ac de matribus familias fortiter quae fidem sunt testificatae ac suis educandis liberis in Evangelii principiis fidem tradiderunt Ecclesiaeque traditionem.

Omni saeculo omnique pariter in populo plures invenimus « perfectas » *(Prv* 31, 10) mulieres quae, quamquam vexationes, difficultates, exclusiones obstiterunt, munus Ecclesiae participaverunt. Memorare sat est: Monicam Augustini matrem, Macrinam, Olgam Kioviensem, Mathildam Tuscam, Hedvigem Slesianam necnon Hedvigem Cracoviensem, Elisa-

betham Thuringam, Birgittam Sueticam, Ioannam de Arc, Rosam Limanam, Elisabettiani Seaton et Mariam Ward.

Testificatio operaque mulierum christianarum significans habuerunt momentum in vitam tum Ecclesiae tum etiam societatis. Etiam coram gravibus iniuriis socialibus « libere » sese sanctae gesserunt mulieres, roboratae videlicet sua cum Christo consortione. Similis proinde coniunctio cum Christo libertasque in Deo stabilita explanant — ut exemplis utamur — magna Sanctae Catharinae Senensis coepta in Ecclesiae vita atque Sanctae Teresiae a Iesu in monastica.

Nec hisce desinit nostris diebus locupletari Ecclesia testimoniis complurium feminarum quae suam ad sanctitatem complent vocationem. Sanctae mulieres quasi quaedam corporatae personae sunt speciei muliebris optimae; verum exemplaria aequabiliter universis sunt christianis, exempla scilicet <(Christi sequelae », illius nempe rationis exempla, qua per amorem respondeat Sponsa oportet Sponsi amori.

VIII

MAIOR AUTEM EX HIS EST CARITAS

ANTE MUTATIONES

28. « Credit autem Ecclesia Christum, pro omnibus mortuum et resuscitatum, homini lucem et vires per Spiritum suum praebere ut ille summae suae vocationi respondere possit ».[56] Quas proin voces conciliaris Constitutionis « Gaudium et spes » ad argumentum adsignare valemus harum considerationum. Peculiaris enim cohortatio sive invitatio ad mulieris dignitatem ponderandam eiusque vocationem, prout huius nostrae propria aetatis est qua vivimus, potest suscipi

[56] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 10.

ac debet in « luce et viribus » quas Christi Spiritus hominibus dilargitur: etiam hominibus nostri temporis quod multiplicibus abundat mutationibus. Ecclesia « similiter credit clavem, centrum et finem totius humanae historiae in Domino ac Magistro suo inveniri», sicut et hominis ipsius; «affirmât insuper Ecclesia omnibus mutationibus multa subesse quae non mutantur, quaeque fundamentum suum ultimum in Christo habent, qui est heri, hodie, Ipse et in saecula».[57]

Iis ergo sermonibus designat Constitutio de Ecclesia in mundo huius temporis viam omnino sequendam, cum officia et munia accipiuntur ad dignitatem mulieris eiusque vocationem spectantia, secundum mutationes tantum pondus ad tempora nostra habentes. Talibus occurrere possumus mutationibus recte et congruenter solummodo si ad fundamenta *revertimur* quae in Christo sunt, eas nempe ad *veritates et bona « immutabilia »*, quorum ipse remanet « testis fidelis » (cf. *Apc* 1, 5) ac Magister. Alius quidam agendi modus effecta dubia prorsus inducet, si non usquequaque falsa et fallacia.

MULIERIS DIGNITAS ORDOQUE AMORIS

29. Iam adductus superius locus *Epistulae ad Ephesios* (5, 21-33), ubi ratio coniunctionis Christum inter et Ecclesiam exhibetur tamquam Sponsum inter et Sponsam vinculum, etiam ad matrimonii refertur institutionem secundum *Libri Genesis* dicta (cf. *Gn* 2, 24). Veritatem enim consociat de connubio velut sacramento primigenio cum ipsius viri ac mulieris creatione ad imaginem Dei ac similitudinem (cf. *Gn* 1, 27; 5, 1). Per significantem hanc comparationem in *Epistula ad Ephesios* iam assequitur plenam quandam claritatem *id quod dignitatem mulieris tum in Dei conspectu* statuit, Conditoris ac Redemptoris, tum *in hominis conspectu:* viri videlicet ac mulieris. Secundum solidum fundamentum aeterni

[57] *Ibid.,* io.

Dei consilii mulier ea est, in qua terram reperit pro sua prima radice ordo amoris in mundo personarum creato. Intimam vero ad Dei vitam, vitam scilicet trinitariam, ordo pertinet amoris. Illa nempe in Dei intima vita, Spiritus Sanctus personalis est amoris hypostasis. Per Spiritum, increatum Donum, personis creatis fit donum ipse amor. *Qui ex Deo provenit amor cum creaturis communicatur:* « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » *(Rom* 5, 5).

Ad vitam vocatio mulieris iuxta virum (« adiutorium simile sibi » : *Gn* 2, 18) in unitate duorum praebet in adspectabili mundo creaturarum peculiares condiciones ut « caritas Dei diffundatur in cordibus » hominum ex ipsius similitudine conditorum. Auctor *Epistulae ad Ephesios* si Sponsum nuncupat Christum Ecclesiamque Sponsam, obliqua quidem per illam comparationem via *veritatem* confirmat *de muliere veluti sponsa.* Ipse Sponsus qui amat est. Amatur vicissim Sponsa: *recipit enim ipsa amorem ut ea amet in vicem.*

Genesis locus, ad lumen retractatus sponsalis signi apud *Epistulam ad Ephesios,* veritatem intueri nos sinit quae decernere vere essentialiter videtur quaestionem mulieris dignitatis proindeque etiam ipsius vocationis : *mulieris dignitas ordine amoris aestimatur,* qui suapte natura ordo est iustitiae et caritatis.[58]

Persona sola diligere valet valetque diligi sola persona. Quae in primis adfirmatio indolis est ontologicae, unde adseveratio ethicae proficiscitur naturae. Necessitas enim tum ontologica est tum personae humanae ethica. Diligenda persona est quoniam solum congruit dilectio cum eo ipso quod persona est. Sic profecto explicatur *amoris mandatum,* iam in Vetere Testamento notum (cf. *Dt* 6, 5; *Lv* 19, 18) atque a Christo in medio ipso collocatum «ethos» evangelico (cf. *Mt* 22, 36-40; *Mc* 12,

[58] Cf. S. AUGUSTINUS, *De Trinitate,* L. VIII, VII, 10 - X, 14: *CCL* 50, 284-291.

28-34). Ita pariter *primatus amoris* explanatur ille qui verbis Pauli enuntiatur in Epistula ad Corinthios : « maior autem ex his est caritas » (cf. *1 Cor* 13, 13).

Nisi vero hunc decurri tur ad ordinem huncque ad primatum, nulla reddi potest perfecta neque accommodata responsio quaestioni ipsi de mulieris dignitate eiusque vocatione. Cum enim mulierem esse autumamus quae amorem percipiat ut et ipsa possit vicissim amare, non unum sane aut potissimum cogitamus proprium coniugii vinculum necessitudinis sponsale. Aliquid multo concipimus universalius, in eo scilicet fundatum ipso, quod quis mulier est, una cum contextu necessitudinum inter personas, quae variis quidem maxime modis conformare possunt convictum sociamque operam inter homines — viros ac mulieres. Qua in re rerumque prospectu amplo et variato *mulier iam peculiare bonum est veluti persona humana* eodemque tempore uti certa quaedam persona *ob ipsum suum femininum sexum.* Omnes hoc respicit mulieres et illarum unamquamque, quaecumque adiuncta culturalia sunt in quibus singulae mulieres vivunt, quaecumque item earum sunt proprietates spiritus et animi et corporis, quales scilicet sunt aetas et institutio, salus et opus, nuptam esse aut innuptam.

Locus *Epistulae ad Ephesios,* quem hic expendimus, patitur ut genus quoddam cogitemus peculiaris « prophetismi » ipsius mulieris in sexu femineo eius. Sponsi comparatio et Sponsae de amore tractat, quo quisque a Deo in Christo diligitur, vir nempe omnis omnisque pariter mulier. In contexta tamen oratione ipsius similitudinis biblicae ac secundum interiorem quandam consequentiam loci, mulier demum ipsa est quae omnibus hanc patefacit veritatem: nempe sponsam. *Proprietas autem haec « prophetica » mulieris ipsius suo in femineo sexu* celsissimam attingit in Virgine Dei Matre testificationem. De ea quidem adfirmatur et inculcatur, modo sane pienissimo ac rectissimo, coniunctio intima ordinis amoris

— qui orbem hominum ingreditur per Mulierem quandam — cum Sancto Spiritu. Audit namque in Annuntiatione Maria: « Spiritus Sanctus superveniet in te » *(Lc* 1, 35).

OFFICII CONSCIENTIA

30. Mulieris consociatur arcte dignitas cum illo amore quem suum ob femininum recipit sexum simulque cum amore quem largitur ipsa vicissim. Veritas sic corroboratur de persona humana deque amore. Ad personae vero veritatem quod spectat, iterum ad Concilii Vaticani II recurrendum est magisterium: homo « sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, plene seipsum invenire non potest nisi per sincerum sui ipsius donum ».[59] Id ad omnem attinet hominem tamquam personam ad Dei ipsius effectam imaginem, nihilo virum minus quam mulierem. Significatio vero ontologicae indolis, quae hic reperitur, rationem indicat simul ethicam vocationis ipsius hominis. *Mulier se ipsa invenire nequit nisi aliis amorem donando.*

Inde iam a « principio » mulier — similiter ac vir — a Deo condita est ac « posita » hoc in ordine amoris. Peccatum tamen originum hunc haud exstinxit ordinem neque eum irrepetibili modo expunxit. Hoc verba biblica comprobant ipsius Protoevangelii (cf. *Gn* 3, 15). Hisce in deliberationibus iam notavimus *locum « muieris » peculiarem* praecipuo in hoc Revelationis loco. Praeterea inculcandum pariter est ipsam mulierem, quae eo etiam pervenit ut biblicum evadat exemplum, in prospectu etiam eschatologico mundi reperiri ac hominis, in *Libro Apocalypsis* significato.[60] Est namque *« mulier amicta sole »* et luna sub pedibus eius, et super caput eius corona stellarum duodecim (cf. *Apc* 12, 1). Dici quidem

[59] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 24.

[60] Cf. Ad opera Sancti Ambrosii appendix, *In Apoc.* IV, 3-4: *PL* 17, 876; Ps. AUGUSTINUS, *De symö. ad catech. sermo* IV: *PL* 40, 661.

licet: mulier est instar totius rerum universitatis, instar omnium creationis operum. Eodem autem tempore « in dolore parit filios » *(Apc 12, 2)* haud secus atque Eva « mater ... cunctorum viventium » *(Gn* 3, 20). Patitur etiam quia « ante mulierem, quae (est) paritura » (cf. *Apc 12,* 4) consistit « draco ille magnus, serpens antiquus » *(Apc 12,* 9) iam in Protoevangelio agnitus: Malignus «pater mendacii » et peccati (cf. *Io* 8, 44). Ecce « serpens antiquus » adstitit cupiens ut « filium eius devoraret». Si hoc in loco dispicimus veluti relatam imaginem evangelii infantiae (cf. *Lc* 2, 13. 16), videre etiam licet in exemplo « mulieris » biblico describi ab initio iam ad finem usque historiae certationem cum malo necnon Maligno. Quae etiam *decertatio est pro homine, pro ipsius vero bono, ipsius pro salute.* Nonne ideo docere nos volunt Biblia sacra in « muliere » ipsa, Eva-Maria, hominum historiam detegere permagnum et drammaticum de omni homine certamen? pugnam super eius fundamentali « sic » aut « non » Deo reddito eiusque aeterno de homine consilio?

Si vero mulieris dignitas amorem testatur, quem recipit ipsa ut ipsa redamare valeat, biblicum « mulieris » paradigma simul recludere videtur *quae sit aequa ratio amoris quae vocationem constituat ipsius mulieris.* De vocatione autem sermo hic est primaria in ipsius significatione, universali — dici potest — quae veluti cóncorporatur deinde et declaratur multiplicibus <(vocationibus » eiusdem mulieris in mundo atque Ecclesia.

Vis mulieris moralis illiusque spiritalis virtus cohaeret cum conscientia huius rei : *ei Deum singulariter virum commendare,* ipsum hominem. Sane quidem quemque hominem Deus reliquis omnibus committit et singulis. Verumtamen specialiter haec respicit commentatio mulierem — omnino femineum ob ipsius sexum — ac proinde vocationem illius praecipue statuit.

Hinc porro ex hac conscientia eommendationeque procedens vis mulieris moralis in compluribus aperitur femininis Veteris Testamenti figuris, dein a Christi temporibus atque subsequentium aetatum ad nostros usque dies.

Conscia sibi illius commendationis fortis fit femina, atque ex eo similiter quod « virum ipsi concredit » Deus semper et ubique vel in condicionibus socialis exclusionis in quibus fortassis versari illa potest. Eadem proinde conscientia haecque vocatio primaria mulierem instituunt de dignitate quam a Deo recipit ipso; id quod eam «fortem» reddit eiusque confirmat vocationem. Sic enim « mulier fortis » (cf. *Prv* 31, 10) pernecessarium evadit sustentaculum reliquis roborisque origo spiritalis, qui animi eius copiosas percipiunt vires. His demum « mulieribus perfectis » plurimum earum familiae debent ac nonnumquam nationes integrae.

Nostra vero aetate scientiarum technicaeque artis progressus homines sinunt prosperitatem adhuc ignoratam consequi quae, aliis licet faveat, alios simul a societate amovet. Qui quidem ex una dumtaxat parte progressus efficere simul potest ut paulatim *tenerior erga hominem adfectus evanescat, in id nempe quod suapte natura est humanum.* Hac in re *exspectat* hoc praesertim tempus nostrum *declarationem* illius « ingenii » mulieris quod in tuto semper collocet adiectionem pro homine quibuslibet in adiunctis : idcirco plane quod est homo ! Et quoniam «maior ... est caritas » *(1 Cor* 13, 13).

Diligens igitur exempli biblici perscrutatio « mulieris » — a *Genesis Libro* ad *Apocalypsim* — commonstrat quibus tandem rebus dignitas mulieris vocatioque consistant, ac simul profecto ostendit id quod in illis mutari iam non potest neque perennem suam umquam amittit praestantiam, quandoquidem ea « fundamentum suum ultimum in Christo habent, qui est heri, hodie, Ipse et in saecula ».[61] Vir enim si a Deo mulieri singulariter

[61] Co.\c. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 10.

concreditur, nonne hinc forte significat *Christum ab ea exspectare perfunctionem illius « regalis sacerdotii » (1 P e* 2, 9), quod thesaurus est hominibus ab eo traditus? Quam quidem hereditatem ipsam Christus, summus unicusque novi atque aeterni Foederis sacerdos et Ecclesiae Sponsus, subicere haud intermittit Patri per Spiritum Sanctum « ut sit Deus omnia in omnibus » *(1 Cor* 15, 28).[62]

Tum igitur ultimam suam perfectionem consequetur illa veritas : « maior autem ex his est caritas » *(i Cor* 13, 13).

IX

CONCLUSIO

« Si SCIRES DONUM DEI »

31. Explicans unam quandam collocutionum suarum mirabilium dicit Iesus mulieri Samaritanae: « si scires donum Dei » *(Io* 4, 10); quae quidem fabulationes comprobant quanti Christus dignitatem aestimet cuiusque mulieris quantique eius etiam vocationem faciat, quae nempe patitur ut partes ipsa expleat in illius munere opereque uti Messiae.

Hae considerationes, quae nunc demum conclusae sunt, id spectant, ut in « dono Dei » illud cognoscatur, quod ipse, Creator et Redemptor, mulieri concredit, cuilibet mulieri. Etenim in Christi Spiritu ea detegere potest totam suae femininae naturae significationem sicque se componere ad « sincerum donum sui » ceteris dandum et ita ad « se ipsam inveniendam ».

Anno Mariali *vult Ecclesia Sanctissimae Trinitati* gratias agere ob « mulieris mysterium » et ob omnem mulierem — propter id, quod eius femininae dignitatis aeternam efficit rationem, propter « magnalia Dei », quae in humanarum aetatum historia in ea et per eam facta sunt. In summa, nonne in ea

[62] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 36.

et per eam illud factum est, quod in hominis historia super terra maximum est — eventum nempe, unde Deus ipse factus est homo?

Ecclesia igitur *gratias persolvit ob omnes mulieres et ob unamquamque mulierem:* ob matres, sorores, uxores, ob mulieres Deo in virginitate consecratas; ob mulieres tam multis hominibus deditas, qui alterius personae gratuitum exspectant amorem; ob mulieres quae in familia humanam custodiunt personam, communitatis humanae fundamentali signo; ob mulieres quae professiones exercent, mulieres in quas saepe recidit societatis onus; ob mulieres « *perfectas* » obque mulieres « frágiles » — ob omnes : — quales ex Dei corde ortae sunt, in tota pulchritudine et magnitudine suae muliebris naturae; quales aeterno eius circumdatae sunt amore; quales, cum viris, sunt in terra viatrices, quae quidem hoc in tempore « patria » est hominum et mutatur interdum in « vallem lacrimarum »; quales sunt cum *in se transferunt,* una cum viris, *communem causam sortis humani generis,* pro cotidianis necessitatibus proque ultimis iis destinationibus, quas humana familia habet in Deo ipso, in inenarrabilis Trinitatis sinu.

Ecclesia gratias agit *propter omnes « ingenii » muliebris manifestationes* quae historiae cursu apparuerunt in omnibus populis et Nationibus; gratias agit propter charismata omnia quae Spiritus Sanctus mulieribus largitur per Dei Populi historiam, propter omnes victorias, quas ipsa earum fidei, spei et caritati debet : gratias agit propter omnes *fructus femininae sanctitatis.*

Ecclesia simul postulat ut inaestimabiles hae « Spiritus manifestationes» (cf. *1 Cor* 12, 4 sq.) quae magna cumliberalitate aeternae Ierusalem « filiabus » tributae sunt, attente agnoscantur, ostententur, « ut in communem cedant utilitatem » Ecclesiae et humano generi, nostris praesertim temporibus. Dum biblicum « mulieris » meditatur mysterium, Ecclesia deprecatur ut omnes mulieres se suamque « supremam vocationem » in hoc inveniant mysterio.

Maria, quae totam Ecclesiam praecessit in ordine fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis,[63] *hunc quoque fructum* nobis omnibus impetret, eo vertente anno, quem eidem dicavimus, tertio iamiam inituro a Christi adventu mille annorum spatio.

Quae omnia vehementer Nos exoptantes fidelibus cunctis, praecipue vero mulieribus in Christo sororibus, Apostolicam Nostram dilargimur Benedictionem.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die, xv mensis Augusti, sollemnitate Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae, anno **MCMLXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ARGENTORATENSIS

Dioecesis Argentoratensi» ad gradum archidioecesis evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Antiquissima ipsa honoratissimaque communitas ecclesialis Argentoratensis iam ab aetatis christianae saeculo quarto crescit ac vivit una cum eiusdem nominis civitate quae quot subierit progrediente tempore qualesque casus et historiae eventus nemo profecto qui ignoret reperietur. Cuius Ecclesiam insuper constat sive Christifidelium, sacerdotum, religiosorum ac religiosarum numero sive catholicis Institutis, religiosa incrementa ita feliciter constanterque coepisse ut ea inter praecipuas ecclesiales habeatur Galliae Sedes. Huc accedit ut nuperius maximo quidem cum honore et decore eadem urbs Argentoratum communi de nationum complurium consensu opportuna effecta sit sedes quorundam institutorum aliquibus Europae populis deservientium. Has

" Cf. *ibid.,* 63.

igitur ob rationes, consentaneum usquequaque videtur ipsam illius Ecclesiae dignitatem canonicam ac publicam inter communitates Galliae pro statu eius nomineque augeri, ad maiorem videlicet inibi degentium Christifidelium observantiam necnon rerum ecclesiasticarum reverentiam iam denique numerari eandem dioecesim inter Ecclesiae universalis archidioeceses. Suscepta igitur propensa omnino sententia Nuntii Apostolici in Re Publica Galliae, tum etiam habitis rationibus ad civiles effectus quod spectat cum eiusdem Rei Publicae gubernio, pro apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine commemoratam superius Ecclesiam dioecesanam *Argentoratensem* Nobis directo subiectam ad gradum archidioecesis legitime evehimus, demptis tamen suffraganeis ullis ei dioecesibus. Pari porro voluntate et auctoritate Venerabilem Fratrem Carolum A. Brand, Praesulem pro tempore Argentoratensem, iam ipsum adhuc illo titulo in persona sua perfruentem, dignitate archiepiscopali privilegiisque cunctis eodem spectantibus in perpetuum cumulamus, facto praerogativarum exercitio, quae, vi articulorum quarti et quinti Concordati die quinto decimo mensis Iulii, anno MDCCCI initi pro regionibus Alsatiana et Lotharingica adhuc vigentis, ad Supremum Rei Publicae Galliae Moderatorem pertinent. Praeterea Canonicorum Collegium eiusdem ecclesiasticae dicionis gradum tollimus ad archiepiscopalem, universis additis iuribus ac privilegiis propriis. Quae omnia ut plenum in actum deducantur, Apostolicum Nuntium in Gallia députantes necessariis instruimus opportunisque facultatibus, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere simul imposito ad Congregationem pro Episcopis cum primum fieri potuerit, verum actus exemplar ipsius peractae exsecutionis transmittendi. Futurum denique Nos confisi ut par haec civili ipsius splendori ecclesialis condicio archidioecesis Argentoratensis plurimum rationibus salutis hominum causisque Ecclesiae Catholicae proficiat, mandamus ut singula hic praestituta suam in posterum tempus vim habeant prorsusque exserant quibuslibet haudquaquam obstantibus rebus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

Laurus Governatori, *Proton. Apost.*
Raphaël Varca, *Proton. Apost. s. n.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 219.939.

II

GIRARDOTANENSIS

Nonnullis disiunctis territoriis a sedibus Medellensi, Sonsonensi Rivi Nigri et Barrancabermeiensi nova conditur dioecesis quae Girardotanensis appellatur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui peculiari Dei consilio universae christianorum familiae praesumus, id usque agere annitimur quod religionem et fidelium spiritale bonum latius profert, commodius disponit et firmius reddit. Idcirco cum Venerabilis Prater Noster Alfonsus S. R. E. Cardinalis López Trujillo, Archiepiscopus Medellensis, idem quidem sentientibus Venerabilibus Episcopis qui ad praesens Dioeceses administrant Sonsonensem Rivi Nigri et Barrancabermeiensem, audita quoque Conferentia Episcoporum Columbianorum, plurima prece ab hac Apostolica Sede efflagitaverit ut, earundem dioecesium quas supra memoravimus divisis latis territoriis, nova ecclesiastica constitueretur circumscriptio, admotis postulatis concedendum esse arbitramur. Itaque exstante favorabili voto Venerabilis Fratris Angeli Acerbi, Archiepiscopi titulo Zellensis, in Columbiae republica Apostolici Nuntii, ex sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium pro Publicis Ecclesiae negotiis praepositorum Apostolicae potestatis usi plenitudine, suppleto eorum quorum interest consensu quive sua interesse existimant, haec quae sequuntur statuimus ac iubemus. Ab archidioecesi Medellensi territoria separamus quae sic vocitata comprehendunt municipia : Girardota, Barbosa, Santo Domingo, Concepción, Alejandría, San Roque, Caracoli, Maceo, Yolombó et Cisneros ; a dioecesi Sonsonensi Rivi Nigri paroeciam horum nominum : La Inmaculada Concepción, en Concepción et San Pedro Alejandrino en Alejandría; a dioecesi Barrancabermeiensi paroeciam quam vocant Nuestra Señora del Carmen, en Virginias; ex quibus distractis territoriis novam condimus dioecesim Girardotanensem appellandam, iisdem conclusam finibus quibus praedicta municipia et paroeciae ad praesens terminantur. Novae scilicet constitutae dioecesis hi erunt fines : ad septentrionem dioecesis Sanctae Rosae de Osos ; ad orientem dioecesis Barrancabermeiensis ; ad meridiem dioecesis Sonsonensis Rivi Nigri ; ad occasum demum archidioecesis Medellensis. Novae Ecclesiae sedem in urbe Girardota collocamus, templumque ibique situm pa-

roeciale, **B.** M. V. ((Nuestra Señora del Rosario)) dicatum ad honorem ac dignitatem evehimus Ecclesiae cathedralis. Nuper conditam dioecesim metropolitanae sedi Medellensi suifraganeam reddimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi illius sedis pro tempore subicimus. Consultores quam primum deligantur dioecesani ad iuris normam, qui ipsi episcopo assint consilio et opera. Convenienti Praesulis novae dioecesis sustentationi providebunt Curiae emolumenta, fidelium stipes, dos regiminis reipublicae, et portio obveniens ex divisione, ad normam can. 122 C. **I.** C, facienda bonorum quae hucusque ad Mensas episcopales (quas indigenae Mitras appellant) dictarum dioecesium spectarunt. Ad sacrorum alumnorum institutionem quod attinet, serventur praescripta iuris communis, ob oculos habitis normis et regulis a Congregatione pro Institutione Catholica statis. Selecti seminariorum alumni necnon sacerdotes in ecclesiasticis disciplinis imbuendi excolendive ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum mittantur. Quod autem ad novae dioecesis regimen pertinet, bonorum ecclesiasticorum administrationem, administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura aliaque horum similia, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Simul atque novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio officium ecclesiasticum habent; ceteri vero sacerdotes, clerici seminariique tirones illi dioecesi in cuius territorio legitimum detinent domicilium. Documenta autem et acta conditae dioecesis respicientia res, ad eiusdem Curiam episcopalem mittantur ibique in tabulario rerum religiosarum custodiantur. Ad ea tandem explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem Angelum Acerbi legamus, factis videlicet facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re denique ad exitum perducta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis sedulo mittantur. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

© **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 221.676.

III

CALDENSIS

In Columbia nova conditur dioecesis Caldensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Omnium Ecclesiarum sollicitudine urgemur ut totius Dominici gregis spirituali bono atque regimini sedula navitate consulamus. Ob eam causam, cum Venerabilis Frater Noster Alfonsus S. R. E. Cardinalis López Trujillo, Archiepiscopus Metropolita Medellensis, Conferentia Episcoporum Columbiae audita, ab hac Apostolica Sede postulavisset ut a circumscriptione ecclesiastica sua quibusdam distractis locis nova constitueretur dioecesis, Nos, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Angelo Acerbi, Archiepiscopo titulo Zellensi, in eadem Natione Apostolico Nuntio, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio pro Publicis Ecclesiae negotiis praepositorum, admotae postulationi libentes concedendum esse censuimus. De plenitudine igitur Apostolicae Nostrae potestatis, consensu suppleto eorum, quorum interest, vel qui sua interesse putant, quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Medellensi separamus integrum territorium, prout praesens civili lege circumscribitur, municipiorum vernáculo sermone nuncupatorum : Amaga, Angelopolis, Armenia, Caldas, Fredonia, Heliconia, Montebello, Santa Barbara, Titiribí et Venecia, atque simul territorium paroeciae cui nomen Santa Isabel, de la Tablaza; atque ex ita distractis locis novam condimus dioecesim Caldensem appellandam, iisdem circumscriptam finibus quibus praedicta municipia et memorata paroecia praesens terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe ((Caldas » nuncupata ponimus, templumque paroeciale ibi exstans, Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis titulo « Nuestra Señora de las Mercedes » invocatae, ad gradum et dignitatem cathedralis Ecclesiae evehimus eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quae ceterarum in catholico orbe cathedralium Ecclesiarum sunt. Praeterea dioecesim Caldensem suffraganeam facimus archidioecesis Medellensis eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Medellensis subicimus, iisdem iuribus, privilegiis, honoribus insignitum, pariterque vero officiis, atque oneribus et obligationibus adstrictum, qua« Episcoporum residentium propria sunt, mandantes quoque ut quam primum ibi Consultorum Collegium,

ad communis iuris normas, constituatur, qui Episcopo, consilio et opera, valido sint auxilio. Quod attinet ad congruam sustentationem Praesulis novae dioecesis, provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus necnon portione bonorum, quae ad mentem can. 122 C. I. C. a mensa archiepiscopali Medellensi ei obvenire debent. In iis vero quae respiciunt ad seminarii dioecesani aedificationem atque ad sacrorum alumnorum institutionem, iuris communis praescripta serventur, ratione sane habita normarum a Congregatione pro Institutione Catholica editarum. Provideatur insuper ut selecti alumni seminarii, philosophicis ac theologicis imbuendi disciplinis, necnon sacerdotes quibus altiora studia complenda fuerint, Romam ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum mittantur. Quod autem attinet ad novae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani Administratoris, vacante sede, electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, ad amussim serventur quae sacri canones praescribunt. Atque simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium; ceteri quidem sacerdotes, clerici seminariique tirones maneant incardinati vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae respiciunt ad noviter erectam dioecesim eiusque fideles et bona temporalia, a Curia Medellensi ad Curiam Caldensem de more transmittantur, in condendo tabulario servanda. Haec, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Angelo Acerbi, quem diximus, vel, absente eodem, illi qui negotia curat Apostolicae Sedis in Columbia, eisdem necessarias et opportunas tribuentes facultates quemlibet alium delegandi virum, ad effectum de quo agitur, modo is sit in ecclesiastica dignitate constitutus, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis sincerum actus peractae exsecutionis exemplar mittendi. Hanc Constitutionem Nostram nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

83 **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

SB **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Raphaël Varca, *Proton. Apost. s. n.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 221.73.

IV

APARTADOENSIS

In Columbia nova conditur dioecesis Apartadoënsis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo aptius provideretur spirituali bono Christifidelium degentium in civilibus Reipublicae Columbianae regionibus quibus nomine ((Urabá antioqueno », intra fines dioecesis Antioquiensis, et « Urabá chocoano », intra fines Vicariatus Apostolici Quibduani, Venerabiles Fratres Eladius Acosta Arteaga, Episcopus Antioquiensis, et Georgius I. Castaño Rubio, Episcopus titulo Edistianensis atque Vicarius Apostolicus Quibduanus, Conferentia Episcoporum Columbiae audita, ab hac Apostolica Sede enixe postulaverunt ut a circumscriptionibus ecclesiasticis suis peramplis distractis territoriis nova quidem constitueretur dioecesis. Nos igitur scientes probe eiusmodi optato assentiri quoque Venerabilem Fratrem Angelum Acerbi, Archiepiscopum titulo Zellensem, in eadem Natione Apostolicum Nuntium, sententia audita Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio pro Publicis Ecclesiae negotiis praepositorum, admotae postulationi concedendum esse putavimus. Summa ergo Apostolica Nostra potestate, consensu suppleto eorum, quorum interest, vel qui sua interesse putant, quae sequuntur decernimus. A dioecesi Antioquiensi separamus territorium civilis regionis « Urabá antioqueno », a Vicariatu autem Quibduano territorium civilis regionis ((Urabá chocoani », atque ex ita distractis territoriis novam condimus dioecesim Apartadoënsem appellandam, iisdem circumscriptam finibus quibus memoratae regiones terminantur. Huius novae dioecesis sedem in urbe « Apartado » statuimus ibique exstans paroeciale templum Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis titulo ((Nuestra Señora del Carmen » invocatae ad gradum ac dignitatem cathedralis Ecclesiae evehimus eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus ceterae in orbe catholico cathedrales Ecclesiae fruuntur. Dioecesim Apartadoënsem suffraganeam facimus archidioecesis Sanctae Fidei de Antioquia, quam hoc ipso die constituimus, eiusque pro tempore Praesulem metropolitico iuri Archiepiscopi Sanctae Fidei de Antioquia subicimus, iisdem iuribus, privilegiis honoribusque insignitum atque oneribus obligationibusque adstrictum, quae Episcoporum residentium propria sunt, cui vero ut validum praebeatur auxilium, quam primum ibidem iubemus constitui, ad nor-

mam iuris, Consultorum Collegium. Quod attinet ad congruam sustentationem Episcopi novae dioecesis, provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus, dote a civili suppeditanda Potestate portioneque bonorum, quae ad normam can. 122 C. I. C. ei debent obvenire quaeque hactenus ad memoratas ecclesiasticas circumscriptiones pertinuerunt. In iis autem quae respiciunt ad seminarii dioecesani aedificationem adque sacrorum alumnorum institutionem serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis ac regulis a Congregatione pro Institutione Catholica statutis. Provideatur insuper ut selecti seminarii alumni, philosophicis ac theologicis imbuendi disciplinis, necnon sacerdotes sua studia completuri, Romam, ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum mittantur. Quod quidem attinet ad regimen dioecesis, administrationem bonorum ecclesiasticorum, dioecesani administratoris, sede vacante, electionem, fideliumque iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Atque simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium ; ceteri vero sacerdotes, clerici seminariique tirones maneant incardinati vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta, quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque fideles bonaque temporalia respiciunt, a Curiis memoratarum circumscriptionum ad Curiam Apartadoënsem transmittantur rite, in condendo tabulario servanda. Haec, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Angelo Acerbi, quem diximus, necessarias et opportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram per Apostolicas sub plumbo Litteras datam sive nunc sive in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimi mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

83 **AUGUSTINUS** Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

83 **BERNARDINUS** Card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Proton. Apost.***
Raphaël Varca, ***Proton. Apost. s. n.***

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 221.812.

V

RIVIASCIANENSIS

Vicariatus Apostolicus Riohachaënsis evehitur ad gradum dioecesis, quae Riviascianensis vocabitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Intuitu autem Beatificationis, Actores Causae sanationem quandam intercessioni Ven. Servi Dei attributam Sedi Apostolicae praebuerunt; de qua sanatione debita testimonia annis 1954-1955 in Apostolico processu Ruremondensi collecta sunt. Cuius Processus validitas Decreto diei 13 Iunii a. 1986 agnita est.

Agitur de mirifica sanatione dominae. Octaviae Verheggen uxoris domini Spaetgens, tunc annorum septuaginta duorum.

Quae mulier, anno 1951, in peregrinationem ad sanctuarium Lapurdiense profecta ibique manens, colica hepática calculosa repente affecta est, doloribus atrocibus et vomitionum conatibus comitantibus. Die 25 Augusti a. 1951 in nosocomio S. Annadal loci *Maastricht* recepta est et sequenti die chirurgicam operationem subiit cystifelleae auferendae causa. Variae inde complicationes exortae, die 29 Octobris potuit tandem e nosocomio discedere. Altera mensis Decembris parte, novae supervenerunt complicationes cum febri, abdominis tumefactione et excruciatibus sub costis laeva parte positis. Die 21 Decembris rursus nosocomium ingressa est, ibique nova radiographia effecta, in laeva parte abdominis tumorationem detecta est. Periti in arte medica rati nullam esse possibilitatem pro aegrota novam chirurgicam operationem subeundi, eam ut domum rediret consenserunt. Hoc evenit die 19 Ianuarii a. 1952, infausta prognosi edita quoad vitam. Re in peius vertente, domina Octavia magna cum fiducia Venerabilem Carolum a S. Andrea apud Deum intercessorem supplicavit ; ipsum enim noverat, cum aliquot ante annis eius domum visitasset. Illico, nempe a die 22 eiusdem mensis Ianuarii melius se habuit : vomitiones recesserant et appetentia ciborum redierat. Brevi pristinam sanitatem recuperavi t et in posterum viginti duos annos vixit.

Servatis de iure servandis, de supradicta sanatione disceptatio habita est, die 14 Octobris a. 1987 in Coetu Sodalium Consultae Medicae Congregationis pro Causis Sanctorum, qui unanimiter modum sanationis pro praesentibus scientiae medicae cognitionibus inexplicabilem declaraverunt.

Theologica disceptatio locum habuit primo in Peculiari Congressu Consultorum Theologorum, die 19 Februarii a. 1988, praeside Rev.mo Domino Antonio Petti, Generali Fidei Promotore; postea, die 17 Maii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi. Dubio proposito num constaret de miraculo in casu et ad effectum de

quo agitur, in utraque disceptatione, Consultorum scilicet et Cardinalium, affirmativum est datum responsum.

Quibus de rebus omnibus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, suffragia Congregationis excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione Decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, hodierna die accitis ad Se Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Caroli a S. Andrea (in saec. : Ioannis Andreae Houben), sacerdotis professi Congregationis Passionis Iesu Christi, tributo, scilicet de rapida, perfecta stabilique sanatione dominae Octaviae Verheggen Spaetgens ab abscessu in regione hypochondriaca sinistra cum subocclusiva condicione gravique status generalis praeiudicio.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, Calendis Septembribus, A. D. 1988.

ANGELUS Card. **FELICI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

MONASTERIEN.

Canonizationis Servae Dei Mariae Euthymiae Üffing, Sororis professae Congregationis V. D. «Clemensschwestern» (1914-1955).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Qui altum conspiciens montem, ad culmen pervenire non vult ubi scit esse thesaurum, ne unum quidem gradum facit ut ad illum subeat, et sub monte neglegens ac desidiosus consistet. Item, qui perfectionis thesaurum consequi non cupit, quod nimius ei labor videa-

tur ad illum nanciscendum, deses in sua neglegentia manebit nec umquam pedem promovebit in Dei via » (S. Alfonsus M. de' Liguori, *Opere Ascetiche,* vol. XIV, Eoma 1935, p. 83).

Hoc profecto Servae Dei Mariae Euthymiae Üffing non contigit, quae a pueritia, animo cum humili et firmo, sanctum perfectionis montem coepit ascendere, et Christi imitationem perseverando, feliciter est assecuta propositum.

In pago *Halverde,* intra dioecesis Monasteriensis fines, orta est die 8 mensis Aprilis anno 1914, ab Hermanno Augusto Üffing et Maria Teresia Schmit, eodemque die in fonte baptismatis est renata eique nomen est inditum Emma. Ex familia religiosissima Deum cognoscere eiusque obtemperare voluntati ac paupertatem et incommoda magni facere didicit. Indole mitis et remissa, concorditer cum omnibus vixit. Parentibus obsequens erat et libenter proximum adiuvabat in operibus praesertim domesticis et agrestibus.

Die 27 mensis Aprilis anno 1924 primum ad eucharisticam mensam accessit et insequenti mense Septembri sacramentum accepit Confirmationis. Ludis elementariis peractis, studiosius in christianam suam formationem incubuit, assidua librorum res spiritales tractantium usa lectione.

Maxima cum laetitia die 23 mensis Iulii, anno 1924, Domum principem, Monasterii sitam, est ingressa Sororum Caritatis, quae lingua Germanica vulgo *Clemensschwestern* vocantur, ut vocationem sequeretur, qua iamdiu se vocari sentiebat. Nomen cepit Sororem Mariam Euthymiam. Postulandatu et Novitiatu perfectis, die 11 mensis Octobris anno 1936 professionem simplicem fecit et, die 15 mensis Septembris anno 1940, professionem perpetuam. Vitam suam consecratam egit primum in valetudinario Sancti Vincentii in oppido *Dinslaken,* ubi munere iuncta est aegrorum ministrae (annis 1936-1954), deinde est lavatorio praeposita (annis 1945-1948) : idem servans munus est porro ad Domum principem suae Congregationis missa, ubi mansit annis 1948-1955.

Ut patet, Servae Dei non sunt officia delegata peculiaris decoris, nec ea opera fecit conspicua, talia videlicet, unde mundi admiratione et laudibus afficeretur. Etenim Soror Maria Euthymia perfectam se ipsam fecit silentio, occultatione et diligenti cotidianorum munium exsecutione, quae spiritu explebat supernaturali, quoniam per omnia Dei voluntatem manifestam videbat. Fides vitae eius constans fuit regula. Omnia lumine fidei contuebatur, omnia iudicabat, omnia sta-

tuebat et diligebat. Quam ob rem semper impulsa est sana christiana ratione ad meliora omnia referente ; quae non neglectio erat doloris, verum opinio misericordis Domini bonitatis erga homines. Quae nec corporis natura eminebat nec magna intellegentia, vim singularem hauriebat ex fide, haecque notos in admirationem coniciebat. Quodlibet namque officium accipiebat et in Dei honorem et gloriam exsequebatur. Etsi studia superiora non exercuerat, non mediocrem tamen culturam religiosam sibi comparavit, praesertim asceticam, ut suam augeret fidem. Quam fidem exprimebat et alebat constanti cum Deo coniunctione et deprecatione, sive communi sive privata. Non solum laborabat precans, sed, quamvis ingenti laboris magnitudine fere premeretur, tempus habebat verbi Dei meditationi et Eucharistiae adorationi. Virginem Mariam peculiari pietate colebat, quam Filii passioni coniunctam potius contemplabatur. Scripsit : « O Maria, Mater mea, fac vita mea tota Dei sit. Fac perpetiar sine lamentis patiensque sim, tibi iuncta ... Si vis in perfectione progressus facere et in bono solidari, adhaeresce Mariae. Te beatam, si Iesum sequens in Via Crucis, sicut Maria divinum Filium suum est secuta. Te beatam, si tecum Maria erit in hac via. In Iesu robur invenies, in Maria consolationem ».

Propter Dei amorem diligenter quodlibet peccati genus vitabat et aequo animo viam confidebat incommodorum occultorum, patientis laboris, contumeliarum, quas mira cum fortitudine ferebat. Amabiliter et simpliciter voluit omnium serva esse, praecipue vero aegrorum et Sororum sodalium: pro quorum quarumque bono spiritali et corporeo diu noctuque se dedebat, nihil petens pro se. Huius rei documenta dedit altero saeviente bello mundano, cum, ut captivis assideret in valetudinario Sancti Vincentii receptis, non pauca dura est passa nec pauca obiit pericula. Et quamquam hi aegrotantes sermonem non intellegant Servae Dei, quia diversarum gentium erant, perfecte tamen intellegebant eius caritatis studiosae et amabilis sermonem. Ita, se ipsam abnegans, proximo dolenti servivit, in quo Christi imaginem videbat, et laeto animo evangelii doctrinam explicavit. « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdit eam, et, qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam » *(Io* 12, 24-25).

Res terrenas aversata, solacium cordis inveniebat in contemplatione et in inquisitione bonorum caelestium. Vitam aeternam respiciens, tranquille gaudia et dolores accepit et plene absoluteque suis

superioribus oboedivit. Voluntas sane divinae gratiae respondendi et operam navandi animarum saluti tam fortis erat et firma, ut nihil nimis grave et arduum putaret.

Mense Martio anno 1954 eius valetudo deficere coepit : qua re est in valetudinariis Sancti Raphael deducta, ubi est ei carcinoma secutm. Conscia sibi gravitatis morbi, non solum quieta mansit, verum etiam animum iis addebat, qui alternis vicibus ei assidebant, imprimis matri ceterisque propinquis. Dei voluntati obsequens. Ultimum vitae tempus egit magnis excruciata doloribus, quos laeta toleravit, cum propter eos magis ad caelestem Sponsum conformaretur, quem in Paradiso assequi exoptabat. Solacio ei fuerunt precatio continua, Communio cotidiana et, demum, sacramentum Unctionis infirmorum. E vita pie decessit die 9 mensis Septembris, mane, anno 1955.

Sanctitatis fama, quam viva sibi pepererat apud notos, post eius mortem aucta est, cum eidem notabilis adderetur fama signorum. Episcopus Monasteriensis ideo non est moratus canonizationis causam inire. Annis 1955-1961 celebratus est Processus Ordinarius, quem secutus est, apud eandem Curiam episcopalem, Processus Cognitionalis (annis 1976-1977) ad normam M. P. *Sanctitas Clarior.* Editis Decretis de vi et auctoritate horum Processuum (die 14 mensis Decembris anno 1981) et super non cultu (die 29 mensis Ianuarii anno 1982), apparata est *Positio super virtutibus.*

Quibus omnibus rite peractis, ventum est ad disceptationem super heroicis Servae Dei virtutibus. Quod factum est in suetis coetibus, videlicet primum, die 12 Ianuarii, anno hoc 1988, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 26 mensis Aprilis eodem anno, ponente Em.mo ac Rev.mo Domino Mario A. Ciappi, in Congregatione Patrum Cardinalium et Episcoporum. Posito autem, in utraque congressione, dubio : *An constet de virtutibus heroicis, in casu et ad effectum de quo agitur,* affirmativum est datum ab omnibus responsum.

De hisce rebus rite certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei Mariae Euthymiae Üffing virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide,*

Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Euthymiae Üffing, in casu et ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, Calendis Septembribus, A. D. 1988.

ANGELUS Card. **FELICI,** *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VI

PHILADELPHIEN.

Canonizationis Ven. Servae Dei Catharinae Mariae Drexel, Fundatricis Sororum a Ss.mo Sacramento pro Indis et colorata gente.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Heroicas virtutes exercuisse Venerabilem Servam Dei Catharinam Mariam Drexel Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 26 mensis Ianuarii anno 1987 sollemniter edixit. Ea ortum duxit piis ac ditissimis parentibus, die 26 mense Novembri a. 1858, Philadelphiae in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus. Iam a pueritia, domestica secuta exempla, incorrupta fide, morum suavitate caritateque in Deum et proximum enituit ; praesertim in miseros misericordiam exercebat et operarios Evangelii nuntiandi adiuvabat. Adolescens multas peragravit terras, ut Indorum et Nigritarum perditas cognosceret rationes eisque prodesset! Superno acta lumine et conscientiae moderatore suadente, novitiatum Sororum a Misericordia adivit, ibique anno 1891, ut prima inter omnes Sorores a SS.mo Sacramento nuncupatas, religiosa emisit vota, quarto voto addito, totam se devovendi Indorum et Nigritarum matrem et servam iuxta novi Instituti Constitutiones, cuius fundamentum ipsa iaciebat. Pro Indis Genteque Nigra plures scholas excitavit et studiorum quoque Universitatem. Omnia scilicet opera socialis utilitatis horum populorum sustentabat. Anno 1937 apoplexia correpta,

duodeviginti annos lectulo decumbens, vitam Deo et Ecclesiae continuo offerebat, donec die 3 Martii anno 1955 piissime decessit. Mortis nuntio pervulgato, tota Philadelphia urbs est commota eiusque virtutes et sanctitatem celebrare coepit.

Ad eidem Venerabili Servae Dei honores Beatorum Caelitum legitime decernendis, actores Causae mirum eventum divinitus patratum, ut asseverabatur, Apostolicae Sedi ad cognoscendum obtulerunt, eiusdem intercessioni attributum.

Porro, prodigiosus eventus adolescentulo contigit Roberto Gutherman, decimum quartum aetatis annum agenti, in urbe Philadelphia. Is etenim, ferventibus fusis precibus ad implorandam caelestem Venerabilis opem, rapide, complete perpetuumque in modum sanatus est a gravi forma otitis mediae chronicae polypoideae auris dexterae cum antromastoidite. Immo asseverant periti medici agi de restitutione ad integrum facultatis auditivae cum anatomica reconstructione catenae tympani-ossicularis.

Hac super asserta mira sanatione adornatus est apud curiam archiepiscopalem Philadelphiensem, anno 1987, canonicus Processus, cuius iuridica forma et vis agnita est die 10 Iulii mensis eodem anno 1987 per Decretum Congregationis pro Causis Sanctorum. Qui Processus una cum adnexis pertinentibus documentis subiectum est, ad iuris normam, quinque sodalibus peritis Consilii Medici penes ipsam exstantis Congregationem. Qui quidem, die 9 Decembris eodem anno 1987 congregati, una voce affirmavere praedictam sanationem explicari haud posse hodiernis medicae scientiae legibus. Hinc tota quaestio subiecta venit iudicio theologico, primum Patrum Consultorum, deinde Patrum Cardinalium et Episcoporum. Theologi Consultores, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, coadunati in Congressu Peculiari diei 15 Martii a. 1988, dubio an de miraculo in casu ageretur, adfirmantes responderunt omnes. Item, die 7 mensis Iunii hoc eodem anno ad Vaticanum coacti in Congregatione Ordinaria, Em.mi ac Rev.mi Patres Cardinales et Episcopi, ponente Iosepho Cardinali Caprio, eidem dubio vota tulerunt affirmativa.

Facta postmodum Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata de praefatis rebus relatione, Sanctitas Sua suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens rataque habens, ut super mira sanatione Decretum rite conscriberetur mandavit.

Quod cum factum esset, accitis hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causa« Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater decretoriam sententiam emisit, nimirum : *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Catharinae Mariae Drexel, Fundatricis Sororum a SS.mo Sacramento pro Indis et colorata gente, videlicet de rapida perfectaque ac perpetúa sanatione adolescentis Roberti Gutherman a gravi forma otitis mediae, chronicae polypoideae dexterae auris cum antromastoidite.*

Quod autem Decretum in vulgus edi inque acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, Calendis Septembribus, A. D. 1988.

ANGELUS Card. **FELICI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VII

ROMANA

Canonizationis Ven. Servae Dei, Mariae a Iesu Bono Pastore (in saec. Franciscae Siedliska), Fundatricis Instituti S. Familiae a Nazareth (1842-1902).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Mariam a Iesu Bono Pastore virtutes theologicas Fidem, Spem et Caritatem tum in Deum tum in proximum, necnon cardinales Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam et Fortitudinem eisque adnexas heroum in modum exercuisse Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 29 mensis Aprilis, anno 1980, sollemniter declaravit.

Nata erat Serva Dei die 12 Novembris anni 1842 ex honestis nobilibusque parentibus, in vico cui nomen *Roszkowa-Wola,* in finibus Varsaviensis archidioecesos posito. De sua religiosa vocatione certior facta, a pluribus gravibusque infirmitatibus mirum in modum sanata, Romae, quasi sub Romani Pontificis oculis, novum Institutum Religiosarum condidit, cui a Nazarethana Familia nomen indidit. Quod Institutum late per orbem, in Polonia praesertim et in America bo-

reali, Venerabilis Servae Dei opera propagatum, laetos uberrimosque apostolatus fructus affert. Sanctitatis fama circumdata, die 21 Novembris anno 1902, Romae, ad superos evolavit.

Praemissis de iure praemittendis, perventum est in hac Causa, ut superius est dictum, ad decretum super virtutum heroicitate Servae Dei, quo in vulgus edito, eadem *venerabilis* nuncupata est. Ad eiusdem autem sollemnem beatificationem legitime obtinendam requiritur, ad novi iuris normam, unum miraculum eius intercessione divinitus patratum. Cui praescripto obsequentes, sollerti Causae actores miram sanationem Apostolicae Sedi ad cognoscendum obtulerunt. Agitur de rapida, perfecta ac perpetua dominae Mariannae Lach-Rachtaj, trigesimum aetatis annum agentis, quae, infausta prorsus quoad vitam edita prognosi, invocato nomine et patrocinio caelesti Venerabilis Mariae a Iesu Bono Pastore, valde mane diei 10 mensis Ianuarii anni 1952 a peritonitide puerperali fulminanti, ileo paralytico et pleuritide convaluit.

Quo super miro eventu adornatus est, apud curiam archiepiscopalem Varsaviensem, mensibus Februario-Maio anni 1986, processus, cuius iuridicam formam et vim haec Congregatio, per decretum diei 21 Novembris eodem anno, agnovit.

Exinde disceptationes iure praescriptae habitae sunt. Imprimis exquisitum est quid de eadem sanatione Consilium Medicum penes hanc Congregationem exstans sensisset; quod quidem congregatum, in sessione diei 18 Novembris anno 1987, censuit dominam Mariannam Lach-Rachtaj rapide, perfecte et stabiliter convaluisse, eamdemque sanationem, *quoad modum* per naturae leges haud explicari posse. Secutae sunt deinde theologicae discussiones, primum, die 15 mensis Aprilis a. 1988, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Promotore Generali Fidei; postea, die 5 mensis Iulii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum ad Vaticanum habita, ponente Em.mo et Rev.mo Iosepho Cardinali Casoria. Et in utraque disceptatione proposito dubio num de miraculo constaret, in casu et ad effectum de quo agitur, cuncti adfirmando responderunt.

Facta postmodum Summo Pontifici Ioanni Paulo II de omnibus hisce rebus fideli et accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens et rata habens, praecepit ut Decretum super praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierna die ad Se Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis aliisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Serva Dei Maria a Iesu Bono Pastore (in saec.: Francisca Siedlisha), fundatrice Instituti S. Familiae a Nazareth, videlicet de rapida, perfecta ac stabili sanatione dominae Mariannae Lach-Rachtaj ab « infezione puerperale con peritonite diffusa fulminante, ileo paralitico e pleurite con presentazione di spalla trascurata, sottoposta ad estrazione di feto morto con rivolgimento, e grave stato anemico ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, Calendis Septembribus, A. D. 1988.

ANGELUS Card. **FELICI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VIII

TAURINEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Faà di Bruno, Sacerdotis saecularis fundatoris Instituti Sororum B. M. Virginis a Suffragio et S. Zitae.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Nobili genere, die 29 mensis Martii anno 1825, natus est Servus Dei Alexandriae Statiellorum. Militari munere centurionis deposito, in Parisiensi Athenaeo doctor renuntiatus, mathematicas artes cum aliis coniunctis doctrinis in Taurinensi studiorum universitate per triginta annos docuit. Plura de religione deque scientia conscripsit. Auctor quoque fuit institutorum multigenae indolis, nempe caritatis, socialis et educativae, inter quae Opus praestat, Conservatorium postea dictum, a Sancta Zita nuncupatum puellis famulantibus iuvandis, et alterum ad adolescentulas moribus lapsas redimendas. Suadente S. Ioanne Bosco et Venerabili Pio IX approbante, ad sacri pre-

sbyteratus ordinem accessit. Suorum autem operum heredes Sorores instituit, quibus nomen « Minimae a Domina Nostra de Suffragio». Sanctitatis fama conspicuus. Taurini obdormivit in Domino die 27 Martii anno 1888. Eum christianas virtutes heroum modo exercuisse, Paulus Papa VI die 14 mensis Iunii a. 1971 declaravit.

Ut autem Venerabilis idem Servus Dei in Beatorum Caelitum album legitime inscriberetur, Causae actores, quemadmodum novum ius exigit, Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt miram, quae asserebatur, sanationem a Deo, deprecatore eodem Venerabili, patratam.

Quae miranda sanatio Sorori obtigit Evangelinae Regalia, ludimagistrae ex Instituto ab ipso Venerabili condito. Ea etenim, edita a medicis valde reservata quoad valetudinem prognosi, invocato per novendiales preces caelesti patrocinio eiusdem Venerabilis Francisci Faà Di Bruno, rapidissime, perfecte perpetuumque in modum convaluit, mense Septembri anno 1974, a morbo quem sodales Consilii Medici huius Congregationis hisce Italicis verbis descripsit : « duodenite cronica associata a quadro clinico radiologico di accertato transito duodeno-colico con grave malassorbimento intestinale ». Agi de sanatione quae, quoad modum, hodiernis legibus medicae artis explicari nequit, iidem sodales die 9 mensis Decembris anno 1987 asseruerunt.

Super praedicta sanatione instructus est annis 1976-1978, apud curiam archiepiscopalem Taurinensem, Processus Cognitionalis, cuius forma et auctoritas iuridica ab hac Congregatione pro Causis Sanctorum die 22 mensis Maii anno 1987 est agnita. Praehabita Consilii nostri Medici opinione, ut superius est dictum, quaestio de indole preternaturali eiusdem sanationis disceptata est in praescriptis duobus coetibus, nimirum : primum, die 4 mensis Martii anni huius 1988, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 10 Maii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Exc.mo ac Rev.mo D.no Antonio Mauro, Archiepiscopo titulari Thagastensi. Et utroque in Coetu, posito dubio an constaret de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur, responsum est latum affirmativum.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata rela-

tione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens eaque rata habens, mandavit ut super memorata mira sanatione Decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, hodierna die, accitis subscripto Cardinali Praefecto necnon Archiepiscopo ponente Causae meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque de • more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo a Deo patrato, deprecatore Venerabili Francisco Faà di Bruno, Sacerdote saeculari, fundatore Instituti Sororum B. M. V. de Suffragio et Sanctae Zitae, videlicet de rapidissima, perfecta stabilique sanatione Sororis Evangelinae Regalia a ((duodenite cronica associata a quadro clinico radiologico di accertato transito duodeno-digiuno-colico, con grave malassorbimento intestinale ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, Calendis Septembribus, A. D. 1988.

ANGELUS Card. **FELICI,** *Praefectus*

L. © S.

® Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IX

VALENTINA

Canonizationis Ven. Servae Dei Iosephae Naval Girbés, Christifidelis laicae (1820-1893).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Iosepha Naval Girbés, nata in finibus archidioeceseos Valentinae in Hispania die 11 mensis Decembris anno 1820, vita est iuncta, sanctitatis fama circumdata, die 24 Februario mense a. 1893, septuagesimo scilicet quarto aetatis suae anno. Laicalia munera obiit christiano spiritu ducta, praesertim in laboratorio quod in sua constituit domo puellarum manualibus artibus instituendarum causa. Extra domum quoque suam omnibus modis lucem caritatis et spirituale bonum in mulieres, in viros, in pauperes inque aegrotos effundebat. Eam virtutes chri-

stianas heroum in modum exercuisse Summus Pontifex Ioannes Paulus II declaravit die 3 mensis Ianuarii anno 1987.

Ut autem ad sollemnem eiusdem Venerabilis Servae Dei beatificationem legitime deveniretur, Causae actores miram quandam sanationem, quae ferebatur, Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt, praefatae Venerabilis intercessioni apud Deum tributam.

Quae asserta mira sanatio contigit dominae Iosephae Girbés Castell, quadraginta et septem annos natae. Ipsa etenim, precibus et intercessione supra dictae Venerabilis, die 4 Iulii anno 1935, in instanti ac perfecte a gravi colite ulcerosa convaluit, quae in vetustatem inciderat, idest in statum chronicum.

Quo super mirando eventu adornatus est annis 1950-1952, apud Curiam archiepiscopalem Valentinam, processus episcopali auctoritate, necnon annis 1968-1970 eadem in Curia, potestate item ordinaria, de quorum forma et vis iuridica decretum exiit die 28 Novembris a. 1986 huius Congregationis, concesso quidem, ad effectum de quo agitur, valore apostolico.

Quibus praehabitis, apparata uti de more Positione super miraculo, exquisitum est iudicium Consilii Medici penes hanc Congregationem exstantis. Quod quidem Consilium, coadunatum die 27 mensis Maii anno 1987, affirmare non dubitavit sanationem, in Actis descriptam documentisque suffultam, instantaneam, perfectam perpetuamque fuisse, minime pro humana hodierna scientia medica explicabilem.

Ventum est deinde ad theologicas de eadem sanatione disceptationes, et quidem primum, die 11 mensis Decembris anno 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum), moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 26 Aprilis anni 1988, in Ordinaria Congregatione Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi. In utroque Coetu positum est dubium : *An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.* Cui dubio concordes omnes adfirmantes responderunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut Decretum super praefata mira sanatione rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus Praefecto Congregationis necnon Causae Ponente, meque Antistite a Se-

cretis ceterisque de more con vocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo divinitus patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Iosephae Naval Girbés, christifidelis laicae, videlicet de instantánea, perfecta perpetuaque sanatione dominae Iosephae Girbés Castell a colica ulcerosa chronica.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, Calendis Septembribus, A. D. 1988.

ANGELUS Card. **FELICI,** *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

X

VARSAVIEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Honorati a Biala Podlaska (in saec.: Venceslai Kozmiñski), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, Fundatoris plurium Congregationum Religiosarum (1829-1916).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Praedicator eximius animarumque moderator et confessarius novissimus, fundator plurium Congregationum religiosarum, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, Honoratus a Biala Podlaska (in saeculo : Venceslaus Kozminski) natus superiore saeculo in Polonia, die 16 mensis Octobris anno 1829, obiitque die 16 Decembris anno 1916, aetatis suae octogesimo septimo. Eum christianas religiosasque virtutes heroum in modum exercuisse Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 16 mensis Martii, anno 1985, declaravit. Ut autem eidem Venerabili honores Beatorum Caelitum legitime decernerentur, Causae actores sedulam dederunt operam apparandae Positioni super asserto quodam miraculo a Deo patrato, intercessioni ipsius Venerabilis attributo.

Qui mirandus eventus contigit Dominicae Iosephae Muraszewska, Congregationis Parvarum Sororum ab Immaculato Corde Mariae Cze-

stochoviensium sodali, quinquagesimum et quartum aetatis annum agenti. Humanis remediis incassum adhibitis, edita a medicis infausta quoad vitam prognosi, aegrota invocare coepit caelestem Venerabilis Honorati opem; et ecce, sexta novendialium precum die, ipsa, mense" Iulii anni 1926, est deducta ad sanctuarium B. Mariae Virginis, loci v.d. *Jasna Gòra,* ubi, durante Missae celebratione, iteratis enixis precibus, se esse sanatam persensit : con valuit illico a morbo quem Periti nostrae Consultae Medicae dixerunt « cancro della colecisti con metastasi epatiche ».

Super hac asserta mira sanatione instructus est annis 1949-1951, apud curiam archiepiscopalem Varsaviensem, Processus ordinaria potestate, cui quidem inquisitioni nova documenta nuper inventa sunt addita, de quorum iuridica forma et vi exierunt relativa huius Congregationis decreta die 1 Februarii a. 1985 et die 30 Aprilis a. 1987 edita.

Huiusmodi autem inquisitio iuridica ac documenta fuere subiecta iudicio Peritorum praefatae Consultae Medicae, qui, die 14 Octobris a. 1987 in Coetu congregati, omnibus mature perpensis, rati sunt agi de sanatione quae hodiernis medicae artis legibus haud explicari possit quoad modum quo evenerit. Quam medicorum opinionem secuta est theologica disceptatio : primum, die 4 mensis Martii a. 1988, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 17 mensis Maii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Exc.mo ac Rev.mo Domino Georgio Ablewicz, Archiepiscopo-Episcopo Tarnoviensi. Et in utraque congressione, tum Patrum Cardinalium tum Consultorum theologorum, proposito dubio utrum constaret de miraculo in casu et ad effectum de quo agitur, omnes responsum affirmativum dederunt.

Facta postmodum Summo Pontifici Ioanni Paulo II de omnibus supra memoratis rebus accurata relatione, Sanctitas Sua, suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, ut Decretum super eadem mira sanatione rite appararetur mandavit.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandi^, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi, Dei Honorati a Biala Podlaska (in saec. : Venceslai Koé-*

minshi), sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capwccinorum, videlicet de celérrima, perfecta et perpetua sanatione Sororis Dominicae Iosephae Muraszeioska, a cancero cholecystitidis cum metastasibus hepaticis.

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, Calendis Septembribus, A. D. 1988.

ANGELUS Card. **FELICI,** *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

TRIBUNAL ROMANAE ROTAE

LUGDUNEN. - GRATIANOP.

NOTIFICATIO

Nullitatis matrimonii (Frene - Stachetti)

In causa, de qua supra, R. P. D. Ponens sequens edidit

DECRETUM LITIS CONTESTATIONIS
die 1 Dec. 1988

Visis causae, de qua supra, actis et in specie sententiis hucusque latis; attenta instantia partis actricis; audito vinculi Defensore: infrascriptus decrevit dubium, sententia definitiva in hoc iudicii gradu solvendum, poni iuxta formulam:

An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob defectum discretionis iudicii ex parte actricis.

MARIUS F. **POMPEDDA,** *Ponens*

Angelus Bruno Bottone, *Notarius*

L. 8 S.

In Trib. R. Rotae tab., n. 15857.

ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

Responsiones ad proposita dubia.

I

Patres Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Authentice Interpretando proposito in plenario coetu diei 29 Aprilis 1987 dubio, quod sequitur, respondendum esse censuerunt ut infra :

D. Utrum christifidelium coetus, personalitatis iuridicae, immo et recognitionis de qua in can. 299, § 3, expers, legitimationem activam habeat ad recursum hierarchicum proponendum adversus decretum proprii Episcopi dioecesani.

R. *Negative, qua coetus: affirmative, qua singuli christifideles, sive singillatim sive coniunctim agentes, dummodo revera gravamen passi sint. In aestimatione autem huius gravaminis, iudex congrua discretionalitate gaudeat oportet.*

Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Audientia die 20 Iunii 1987 infrascripto impertita, de supradicta decisione certior factus, eam publicari iussit.

II

Patres Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Authentice Interpretando propositis in plenario coetu diei 19 Ianuarii 1988 dubiis, quae sequuntur, respondendum esse censuerunt ut infra :

1

D. Utrum abortus, de quo in can. 1398, intellegatur tantum de eiectione fetus immaturi, an etiam de eiusdem fetus occisione quocumque modo et quocumque tempore a momento conceptionis procuretur.

R. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

2

D. Utrum religiosi, Romanae Rotae Praelati Auditores nominati, exempti habendi sint ab Ordinario religioso et ab obligationibus, quae e professione religiosa promanant, ad instar religiosorum ad Episcopatum evectorum.

R. *Negative ad utrumque, salvis iis quae ad exercitium proprii officii spectant.*

Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Audientia die 23 Maii 1988 infrascripto impertita, de supradictis decisionibus certipr factus, eas publicari iussit.

ROSALIUS I. Card. **CASTILLO LARA,** *Praesens*

Iulianus Herranz Casado, *a Secretis*

CODEX IURIS CANONICI

Quaedam mendae nuper repertae, Summo Pontifice praecipiente, corriguntur.

In *Actorum Apostolicae Sedis editionem,* qua promulgatus est *Codex Iuris Canonici,* sequentes irrepserunt mendae, quas Summus Pontifex, proponente Pontificia Commissione Codici Iuris Canonici Authentice Interpretando, corrigendas prout sequitur praecepit : [1]

Can. 996 § 2 *legatur:* intentionem saltem generalem eas
Can. 1108 § 1 *legatur:* et 1127 §§ 1-2.
Can. 1742 § 1 *legatur:* ad hoc stabiliter, a consilio presbyterali constituto, Episcopo proponente, selectis

Ex aedibus Vaticanis, die xxi m. Novembris a. **MCMLXXXVIII.**

de mandato Ss.mi
✠ **AUGUSTINUS** card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

[1] *AAS* LXXV, Pars II (15 Ianuarii 1983).

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Visita Ufficiale :

Sabato, 19 Novembre 1988, S. E. l'Onorevole **CIRIACO DE MITA**, Presidente del Consiglio dei Ministri della Repubblica Italiana.

Ha ricevuto in Visita Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali :

Venerdì, 18 Novembre 1988, S. E. il Signor **SÉBASTIEN NTAHUGA**, Ambasciatore del Burundi presso la Santa Sede.

Giovedì, 24 Novembre 1988, S. E. il Signor **MONCEF BEN MAHMOUD**, Ambasciatore di Tunisia presso la Santa Sede.

Lunedì, 28 Novembre 1988, S. E. il Signor **ISMAIL MOBARAK**, Ambasciatore della Repubblica Araba d'Egitto.

Lunedì, .1° Dicembre 1988, S. E. il Signor **MAMADOU TAIROU DJAOTJGA**, Ambasciatore del Benin presso la Santa Sede.

Ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 21 Novembre 1988, S. E. il Signor **RAUL ALFONSÌN**, Presidente della Repubblica di Argentina.

Sabato, 26 Novembre 1988, il Maggiore **ABDUSSALAM JALLUD**, Primo Ministro del Governo della Repubblica Popolare di Libia.

Lunedì, 5 Dicembre 1988, S. E. il Signor **PETAR MLADENOV**, Ministro degli Affari Esteri della Repubblica Popolare di Bulgaria.

Lunedì, 28 novembre 1988, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla presenta del Santo Padre, si è riunita la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA Di STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

12 ottobre 1988. P. Xavier Ochoa, C. M. F., *Presidente del Tribunale Ecclesiastico di prima istanza dello Stato della Città del Vaticano.*

» « » P. Franz Daneels, O. Praem., *Promotore di Giustizia del Tribunale Ecclesiastico di prima istanza dello Stato della Città del Vaticano.*

» » » P. Velasio De Paolis, C. S., *Difensore del Vincolo del Tribunale Ecclesiastico di prima istanza dello Stato della Città del Vaticano.*

» » » Mons. Umberto Fiacco, *Notaio del Tribunale Ecclesiastico di prima istanza dello Stato della Città del Vaticano.*

» » » Mons. Mario Francesco Pompedda, *Giudice della Corte d/Appello dello Stato della Città del Vaticano.*

» » » Mons. Francesco Bruno, *Giudice della Corte d'Appello dello Stato della Città del Vaticano.*

» » » Avv. Tommaso Mauro, *Promotore di Giustizia della Corte d'Appello dello Stato della Città del Vaticano.*

8 novembre » Mons. Ivan Peri, *Sotto-Segretario della Congregazione per l'Educazione Cattolica.*

15 » » L'E.mo Signor Cardinale Giuseppe Caprio, *Gran Maestro dell'Ordine Equestre del Santo Sepolcro di Gerusalemme.*

26 » » Mons. Cipriano Calderón Polo, Vescovo titolare eletto di Tagora, *Vice Presidente della Pontificia Commissione per l'America Latina.*

NECROLOGIO

16 novembre 1988. Mons. Vincenzo Radicioni, Vescovo emerito di Montalto e Ripatransone *(Italia)*-.

17 » » Mons. Francesco Tortora, Vescovo emerito di Locri - Gerace *(Italia)*.

30 » » Mons. Lorenzo Unfried Gimpel, Vescovo di Tarma *(Perù)*.

2 dicembre » Mons. Benedito Zorzi, Vescovo emerito di Caxias Do Sul *(Brasile)*.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

I

INDEX GENERALIS ACTORUM

(AN. ET VOL. LXXX)

I - ACTA SUMMI PONTIFICIS

II - ACTA CONGREGATIONUM

III - ACTA TRIBUNALIUM

IV - ACTA COMMISSIONUM

V - DIARIUM ROMANAE CURIAE

II

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I - ACTA IOANNIS PAULI PP. Il

VI - LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

VII - CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

VIII - LITTERAE APOSTOLICAE

IX - EPISTULAE

X - CONVENTIO

XI - HOMILIAE

XII - ALLOCUTIONES

XIII - NUNTII GRATULATOMI

XIV - NUNTIUS RADIOPHONICUS

XV - NUNTII TELEVISIFICI

XVI - NUNTII SCRIPTO DATI

XVII - ITINERA APOSTOLICA

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX UBUQUABIAM, CHILIAM ET ABGENTINAM PEBAGBAT DETECTAE ALLOCUTIONES

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX GERMANIAM OCCIDENTALEM PEBAGBAT DELECTAE ALLOCUTIONES

Ex HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX POLONIAM PEBAGBAT DELECTAE ALLOCUTIONES

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX
FOEDERATAS CIVITATES AMERICAE SEPTEMTRIONALIS PEBAGBAT
DELECTAE ALLOCUTIONES

Ex HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX
URUQUARIAM, BOLIVIAM, LIMAM IN PERUVIA ET PARAQUARIAM PERAGRAT
DELECTAS ALLOCUTIONES

XVIII - SECRETARIA STATUS

II - ACTA CONGREGATIONUM

I - CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

II - CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

III - CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

IV - CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS

V - CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

VI - CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

VII - CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA

III - ACTA TRIBUNALIUM

I - PAENITENTIARIA APOSTOLICA

II - ROTA ROMANA

IV - ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

III
INDICES NOMINUM

I - INDEX NOMINUM PERSONARUM

(OMITTUNTUR NOMINA ACTIBUS SUBSCRIPTA)
(CUM PARVA CRUX f ADEST, DE NUNTIO MORTIS AGITUR)

A

B

C

D

£

F

M

N

O

R

S

T

U

V

H - INDEX NOMINUM DIOECESIUM, VICARIATUUM, ETC.

V

X

Z

IV

INDEX RERUM MAIORIS MOMENTI

B

C

E

F

G

J

K

L

M

N

O

Q

R

S

T

U

V

W

Z

CORRIGENDA ET DELENDA

in vol. LXXX **(1988)** Comentarii **ACTA APOSTOLICAE SEDIS**

pag. **10,** linea **18:** loco *Sanctorum,* legatur *Beatorum.*

pag. **240,** lineae **8-9** *(11 gennaio* **...),** **13** *(3 febbraio* **...),** **16-17 (5 ...)** deleantur.

pag. **586,** linea **10** : loco *Sanctorum,* legatur *Beatorum.*

pag. **592,** linea **3:** loco *Beatorum,* legatur *Sanctorum.*

pag. **702,** linea **3** : loco *Arnaldo,* legatur *Arnoldo.*

pag. **707,** linea **16** : loco *LXXIV,* legatur *LXXXIV.*

pag. **846,** linea **16** : loco *dedit. Seriem,* legatur *dedit seriem.*

pag. **884,** art. **96** : loco *omnibus clericis,* legatur *pro omnibus clericis.*

pag. **902,** art. **161:** loco *de* Ecclesiis Orientalibus, legatur *pro* Ecclesiis Orientalibus.

pag. **907,** art. **177** : verba *quorum unus Praesidis munere fungitur* deleantur.

pagg. **1040-1041:** provisiones et nominationes relatae deleantur, cum perfectius pagg. **1247-1249** proponantur.

pag. **1043,** linea **24** : loco *Donum,* legatur *Domum.*

pag. **1045,** linea **4** : loco *actu,* legatur *casu.*

pag. **1048,** linea **18:** loco *Pionetti,* legatur *Pianetti.*

pag. **1049,** linea **10** a fine : loco *Visintainer,* legatur *Wisintainer.*

pag. **1247,** linea **13** : loco *Ondivoanae,* legatur *Oniwanae.*

pagg. **1351-1358** per ordinem disponantur.

pag. **1494,** linea **19** a fine : loco *Lis,* legatur *Luis.*

pag. **1527,** linea **10** a fine : loco *Falerii,* legatur *Faleriis.*

OCTOGESIMUM VOLUMEN
COMMENTARII OFFICIALIS « ACTA APOSTOLICAE SEDIS »
ABSOLVITUR DIE XXXI DECEMBRIS MCMLXXXVIII
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS